

Matthæus Küsel f.

Canoni Cracov. 1678

VTILIS CURIOSITAS

DE HUMANÆ VITÆ FELICITATE.

Per

Varios hominum ſtatus

Cum amœno Hiſtoriarum aliquot delectu ad uſum non minus Politicorum, quam Eccle-ſiaſticorum inquiſita.

Operâ & ſtudio

R. P. IACOBI MASENII è SOCIETATE IESU.

Coloniæ Agrippinæ,

Sumptibus JOANNIS WILHELMI FRIESSEM Iunioris. Bibliopol. Colon. 1672.

Illustrissimæ Fratrum Triadi

Reverendissimo ac Celsissimo Domino

D. WILDERICO

Dei gratia EPISCOPO VIENNENSI, S.R.I.PRINCIPI, S.C.Majest.Consiliario.intimo. Ecclesiarum diversarum, Metropolitanæ Moguntinæ capitulari, & Cathedralium Spirensis ac Herbipolensis, istic Præposito, hic capitulari &c.

Nec non

Adm. Reverendo perillustri ac generoso Domino,

D. IOANNI PHILIPPO

Libero Baroni de Walderdorff, Domino in Isenburg & Molsberg, Metropolitanæ Ecclesiæ Trev. Chorepiscopo, & Cathedralis Ecclesiæ Spirensis, & equestris Capituli S. Burchardi Herbipoli Canonico Capitulari &c.

Denique

Illustri ac generoso Domino,

D. EMERICO FRIDERICO

S. C. Majest. Camerario, & excelsi oncilij aulici Consiliario, & Imperialis Cameræ Spirensis Assessori &c.

Dominis suis gratiosissimis.

ADmitte, nobilissima fratrũ Trias hoc devoti scriptoris obsequium quo sub nominis Tui patrocinio & umbrâ hunc publico laborum

ſuum bono conſecravit. Vos ego, ceu tres olim Scipiadas Romanorum ſago togâque, trabeâ etiam palmari, ac martio paludamento ſpectatos; vel ùt Geryonas Hiſpanorum, triplici in corpore; uno animo ſenſuq; amoris conjunctos, Germanâ tamen fide ac pectore Illuſtriores veneror. Et quamvis polemicus hic meus Tractatus veſtrâ minor dignitate incedat, nec prima id polliceri frõte videatur, quo Vos delectari credibile ſit, ſuo tamen in receſſu, veſtro & nomine & patrocinio digna complectitur. Etenim antiquiſſimã veſtræ familiæ gentem, tanquam præſtantiſſimam quandam, inter rudes impolitoſque lapides, gemmam intueor, in qua ejus loci, non ſolum nobilitatis, ſed & priſcæ religionis decus illibatum refulget, cui, quantum ego hoc in opuſculo tribuam, legentibus patebit. Quod tanto judicavi, & utilius & ſecurius lucem viſurum publicam, ſi ad ſummorum in Europa aulas Principum, per notas gratasque iſtic manus tranſiret. Quanquam pietatis in primis fideique zelo æſtuantes heroas requiram, qui hoc

qua-

qualecunque ſtudium propoſitumq́; meum divino ſuccenſi ardore proſequantur. Qua domum progeniemque lineæ veſtræ walderdorffianam laude eminere inter vicinos Naſſovi-orum Cattorumque accolas, Lutherana primum, ac ſubinde Calviniana libertate devios ſatis exploratum eſt. Stetit hæc inter quaſſatæ religionis tempeſtates inconcuſſa, pluresque Eccleſiæ Catholicæ propugnatores dedit, per Moguntinam, Trevericam, Spirenſem ac Herbipolitanam Eccleſiam ſparſos, dum & Viennenſis Cathedra *Wildericum* illius familiæ illuſtre columen admitteret, vivitque etiamnum Godefridi Walderdorffi ante centum & duos annos officio Chorepiſcopi ad D. Petrum Treveri, vitâ laudabiliter actâ, defuncti memoria; ut aliarum Eccleſiarum illa ex domo lumina prætercam. Jam verò ab annis tercentum & amplius inter hanc, Naſſovicãque familiam nata, neque incruenti certaminis controverſia, amicis denique pacis legibus abſoluta oſtendit, walderdorffianæ ſtirpis vigorem atque

antiquitatem. Ab his porrò si ad Rudolphi Imperatoris Austriacorum Principis tempora calculos revoces, duodecimo Christi seculo reperietur inter illius aulæ proceres *Godefridus* à *walderdorff* principem istic obtinuisse locum, publicisque in literis ejusdem sigillum Cæsareo junctum fuisse. Et quamvis antiquiorum retrò scriptorum neglectus originem, ut multorum Teutonum, ita hujus quoque nobilitatis posteris subtraxerit, tamen ad Caroli Magni ætatem, ut reliquam ferè transrehnanā nobilium institutionem, quam ex præcipuis suæ militiæ strategis equitumque Magistris constituit, ita & hanc jure revocabis. Sed cum ejusmodi gentis decora, ut virtute primum parta sic ejusdem observatione propagata, omnem ab hujus pulchritudine gloriam famæque immortalitatem mutuentur, non tam spectandum genus, quam præclarissima gentis facinora, quæ in tuenda veræ religionis simul, nobilitatisque congenitæ studio consistit. Quam utramque cum Ecclesiæ per Germaniam Metropoli-

tanæ

tanæ ac cathedrales, illæque, quæ ad Rhenum ſunt præcipue, inviolatam diligenti inveſtigatione requirant, quid walderdorffianis ad horum gremium receptis tribuendum ſit, nemo non videt. Baronum illis liberorum, anno hujus ſeculi LX privilegia renovata potius vidimus quàm primum oblata; quod Majorum illa, vel modeſtia vel neglectu obſolviſſent, nunc Principum etiam ex illa domo prodeuntium honoribus amplificanda.

Adjicere decus Majorum gloriæ ſemper ego laudem majorem arbitratus ſum, quàm ab eis eximii nominis famam totam occupaſſe. Illud enim uti prima nobilitas à virtute plerumque eſt Proavorum derivata, auctæ cum genere virtutis haud inane argumentum. Vnde illuſtrius longe eſt Principi dignitatem virtutum, quàm natalium merito poſſidere: hoc enim, ut ſic loquar, fortunæ eſt, illud induſtriæ; hoc ſine labore noſtro, illud non ſine inſigni ſtudiorum contentione munus obtinetur. Hoc quandoque in degeneres ignavos, illud non niſi in optime,

de rep. Christiana meritos cadit, præmiumque simul rectè factorum est, atque invitamentum, ut Te *Celsissime Principum Wilderice* feliciorem jure multis ad parem dignitatem per imperium natis prædicem, quod virtute magis quàm genere, illum honoris tui apicem, in quo Viennensi Ecclesiæ Episcopus, Romanorum verò Princeps imperio præsides, gloriosè occuparis. Neque hoc prætereundum, quod non repente velut uno blandientis Fortunæ afflatu provectus in altum, sed, sensim velut sine sensu, ingenii indolisque Tuæ ad summa quæque natæ ductu, ad non quæsitos honores, sine ambitione evocatus sis, tantò in illis spectabilior, quanto minus Tibi illi fuêre spectati; ut umbra Te, etiam abeuntem, secuti.

Anno hujus seculi 25. Spirensi Ecclesiæ, ac sequenti Herbipolensi tanquam Samuel novus in cathedralibus Ecclesiis Deo, tenera adhuc ætate est consecratus, utque mores Canonica vita dignos unà cum literis hauriret, humanioribus primum Moguntiæ, Her-

Herbipoli, Spiræque Musis ac studiis pietatis excultus, Romam ad Collegium Germanici Cleri destinatus, Societatis Iesu disciplina ad sublimiora Theologiæ & Canonum decreta septennio exercitatus, non semel in arena propugnator apparuit, jam tum futuræ magnitudini præclaris ingenii doctrinæque experimentis prælusurus. Mox exterarum gentium mores observavit magis, quam secum traxit; humanitatem & linguam non aspernatus. Quando & metropolitana Moguntinensium dignus Ecclesiâ visus fuit, annoque seculi xlvii, admissus, proximum in Spiritualibus vicarius Generalis ab *Anselmo Casimiro* eligitur, ac mox à successore *Joanne Philippo*, morte illius intercedente, admittitur; ubi lapsâ bellorũ injuriâ Cleri disciplinam pro viribus instauravit, isque deinde Spirensibus optimo morum exemplo visus est, quem L. seculi anno Decanum: ac biennio post Præpositum summæ ædis designarent. Hinc gravioribus paulatim admotus negotiis (ut civilium non minus, quam spiritualium

legum perſpicax obſervator erat) & ab Eminentiſſimo Moguntinenſium Præſule, ſummi momenti legatiōibus adhibitus, ad Principes Imperii Electoreſque, atque ipſum denique Imperatorem Leopoldum abiit, magna ubique exiſtimatione ſapientiæ, & integritatis fama cultus. Vnde legatio illi ultima ad vicarium Imperii pro Electore ſuo Cancellarii munus adeundum viam ſtrauit, *Leopoldo* hujus operam poſtulante, neque *Philippo* recuſante. Cui officio, haud multò poſt, anno LX intimi Cæſaris ad arcaniora quæque expendenda, conſiliarii dignitatem junxit, ac lapſo novennio denique is Cæſari, probatiſſima jam ætate virtuteque judicatus eſt, qui Viennenſis Pontificii infulam ac principatus honorem jure optimo, in urbe imperioque, ſuſtineret, quem hactenus priſtinæ integritatis laude tuetur, ut de hujus illi adminiſtrationis felicitate ac gloria, tantò nunc juſtius applaudere liceat, & ampliorem ex hac Tractatione, quam de religione inſtitui, ſperare ab illo fructum, quanto majori pietate

atque

atque induſtria, ſe in ſuſcepto munere Imperatori Leopoldo ac Viennenſibus probavit.

Neque tamen præterire licuit *Joannis Philippi* fratris ac Mecænatis optimi memoriam, qui eiuſdem ut ſanguinis, ita & ſtudiorum virtutumque æmulator egregius, veſtigiis utiq; non imparibus ad gloriam incederet, niſi valetudo afflictior, ex frequenti arthritide, ceu compede quodã, intercepiſſet: quamquam is ſit, qui in virtutis unius poſſeſſione, honoris abundè felicitatiſque collocatum putet. Neque tamen illo deſtitutus, primâ dudum Principum gratia ac propinquitate fruitur Metropolitanæ jam ante triginta annos Trevirenſium aſſertus Eccleſiæ, Romanoque tyrocinio, ad digna Eccleſiaſtico viro ſtudia exercitiaque pietatis traductus eſt; ac ſubinde redux, ea morum indole, prudentiæque laude excellere viſus fuit, quâ legationibus haud multò poſt ad Romanam ſedem deſtinatus fungeretur, ſuique Principis, Electoris defenſionem ſuſciperet cum exercitato Antegoniſta commiſſus.

Quis

Quis verò deinde ipſius in virtutum pietatiſque cultu profectus fuerit, ſatis declarat libera ipſius ad munus Sacerdotale acceſſio, quo & ſe vivam Deo hoſtiam, cum divino Sacrificio offerre Deo geſtiit, neque ſolo contentus titulo, ſæpius ad aram devotiſſime litat. Vnde non tantum beneficiis aliarum Eccleſiarum, hoc eſt, Spirenſis ac Herbipolenſis, iſtic in æde ſumma, hic in S. Burchardo cumulatus, verum & Treviris Scholaſtici ac demum etiam Chorepiſcopi munere auctus, inſigni religionis zelo inter collegas eminet, l teriſque ac piarum rerum commentationibus delectatur. Quæ me potiſſimum cauſa induxit, ut aſcetici huius operis arbitrum tutoremque illum mihi, cum illuſtriſſimis fratribus delegerim ne incurioſis bonarum artium *Vtilem* hanc *Curioſitatem* commendarem.

Quo etiam nomine negligendus mihi haud quaquam inter hos fratres erat *Emmericus Fridericus* literis etiam linguiſque, ac diſciplinarum quá ſacrarum quà politicar cultuũ egregie ad quodvis in rep. officiũ dignitatem

instruitus: quem & Assessorem jam dudum, in flore licet ætatis versantem Spirensis Camera Imp. admisit & consilium deinde aulicum Viennense apud Augustissimū Cæsarem *Leopoldum* excepit, atque ipse sibi Imperator ad sistere, & aurea clave donatum à-cubiculis adesse voluit: adeo doctrina cum prudentia & integritate viri conjuncta, multis idoneum gratumque reddidit, cælibis hactenus vitæ quanquam in seculo inculpatum cultorem Quem variis jam legationibus officiisque præclare functum eximia placidaque morum indoles ad illustriora reip. decora reservasse videtur. Quod ex voto illi nostro evenire Superi jubeant, ut suus in terris quoque virtuti honos deferatur.

Non ego hoc loco aliam fratrum laudatissimorum Triadem, ex illustri nobilitatis Parentibus J*oannes. Petro de walderdorf*, & Matre *Maria Magdalena* à *Greiffenclaw* de *Volratz* inducam Cum *Lotharium petrum* & *Adamum Theodorum* sua in solitudine interturbare verear. *Georgium* verò *Friden ricum* patriæ domus heredē, ac satrapam

pā Montaburanum, lectiſſima trium filiorum uniuſque filiæ *Philippo Caſparo Baroni* de Biken nuptæ ſobole inſtructum, liberorumque potius, quam librorum cura occupatum, hâc *curioſitate* diſtractùm iri nolim: ut iccirco prima Fratrum in Triade acquieſcere, meumque his conſecrare laborem viſum ſit. Quem in devotiſſimi animi obſequiique mei argumentum amplecti, ſuoque favore proſequi dignentur. Ita Deus illam cuique optimi ſtatus vitæque, quam diſſertationibus aliquot inveſtigare conatus ſum, felicitatem impertiatur: ut hanc hic in terris temporariam, in cælis denique æternam conſequantur.

Ita ſperat, vovet.

Humillimus devotiſsimusque veſter in Chriſto Cliens.

IacobusMaſeniusS.I

Facul-

Facultas R. P. Provincialis

E*Go infraſcriptus Societatis Ieſu per provinciam Rheni inferioris Præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi facta à P. N.* Joanne Paulo Oliva *Societatis Ieſu Præpoſito Generali, concedo, ut Liber, qui inſcribitur:* Vtilis Curioſitas, De vitæ humanæ felicitate, per varios ſtatus, inquiſita, *à* Iacobo Maſenio *eiuſdem Societatis Sacerdote conſcriptus, atque à conſtitutis Cenſoribus lectus, probatusque ad communis boni utilitatem vulgetur. In cuius rei fidem haſce manû mea ſubſcriptas, conſuetoque officii ſigillo munitas dedi. Anno* MDCLXXI *Coloniæ 25. menſis Iulii.*

Matthias Merrhem m.p

L.S.

Lectori salutem, ac felcitatem perpetuam.

PAucis Te, benevole Lector, verbis, in hujus opusculi vestibulo, conveniam. Rem mortalibus optatissimam, & pœnè unicè quæsitam ab omnibus, hujus vitæ felicitatem, Tecum per aliquot capita dissertationum investigabo. nec laboris opinor pœnitebit, cum scribentem me legendo consectaberis. *Vtile dulci* admiscere conatus sum, & dum historiarum studio occupor, delibavi ex his non paucas, ad delectationem juxta eruditionemque, in rebus politicis sacrisque, natas. Falluntur, si qui felicitatem, non nisi in apice rerum humanarum sitam putant. Ita enim quam paucissimis illa posset contingere, atque in solis Regum aulis; aut à ditissimis honoratissimis rerump. Proceribus tantum posset occupari: ad caulas hæc etiam agrestesque hominum societates descendit, neque solertes contemnit Ruricolas. Mediocritas optima est felicitatis nutrix *Quæ superfluunt*, ait Seneca *nocent: Sic segetem nimia sternit ubertas; sic rami onere franguntur; sic ad maturitatem non pervenit nimia fecunditas. Idem animis quoque evenit, quos immoderata felicitas rumpit: quâ non tantum in alio-*

lib. 3. Epist. 4.

liorum injuriam, ſed etiam in ſuam utuntur. Multi in vero hujus vitæ felicitatis delectu magnopere aberrant, reſque ſolum actioneſque in cortice ſcrutantur, nucleum non reperiunt, quos idem Seneca erroris admonet: *Iſti, quos pro felicibus adſpicitis, ſi non qua currunt, ſed quà latent videris, miſeri ſunt, ſordidi, turpes, ad ſimilitudinem parietum ſuorum extrinſecus culti. Non eſt iſta ſolida & ſyncera felicitas, cruſta eſt, & quidem tenuis, nitent, & imponunt.*

De divina Provid. c.6.

Non igitur exiſtimavi abs re facturum, ſi huic indagandæ operam, tanquam venatorio quodam ſtudio, per agros, ſilvarumque latibula evagando darem, cum ubique terrarum, perque omnia vitæ & officiorum genera, homines ſeſe ad felicitatis ſtudium effundant, aliuſque alia vivendi conditione, & ſtatu, maximè ſe beatum futurum exiſtimet. Quâ potiſſimum diverſitate opinionum, omnia hujus vitæ munia implentur, & ſocietates hominum coaleſcunt: qui ſi in uno omnes ſtudio felicitatem collocarent, idem quoque/univerſi vivendi genus ſectarentur. Vnde nulla congregatio hominum commerciaque aptè conflari poſſent. Quæ me cauſa quoque per diverſos hujus vitæ ſtatus, occupationeſque mortalium fecit incedere, nec religionis minus ſtudia, quam profana excutere; ut quid in re qualibet maximè beatum ſit, curioſa quadam inveſtigatione perquiren-

quirendum,atque in illo pedem cuique felicitatis amatori figendum esse, ostenderem: atque iccirco *curiosæ utilitatis* titulum præfigendum duxi. Amœna etiam quandoque, ut lectioni voluptatem adderem, consectatus; illud Poetarum propositum non aversatus: de quibus canitur:

Et prodesse volunt & delectare Poetæ.

Quædam enim, tanquam potiones Medicas, ad tenaciores quosdam morbos abstergendos, interponenda duxi, quæ ne fastidium delicatioribus crearent stomachis suâ amaritie, mellitæ aliquid dulcedinis, vel in temperamentum asperiorum censui admiscendum.

Ceterùm & mysterio hanc scriptionem carere nolui; quod intelligere non erit necesse nisi lecturum: nemo verò, opinor, magis assequetur, quàm ex Legatis Ratisbonensibus nonnulli, præsertim qui ex parte Ptotestantium, imprimisq; Suecorum & Saxonum adsunt: quorum aliquos de curanda suorum intemperie, ad occupandam in consensu animorum imperii felicitatem minus idoneâ, quam modestissimè commonitos volui, aliorumque ostendere ad bona consilia viam. Illorum plagas si alicubi molli tangam manu, intelligent me ad salutem felicitatemque procurandam facere. His Lector vale, & beatâ, quam tibi hoc meo labore aperire conatus sum, vitâ fruere.

CA-

CAPUT I.

Quis hominum in hac vita feliciſſimus cenſeri debeat?

DUo Veterum, diverſis magis moribus, quàm ſententiis, inter ſe certabant Philoſophi, Democritus & Heraclitus. Nam cum uterque hominis vitam variis expoſitam calamitatibus, & mortis potius quàm vitæ dignam nomine cenſerent: ille tamen, qui huius vitæ ſectarentur vanitatem, tanquã ſtultiſſimos mortalium ridebat, ſanniſq; ac ludibrio excipiebat; hic calidis atque irremiſſis deflebat lacrymis. Riſeritne, an fleverit Salomon, cum clamavit: *vanitas vanitatum & omnium vanitas!* tuo ego, ô Lector, affectui judicioque relinquam. Certè, & riſibus, ob tam inſanè hanc vanitatis auram conſectantes; & lacrymis, ob tot hac inſaniâ pereuntes, digna locutus eſt. Hippocrates Medicorum primipilus memorat, ſe à popularibus Democriti Abderitis, ad Philoſophum hunc curandum (quem amentiâ laborare credebant, cum ſuorum rideret civium amentiã) accerſitum veniſſe; ſed hac à Democrito oratione

I. Democritus riſu, Heraclitus lacrymis vanitatem hominum dignam cenſuit.

Epiſt. ad Damagetum.

tione exceptum : *Totus homo ab ipso ortu morbus est ; dum educatur inutilis, auxilium supplex implorans ; dum increscit improbus & demens est ; institutione puerili indigens ; in ætatis vigore constitutus audax ; in ætate marcescens miserabilis, suos labores per imprudentiam excolens.* Talem igitur, cum elatum superbumque videret incedere, jactare sui generis nobilitatem, viresque, virtutem, atque opes extollere ; quid ni ad ejusmodi deridendam stultitiam moveretur ? Præposuit quidem Deus hominem animantibus cæteris ; sed iisdem quoque tanquam mendicabulum subjecit, ut à singulis exoraret sibi necessaria. Unde Plinius merito ambigit : *Parensne melior homini natura, an tristior noverca fuerit ? Ante omnia,* inquit, *unum animantium cunctorum alienis velat opibus : ceteris varia tegumenta tribuit, testas, cortices, coria, spinas, villos, setas, pilos, plumam, pennas, squamas, vellera : hominem tantum nudum, & in nuda humo natali die abjicit, ad vagitus statim & ploratum, nullumq; tot animalium aliud ad lachrymas. Ab hoc lucis rudimento (quæ ne feras quidem inter nos genitas) vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus. Itaque feliciter natus, jacet manibus pedibusque devinctis flens animal ceteris imperaturum, & à suppliciis vitam auspicatur, unam tantum ob culpam, quia natum est. Prima roboris spes primumque temporis munus quadrupedi similem facit. Quando homini incessus ? quando vox ? quando firmum cibis os ? quamdiu palpitans vertex, summum inter cuncta animalia imbecillitatis indicium ? Cetera sentire naturam*

II. Homini minus in vita quam ceteris animantibus prospectum.

lib. 7. c. 50.

naturam ſuam : alia pernicitatem uſurpare, alia præpetes volatus, alia vires, alia nare; Hominem ſcire nihil ſine doctrina, non fari, non ingredi, non veſci; breviter non aliud naturæ ſponte, quam flere. Itaque multi fuêre qui non naſci optimum cenſerent, aut quam ocyſſimè aboleri. Hoc vitæ mortalis initium; ſed quis porrò ejus progreſſus? Origines talem, pro quolibet hominum ſtatu depingit. *Vita,* ait, *ærumnoſa quam humores tumidāt, dolores extenuant, ardores exſiccant, aëra morbidant, eſcæ inflant, jejunia macerant, joci diſſolvunt, triſtitiæ conſumunt, ſolitudo coarctat, ſecuritas hebetat, divitiæ jactitant, paupertas dejicit, iuventus extollit, ſenectus incurvat, infirmitas frangit, mœror deprimit, & poſt hæc mors interimit.*

Super Iacob. 4.

III.
Non initium ſolum humanæ vitæ, ed & progreſſus ætatum miſer eſt.

In hac igitur vita, quem demum felicem eſſe dicemus, ubi eandem cum infima plebecula ſortem, Regum Principumque capita adeunt? ubi neq; opes, neq; inopia, nec dignitas, nec ſervitꝰ, à calamitatū onere eximit? Ruſticus es? Labores te obruunt. Princeps es? curæ te lancinant. Pauper es? indigentia te affligit. Dives es? deliciæ te enervant. Puer es? ignorantia te vilem facit. Adoleſcens? ſtudium coarctat, & diſciplina. Juvenis es? cupiditatibus aut jactaris, aut opprimeris. Vir es? mille negotiis & quavis ſorte jactaris. Senex es? omnes in te languores morbique ac mors denique funeſta impetum faciunt. Jam verò in quovis ætatis conditioniſque ſtatu, quot animæ corporiſque vitia felicem hujus vitæ ſortem infeſtant? quot animæ poten-

tias facultatesque, quot corpus artus & humores possidet; tot, & multò plura morborum sese inferunt genera. Memoriam oblivio, intellectum multarum rerum ignorantia, voluntatem mille depravati affectus corrumpunt. Ipsa sæpe recordatio, scientiaque perversa est. Phantasia, quot in nobis & qualia monstra parturit! Concupiscentia quot vitiorum scaturigo est! Singuli corporis sensus quot, & morum, & morborum defectibus obnoxij sunt? Unius oculi Galenus CXV. morbos computat. In senium, quod plerique sperant, integra malorum illuvies derivatur. Genua labant, nervi contrahuntur, frōs rugis contrahitur, hebescunt sensus, spiritus languet, anhelitus fœtet, dentes putrescunt, aut excidunt, crines defluunt, nares distillant, caput concutitur, cerebrum exsiccatur, paralysis, & apoplexia minatur: tremor in labris, pallor in facie, torpor in articulis, trepidatio in manibus, rheuma in pectore, tarditas stuporque in membris est omnibus. qui graviorum morborum ac venturæ brevi mortis prodromi sunt. Et tamen feliciores in ceteris habentur, qui à longo annorum curriculo ad mortalis vitæ metam, tot calamitatum victores decurrunt. Vt hanc denique quæstionem solvisse videar: Si dicam felicissimos in hac vita esse, qui plus reliquis miseriarum perferunt. Et certè hanc esse præcipuam, quæ in diuturna vita est, felicitatem, ple-

IV. Senium præ ceteris afflictū, quāvis pleriq; hoc expectant.

V. An igitur in longa vita, quā apperimus, felicitas consistat?

plerique sentire videntur, si credimus Stoicæ Philosophiæ principi Senecæ, dum inquit : *Nemo quàm bene vivat, sed quàm diu, curat : cum omnibus poßit contingere, ut bene vivant; ut diu, nulli.* Quod si ergo longam quisque vitam, juxta Philosophum bonæ præfert ; maiorem in illa, quam hac felicitatem esse positam arbitratur. Unde denique concludendum restabit felicissimos in hac vita censeri senes, adeoque illos, qui plurimum sustinent calamitatum.

Lib. 3. Ep. 3.

Sed vereor, ut hac mea oratione fidem apud omnes, etiam senes ipsos ac Senecam, mereri possim. Nam etsi verum sit multos vitæ annos, cum laude exactos, in magna parte felicitatis censeri posse; tamen hæc felicitas jam cum annis elapsa, magis fuit, quam possidetur. Præteriti autem boni quæ potest esse felicitas? Augustus Cæsar (qualis quantusque Imperator!) vixit diu; sed in senio, cum abeundum imperio esset, quæ obsecro ejus felicitas? Rectè senex Pontico de annis sciscitanti, ita respondet.

VI. Vana est longæ vitæ felicitas.

Sæpè rogas, quot habes annos? respondeo, nullos.
Quomodo? Quos habui, Pontice, non habeo.

Lapsi sunt, evanuerunt, perijt siqua eorum fuit felicitas. Jam verò neque præsentis temporis, quod momentaneum, neque spes futuræ senectutis felicitatem inferre potest. Cum præsens inter manus captantium elabatur, futura prorsus incerta sit. *Quam stultum*, ait Seneca, *est ætatem disponere, cum nec cras-*

lib. 19. Epist. 1.

crastino dominemur. O *quanta dementia est spes longas inchoantium: Emam, ædificabo, credam, exigam, honores geram: tum demum lassam & plenam senectutem in otium referam.* *Omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia sunt.* *Nihil sibi quisquam de futuro debet promittere.* *Id quoque quod tenetur, per manus exit, & ipsam quam proximus horam casus incidit.* Quod utinam multi expendant, qui dum hanc longæ vitæ felicitatem captant, decepti protinus depositique in obvia insperataque morte amittunt. Mille dum ingentia disponunt in futurum opera, repentè sublatos ex oculis vidimus, & nondum rebus nostris timemus? Nullum hic, aut Cedri egestas, aut Cræsi majestas, aut Saulis potentia, aut Salomonis Sapientia excepit hactenus; & quisquam sibi fidat? Quærere felicitatem; sed in longa vita reperire non poteris.

VII. An Regũ Principũque huius mundi vita sit felicissima?

Ubi igitur felicissimum inveniemus hujus vitæ genus, an in auro, purpuraque hujus Mundi Principum, quorum imperia latè fusa, opes amplissimæ, honor decusque supremum est. Quibus subjectæ gentes ad nutum famulantur, libertas vivendi incircumscripta est, leges ipsæ subsunt, quibus, nemine subditorum resistente, quod libet penè ubique licet. Certè plerique mortalium hos felicitatis humanæ apicem consecutos arbitrantur. Ut siquis ad tale denique regnum aspirare se posse videat, huic nihil in vita tam durum queat objici, quod indefesso labore, invicto-

victoque, inter summa etiam vitæ discrimina, animo, non aggrediatur. Quot homines imperandi amore funestissimis inter se præliis congressos vidimus! Hæc penè unica ubiq; gentium ambitio, tot nationes atrocissimis collidit cædibus, flammisque ac ferro terrarum orbem exscindit. Sæpe, ut unus imperare latius aliquantò possit, centena hominum millia sanguinem vitamque profundunt. Ut proinde dominari ac præesse mortalibus ceteris summa hujus vitæ felicitas censeri jure possit.

Non diffiteor, & dulce, & jucundum, & utile, & honestum quoque esse, adeoque & in magna felicitatis parte locandum esse, imperare ceteris, signari omnium digitis, observari ab omnibus, obsequium venerationemque plurimorum mereri, opibus etiam deliciisque pro voto affluere, leges aliis scribere, nec ab illis coërceri; subditos habere in potestate, hostes in timore. Verùm tamen, cum Dominorum nemo sit, qui sub majoris Domini potestate, ac imperio legibusque Sacrosanctis constitutus non sit: *omnis enim anima*, etiam Regum Principumque, *potestatibus sublimioribus subdita est*: &, qui populo imperant, *Dei sint ministri*: nisi huic rectè serviant, malè infeliciterque ceteris imperabunt. Hinc D. Augustinus ita disserit de civitate Dei; *Neque nos Christianos quosdam Imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel hostes reip. domuerunt; sed si justè imperant, & suam po-*

Rom. 13.

lib 5 c. 24.

VIII, Qua in re Principũ consistat felicitas.

testatem ad Dei cultum maximè dilatandum majestati eius famulam faciunt; Si Deum timent, colunt, diligunt, si plus amant illud regnum, ubi non timent habere consortes; si omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem salutis æternæ. Duæ omnibus Principibus leges universè præscriptæ sunt, quæ innumeras sub se alias complectuntur, ut *justè præsint subditis*, & *integrè subsint Deo.* Et in his primum quidem est, subesse integrè Deo. Fieri enim non poterit, ut aliis rectè imperet, qui Deo ipse, ut æquum in omnibus est, non paret. Cum longè gravioribus titulis ipse subjectus Deo sit, quàm subjiciantur ipsi homines, imò hos nisi exemplo bonæ vitæ, regere dignè nequeat. Quia

IX. Vt aliis rectè præsint, debẽt integrè subesse Deo.

Componitur orbis
Regis ad exemplum. Nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita Regentis.

Siquæ respublica Principem luxuriosum, avarum, injustum, impium possideat: quomodo hæc in subditis vitia corriget, quæ ipse perpetrat, nisi seipsum, cum aliis, improbitatis suo judicio condemnet? Cumque ante omnia bene imperaturo fas sit, Religionis pietatisque erga Deum curam subditis injicere; quòd frenum ad coercendam multitudinem potentius nullum sit, quàm divini Numinis reverentia metusque: Siquidem *per timorem Domini declinat omnis à malo*: Et *timor Domini disciplina sapientiæ*, quomodo hunc Dei cultum suadebunt aliis, quem ipsimet Princi-

Prov. 15.

pes?

pes vel neglectim curant, vel improbè aspernantur? Quam verò difficile principibus viris sit, in summa vivendi libertate, his vitam suam moresque adstringere pietatis legibus, quis non videat, ubi tot alii, sub disciplina licet ac servitute constituti, etiam exorbitant? Porrò alteram principalis vitæ partem implere,

Dicere jus lesis, iniustaque tollere facta.

magnæ molis opus, & tamen cuivis regenti necessarium est. Quod ut regnorum stabilimentum est, dum studiosè curatur; ita ruina est, dum temere negligitur. Nam *regnum à gente in gentem transfertur propter in iustitias, & iniurias* Justitia verò est quæ *ius suum cuique tribuit*, idque sine personarum discrimine, quæque quod alienum est, indebitumque sibi non usurpat, nec iniquis subditos oneribus opprimit. Jam quod varij principatus sint, ubi de neglectis judiciis, causisque in multorum damnum productis, atque everso communi jure, justæ emergunt querimoniæ: ubi prisca tributorum jura, novis artibus prætextibusque aggravantur, quis nescit? Et in quos denique, nisi in Reges Principesque nimia cupiditate æstuantes, hæc culpa redundat? quot sunt, qui majori studio res magis proprias, quàm subditorum curant; cum tamen ad horum præcipuè emolumentum dominatus repertus sit, æquiusque sit, ut multis, quam uni rectè consulatur; nec respublica propter Magistratum, aut regnum propter

Eccl. 10.

Regem; sed Rex & Magistratus propter regni & reip. bonum institutus sit. Unde siquæ vitia inter subditos invalescant, & siquæ bona negligantur, supremo inprimis capiti imputantur, cuius erat totum corpus, ex rationis æquitatisque præscripto, moderari. Rex fuit potentissimus sapientissimusque qui sic Reges omnes allocutus est. *Audite Reges, & intelligite, discite Iudices finium terræ. Data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra & cogitationes scrutabitur; quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ. Horrende & citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur:* Talem contra semetipsum suique similes, ex ore Dei, Salomon sententiam protulit. Quæ, (ut venena insidiasque Regum capitibus præparatas non tangam) siquis cum innumeris rebus, quarum, ut cura, sic ratio danda Principi incumbit, seria cogitatione expenderit, poteritne ille feliciorem ceteris arbitrari hominem, qui pluribus, in auro licet ac purpura, rerumque omnium affluentia, imperat? Certè nec ipse Rex Salomon, quamvis summam votorum & felicitatis regnandi apicem consecutus, hoc se nomine feliciorem esse statuit, qui sic Ecclesiasten librum suum orditur: *Verba Ecclesiastæ filij David, Regis Ierusalem: vanitas vanitatum & omnia vanitas!* Ergo Regem talem tantumque

Sap. 6.

XI. Severum Regibus à Deo judicium imminet.

Eccle. c. 1.

que eſſe, atque affluere rebus univerſis, *ſubſtantiasque Regum & Provinciarum posſidere*, cenſuit eſſe *vanitatem & afflictionem ſpiritus.* Idem, ut per multa retrò non abeam ſecula, ſuperiori ætate ſtatuit Franciſcus Borgia Gandiæ Dux, & Aloyſius Gonzaga Marchio Caſtilionis, denique ipſe Carolus V. maximus Europæ Rex atque Imperator, quorum illi deſertis, ſpretiſq; principatibus, nudatiq; rebus univerſis, ad arctam religioſæ pauperiſq; vitæ diſciplinam tranſiere, & ſervitutem hanc, omni poteſtate imperandi prætulére: hic ampliſſimo totius Europæ dominatu in Ferdinandum fratrem, & Philippum filium translato, ad Monaſterii ſolitudinem tranſiit, compoſiturus ingentium factorum cum Deo rationes in vita, ne in morte imparatus accederet. Nemo horum, qui non carere imperio longè ſatius feliciuſque eſſe duxerit, quam eiuſdem curis diſtineri, rationibuſque Deo teneri obnoxium. Non equidem negaverim videri dulcius præeſſe reliquis, quàm ſubeſſe, & imperia dare, quam accipere; ſed cum rerum momenta non ſuo tantùm guſtu & oblectatione; verum emolumentis omnibus exituque inprimis ac fine proprio æſtimanda ſint; felices cenſeri præ ceteris, niſi externa ſolum Specie ac dignitatis ſplendore (quo falluntur plurimi mortalium) non poſſunt, quibus tam arduum onus, tanto æternæ felicitatis periculo, imponitur. Inſanus enim æſtimator ſit, qui periturum ac breve bonum

c. 2.

XII. Salomon ac multi Sapientes Principũ ſortem infelicem eſſe rectè ſtatuerũt.

æterno immutabilique censeat præferendum, & hujus, quàm illius discrimen jacturamque ducat esse leviorem.

XIII. Ministri Principũ minus etiam felices sunt.

Quorum igitur hominum vitam dicemus esse in ceteris feliciorem? Nam si Principibus, ob administrationis justæ sanctæque difficultatem, sors non admodum felix obtigerit; præcipuis eorum, tam ex nobilitate, quam populo ministris, quorum fidei se suaque Principes committunt, minus erit de felicitate solida prospectum. Quidquid enim delinquunt Principes, per suos ferè ministros exequuntur, ejusdem cũm illis iniquitatis participes: quia iniqua imperanti obtemperant, non rarò etiam dum Principes justa imperant, sua cupiditate abducti iniq; obsequuntur, quando nunc favor, nunc cognatio, nunc pecunia, nunc vindicta, invidia, aut libido transversos agit, quod in tot corruptis judicijs, interversis rebus, aut neglectis Principum mandatis, viduæ in rep. pauperes, advenæ incolæque frequenti lamentatione testantur, ut horum sors hominum, deterior esse videatur; quandoquidem, & cum suis Principibus delinquentibus peccant, & his etiam æqua imperantibus sæpe ut par est, non obsequuntur: denique licet Deo Principibusque suis obsecundent, non rarò tamen felicitate vitaque excidant, si non proprio, vitio certè alieno; quod aularum invidiâ inconstantiâque nocentes juxta atque innocentes opprimantur. Nec opus erit ad hanc rem ex priscis Imperatorum aulis Seia-

nos.

nos, Narsetes, aut Belisarios arcessere, aut Turcarum, regio etiam sanguine frequenter madentium, palatia invisere, proximas Anglorum Gallorumque aulas superioris ætatis lustremus, & quot infandæ cædes istic patratæ, quantum illustrissimi sanguinis fusum sit arbitremur, integra nobis ad ejusmodi tragœdias, quas præcipue Hæresis & diffidentia instruxit, evolvendas volumina vix sufficient. Henricus VIII. Anglorum Rex seculo XV. amore meretriculæ Annæ Bolenæ cæcus, à legitima conjuge & Ecclesia avulsus, per optimorum pessimorumque cædes Procerum grassatus, ad sceleratum propositum contendit. Volsæus Cardinalis divortij consultor (ut à Carolo Imp. Regem abduceret) ipse demum ad carceres ductus, morte supplicium præoccupavit. Thomas Morus Regni Cancellarius, & Fischerus Roffensis Episcopus, incestis obnixi nuptiis, mori pro fide coacti sunt. Thomas Cromvellus, & Cranmerus ex familiaribus Bolenæ, ille præcipuis aulæ ministerijs, hic Cantuariensi Archiepiscopatui admotus, uterque, ille per Henricum, hic per Mariam filiam turpi morte sublatus est. Ipsa Bolena denique levitatis comperta, cum Georgio Boleno fratre, Noresio, Vestono, Bruertono, aliisque scelerum complicibus, infamis supplicij pœnas dedit. Nec satis malorum. Eduardus ex Seimera patri defuncto successit, totumque regnum Zvvinglianis, cum reliquorum oppressione, indulsit. Sed

Sanderus in Schis. Anglic.

Sed hoc impubere defuncto & Mariâ sorore ex legitima Henrici conjuge Catharina succedente, ut hæresis exscinderetur, non paucorum rursum Procerum cervices resecandæ erant. Verùm & hac brevi mortuâ Elisabetha, ex Bolena, soror ejusdem regnum adijt, perque diversorum grassata cædes, restitutâ hæresi, ut supremum Ecclesiæ caput, incredibili Anglorum stultitiâ, adorata est. Robertum illa Essexiæ Comitem, suas ante delicias, ob suspicionem collusionis cum Hibernis Catholicis, capite minuit, Crario in memoriam facti servato, quod Legato Gallico Bironio, fortissimo militi & regni Marescallo, ceu præsaga sortis eidem imminentis, exhibuit, non leviter attonito; sed haud multò post conspirationis cum Bullionio Hugonotta comperto, eisdemque suppliciis absoluto. Non dicam Reginam Scotiæ Mariam ab eadem Elisabetha, odio fidei, interemptam martyrioque coronatam, nec ipsius filium Jacobum Anglorum Scotorumque Regem, primùm in Scotia à Comitibus Gauriensibus, deinde in Anglia conspiratione Procerum vix servatum incolumem, exitio in capita autorum recidente. Concludam de hoc regno in Carolo Jacobi filio, qui Patri succedens anno seculi huius 25. post infelices bellorum exitus, à Scotis captus, ab Anglis damnatus, 1649. subditorum sententia ferroque, publico in theatro, inter manus carnificis vitam reliquit.

Jam

Jam si ad ejusdem ætatis Gallicanam aulam transeas, non leviorem illic à cædibus Principum Regumque confusionem repertu- rus es. Henricos duos tertium, & IV. tan- tum repetamus memoriâ. Ille anno salutis 1575. relicto Poloniæ regno, sibi delato, post mortem Caroli IX. fratris, Galliæ regnum prætulit; sed quod principio libertatem reli- gionis Hugonotis indulsisset, ferventiores Catholici ligam Sanctam propugnandæ reli- gionis iniêre, Henrico Guisio Lotharingiæ Duce assumpto, qui Navarræo Condæoque oppositus, Rege principiò dissimulante, fuit; sed pluribus Guisio faventibus, cum hunc coronæ inhiare crederet, in aulam evocatum per sicarios sustulit, & Ludovicum fratrem Cardinalem, gravius de injuriâ questum, pari scelere adjunxit, quosque ex cognatione po- tuit, carceribus mancipavit. Unde Pontifi- cio anathemate perstrictus est, Catholicis, in- primisque Parisiensibus. Carol. Mayinio Gui- siorum fratri adhærentibus; ac repertus deniq; è sacra familia sicarius, qui, licet religionis specie, impiè tamen Henricum Valesiorum ultimum trucidavit. Post quem Henricus Borbonius Navarræ Rex, abjuratâ hæresi; tanquam sanguine proximus, ad coronam ad- missus, egregijs facinoribus Magni nomen sortitur. Sed postquam & suis offendisset vitijs, bellumque, Catholicis suspectum, in- gens moliretur, in ipso armorum apparatu, à perfido Ravilliaco in rheda confossus anno 1610.

Spondan. in Annal.

1610. repente occubuit, felix si hac calamitate pœnas absolvit. Hæc videlicet aulicorum Procerum adeoque & Regum ipsorummet incerta sors est, quæ vitri instar splendet ac frangitur, & si quam felicitatem assecuta est, hanc, velut in rotâ positam, dum eminere conspicit, subitò videt ad ima devolvi. Unde jure pronuntiavero, felicem beatamque vitam illic, ubi mundus illam potissimum consectatur, minime reperiri.

In alio proinde vitæ statu felicitas humana investiganda est. Ne verò diu per diversos oberremus, ex Sapientissimo hominũ audiemus, in quo ille præcipuum felicitatis præsidium collocaverit. Cum infelicem is Regum conditionem, ob graviffimum his imminens judicium adumbrasset: denique subjicit: *Optavi, & datus est mihi spiritus sapientiæ, & præposui illam regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius. Omne aurum in comparatione illius tanquam arena exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum.* Ecce opes & regna, quibus se felices esse putant homines. in comparatione Sapientiæ, despecta ac vilia. Quare hac una felicior, divitibus principibusque viris homo ad sapientiam eruditus futurus est, nec sapienti opinor quicquam facilè ex ceteris bonis deerit, nisi fallat nos Salomon, cum addit: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, & lætatus sum in omnibus.* Denique palmarium hujus Sapientiæ

Sap. 7. v. 7.

XIV. Eruditi ad Sapientiã ceteris mortalib9 feliciores sunt, quia per hanc sũmo bono conjungũtur. V. 11.

entiæ bonum adjungit. *Infinitus enim*, ait, *thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei propter disciplinæ dona commendati.* Hæc nimirum vera atque incorrupta felicitas est, summo bono potiri. Cui quantò arctius quisque conjungitur, tantò hac etiam in vita felicior censetur, quantò verò ab eo longius abest, tantò à vera felicitate ac vitæ huius beatitudine remotior æstimatur.

Hæc adeo recepta certaq; est veritas, ut nec gentiles quidem illa Philosophos fugerit, inter quos unus nobis Seneca pro omnibus futurus est: *Si* inquit, *beata vita nullius est indigens*, *omnis beata vita perfecta est. Nunquid dubitas, quin beata vita summum bonum sit? Ergo si summum bonum habet, summè beata est; quemadmodum summum adjectionem non recipit, quid enim supra summum erit? Ita ne beata vita quidem vita, quæ sine summo bono est.* Illi igitur in terris optimo modo; ut per sapientiam virtutemque fit, sociari; præcipua est hujus vitæ felicitas. Est enim sapientia rerum humanarum divinarumque scientia, quæ intellectum Deo conjungit, illique sociata virtus unit affectum, ut, quantum in vita licet, tota mens hominis summo bono copuletur atque in illo tutò & securè acquiescit. Neque hoc ipsum Senecam latuit. *Quid est autem beata*, quærit, *vita? Securitas*, respondet; *& perpetua tranquillitas. Hanc dabit animi magnitudo, dabit constantia bene iudicati tenax, & innoxia voluntas, aut benigna &*

Epist. 3. *lib.* 12.

lib. 14. *Epist.* 48

intenta rationi, nec unquam ab illa recedens. Ratio & Sapientia viam ad summi boni possessionem ostendit, pia voluntas sequitur, & apprehendit affigitque animum, qui in hac possessione securus tranquillusque, omnem hujus vitæ casum sortemque contemnit, nullâ prosperitate ac voluptate mundi delinitus avocatur, nullâ adversitate depulsus frangitur. Et hoc est ad summum felicitatis hac in vita apicem pertigisse, in quo, velut in olympi montis vertice, super omnem hujus mundi tempestatem consistit.

XV. Tales in vulgo facilius, quã divitum in aulis reperiuntur.

Felicem enimvero hominem ac beatum! Sed quo in hominum genere talem reperiemus? In caulá opinor facilius, quàm in aula. Nam frustra hic illâ supra investigavimus; illic eã posse inveniri tantò credibilius, quantò plures reperire licet sua sorte cõtentos. Vix reperturus es Regem tantâ regnorũ amplitudine ac copiâ fruentem, qui ampliora non desideret. At rusticum dari hominem, qui si res utcunque affluant, sua acquiescat fortunâ, Deique voluntate contentus vivat, quotidianum frequensque est. Ex quibus hunc illo feliciorem esse, verus sanusque rerum æstimator non negabit; cum hic in tributis à Deo opibus, ipsiusque providentiâ securus tranquillusque degat; is anxiâ solicitudine non possessis inhiet, de possessis etiam non admodum securus; quòd alienorum appetitor, propriorum sæpe periculum adeat. Juvat hoc loco Mendici hominis ante templi

fores

fores reperti exemplum à Taulero & Drexelio mutuari, ut quisque intelligat, quæ sit brevissima ad summam hujus vitæ felicitatem via. Et hæc tantò cuiq; obtentu facilior est futura; quòd neq; opibus, favore, amicitiaque hominum, neque nobilitate, neque honore mundi hujus subnixa, quemlibet, ex imo etiam grege, mendiculum admittat.

Taul. in Instit & Drexel de Conf. Vol. l. 2. c. 1.

XVI. Rara Mēdici hominis sapientia ac felicitas.

Fortè ad templi fores Theologorum non nemo Mendicum, ulcerosis tibiis multaque tabe fluentibus, deprehendit: huic prosperum diem precatus; cum is responderet: se nunquam habere adversum; at, inquit, felicem te esse jubeo: cui postquam iterum reponeret Mendicus: nunquam se infelicem fuisse, excepit Theologus. Ergone tu solus, & in ista quidem sorte tua, malos omnes evasisti dies? Evasi, ait ille, nec infelicitatem ullam sustineo, ut cui omnia ex voto cadunt: quando; quæ sapientissima sanctissimaque Dei providentia ac voluntate ordinata sunt; illa evenire mihi compertum habeo. Si me urgeat fames, si frigus calórve adurat, perinde atque in abundantia rerum lætor; quod utrāque sentiam esse sortem à Deo, cui placere nihil potest, nisi quod est optimum, cum voluntas ejus summè bona sit, quam par est omni approbatione complecti. Eà de causa felicem me censeo; quando omnem meam voluntatem, sic divinæ conjunxi, ut apud me non aliud sit velle, aut nolle, quàm quod vult, aut

non vult, Deus. Itáne verò, ait Theologus tu ista ex animi tui profers sententia? Quid si te ergo Deus statuisset æternis addicere damnatum ignibus; num acquiesceres probaresque? Non id vereor, respondet Mendicus. Duobus, ne id possit, brachiis arctissimè, nexuque insolubili Deum complecterer. Unum brachium subjectissima humilitas per mei oblationem, alterum est amor syncerissimus per Dei dilectionem. His Deum, quocunque me ablegaret, unà abstraherem, optatiusque mihi foret, extra cœlum esse cum Deo, quàm sine illo versari in cœlo. Hæsit Doctor attonitus. Et quis tu, inquit, es, mi homo? Quisquis demum, respondet, sim, mea sorte usque adeò contentus sum, ut cum omnium illam felicissimorũ Regum sorte commutatam nolim. Ergo, excipit, Rex tu es absque regno? Nec sine hoc sum, Mendicus ait; cæleste mihi regnum certis chirographis promissum teneo, ac quoditie nuntium de hoc adeundo exspecto. Hæc porrò, quis te docuit? Theologus quærit. Sola, inquit, familiaritas, per frequentes preces quæsita, cum Deo, & conjunctio cum summo bono, quod unum qui possidet sibique devinctum habet, possidet ac habet omnia.

XVII. Hanc sapientiam par est cōsectari omnes, qui felices in hac vita esse desiderant.

En sapientiam in triviali homine, sed non haustam de trivio. An non manifestè deliramus mortales omnes, quotquot veram in hac positam felicitatem non consectamur? Quid verius, quam in omnibus, quæ vel pro-

spera

ſpera excipimus, vel adverſa patimur, Dei circa nos fieri voluntatem? quid certius, quam quod omni arte conatuque noſtro hanc nequeamus evertere? Fient, fient cuncta, prout æterna Dei providentia & ordinatione conſtitutum eſt, ſive obluctemur inviti, ſeu volentes approbemus. Illud profecto obnitentes nos audere nefas ſit, cùm voluntas Dei & ſapientiſſima ſit, quæ dirigi prudentius nequeat, & juſtiſſima, quæ corrigi non debeat. Quin igitur, quod Mendicus iſte fecit, conſentiente illam voluntate, tanquam ſummum hujus vitæ bonum, in quo ſolo acquieſcere tranquillè liceat, amplectimur, atque exoſculamur? Alia hac in vita major nulla poteſt exſpectari felicitas. Non in regni opibus ac fortitudine: Nabuchodonoſor his deluſus eſt. Nec in donis corporis formaque ac gratia hominum: Abſolon his deceptus eſt. Nec in robore viribusque corporis: Samplon his proſtratus eſt. Nec in multitudine ſervientium hominum: David his punitus eſt. Nec in deliciarum affluentia: Salomon, quantumvis ſapiens, his prçcipitatus eſt. In uno (quod dixi ſummum bonum) ſtudiosè quæſito invenies omnia; extra hoc unum nihil erunt cetera omnia.

Ex hac facilè Philoſophia ſcrutaberis reperiesque: Quinam hominum hujus vitæ felicitatem propius aſſequantur; quinam contra ab illa divellantur longius.

XVIII. An divitie hujus mundi, non possint felices censeri?

Felicitas hujus vitæ, quam commune vulgus hominum prensat, est in trium, aut quatuor rerum affluentia, opum videlicet, honoris, voluptatis, & sanitatis. Quorum tamen bonorum nullum Mendicus ille, quem felicem pronuntiavimus, in sua sorte possidebat. Magna igitur hujus, quam sapientes æstimant, & illius, quam Mundus extollit, felicitatis discrimen. Opponamus igitur divitem talem Epulonem, Lazaro ante ostium ulceribus pleno. Vestitus purpura & bysso splendeat ille in lautissimo mensæ apparatu, epuletur quotidie splendidè, nobilis ei famulantium ministrorum manus serviat, longa clientium & amicorum series obsequatur, & stipet, nihil ad voluptatem, honoremque exoptatum desit. Hic contra vix laceris obtegatur corpus pannis, ulceribus toto plenus corpore, ad sedandam inplacabilem famem, vix micæ illi panis suppetant; nullus mortalium ejus miseratione tangatur, aspernetur etiam, irrideat, ac conculcet. Ille tamen conscientiâ exulceratâ, quam gula, quam luxuria, quam superbia, & avaritia aliorumque scelerum huic felicitati affinium noxa aggravet, sine intermissione stimuletur: hic quieta, & gravioris facinoris innoxia mente, ad Dei, hanc calamitatem irrogantis, voluntatem recipiat, divinique ipsius consilii beneplacitum amplectatur, dicatque cum Paulo: *non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabi-*

Rom. 8.

tur

tur in nobis. At ille contra, vel invitus illa Christi verba audire cogatur; *Væ vobis diviti bus, quia habetis consolationem vestram : væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Væ, cum benedixerint vobis omnes homines: secundum hæc enim faciebant pseudoprophetis.* Verè pseudoprophetis similes sunt ejusmodi divites, quia non nisi bona sibi prophetant, cum infelicissimus eorum sit exitus, qui ab omni sapienti est providendus, atque ex illo vera felicitas æstimanda. Vultis ex ipsa veritate intelligere, qui verè felices ac beati in hac vita sint? Christum in eadem concione audite : *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuritis; quia saturabimi Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati eritis cum vos oderint homines, & cum separaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen vestrum, tanquam malum, propter filium hominis. Gaudete in illa die, & exultate; ecce enim merces vestra multa est in cælo* Talem igitur hominis conditionem, si cum sorte divitis illius componas, an ab ipsa Sapientia, quæ Christus est, dissentire audebis? Si finem utriusque spectas, Epulonis & Lazari, hunc in opulenta requie, illum in extermo æternorum ignium cruciatu reperies, audiesque mirabilem utriusque sortis commutationem, hac sententiâ æternùm firmatam : *Recepisti bona in vita tua Lazarus similiter mala : nunc verò hic consolatur tu verò cruciaris.* Hoc, ante tot secula pronuntiatum, hodiedum iisdem, & post cen-

Luc. 6.

Luc. 16.

centum annorum millia, myriadumve, millionumq; dici verè poterit: *hic consolatur, tu verò cruciaris.* Et quantillo tempore, in mundo, consolationem Dives, & afflictionem Lazarus sustinuit? Compara si potes æternitatem, cum vita illorum mortali, & obstupesce cœcitatem mundi, qui divites felices, pauperes audet infelices pronuntiare.

At hujus, dices, vitæ opes, honoresque, ac delicias, cum æternis bonis Dives, Mundo Judice, poterit conjungere. Verùm quid Christus hac de re censeat audi: *Nemo*, inquit, *potest duobus Dominis servire; aut enim unum odio habebit, & alterum diliget; aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire, & Mammonæ.* Cavendum igitur ne serviat Mammonæ, qui illum possidet. Probitatem, inquies, in divitiis, virtutemque omnem consectabitur: cum præ inopia opes, ad hoc opem allaturæ sint. An hæc fieri posse negabimus, divitesque cunctos cœlo excludemus, cum divitiæ juxta ac paupertas à Deo sint? Huic propositioni Christus, in Evangelico adolescente, qui mandata Dei à juventute custodierat, severâ responsione occurrit, quando jussus opes distribuere pauperibus & Christum sequi, tristis abijt, & hoc servatoris nostri consilium neglexit. Quare Christus hanc deniqueformidandam divitibus omnibus sententiam tulit: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit, in regnum cœlorum. Et iterum, dico vobis: facilius est camelum per foramen acus tran-*

Mat. 6.

XIX. An divites huius mundi, si probi sint, jure felicioribus non accēseantur?

Mat. 19.

transire, quàm divitem intrare in regnum Cœlorum. Etiamne his cognitis felices pronuntiare divites cum mundo poteris? Certè cum Bernardo cogor dicere: *Aut Christus fallitur, aut Mundus errat*; at Christum impossibile est falli, Mundum igitur errare necesse est. Quocirca nisi talem nobis divitem adferas, qui volens lubensque, ex consilio Christi, opes suas liberali manu effundat in pauperes, opumque non tam possessorem se, quàm Dei loco dispensatorem constituat; nisi Davidem sequatur monentem: *divitiæ si affluant, nolite cor apponere*, nisi Ecclesiastico morem gerat rectè consulenti: *fili, si habes, bene fac tecum, & Deo dignas oblationes offer*: nisi denique Pauli ad Timotheum præceptum expleat: *Divitibus huius seculi præcipe, divites fieri in bonis operibus*: talem inquam, nisi exhibeas divitem, non faciet illi Christus locum in regno cœlorum. Nam, *divitiæ salutis Sapientia, & scientia: timor Domini est thesaurus eius.* Nemo divitum, nisi talis, beatus. Vis recepta hanc denique sententiam veritate firmari? *Beatus dives*, ait Syracides, *qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec speravit in pecuniâ, & thesauris.* Attende, quid subjiciat. *Quis est hic? & laudabimus eum: fecit enim mirabilia in vita sua.* Ut si diceret:

Ps. 61.

Eccl. 14.

1. Tim. 6.

Isa. 33.

Eccl. 31.

Rara avis in terris, nigroque simillima cygno.

XX. Rari, inter divites & honoratos, felices reperiuntur.

Hæc enimverò causa est: cur tot viri gloriosi in seculo, desertis omnibus, maluerunt nudi Christum sequi. Ideò lætus Franciscus Borgia,

ti sunt: Quidque ab eis, ut tales sint, requiratur.

gia, desertâ Caroli V. aula, relictis liberis, opulentoque Gandiæ principatu, cum subduxisset ad solitudinem sese: *Benedictus*, inquit, *Deus: laqueus cõtritꝰ est, & nos liberati sumus*, ut si ab opibus, honoribus, deliciisq; hujus mundi, quibus ante captivus tenebatur, in veram denique libertatem filiorum Dei emersisset. Quibus Deus in mundo favorem benevolentiamque majorem præstitit, quam Israelitis eorumque Regibus? Verùm horum omnium, opulentiâ, honore, & patrocinio Dei præstantium Regum vitam consule, vix tres quatuorve reperturus es, qui suâ hac sorte abusi non sint: plerosque etiam reperies, manifestâ defectione, & gravissimis sceleribus infames. Et tu tibi, in pari fortunâ, fidem, religionem, constantiamque facilem ausis polliceri? Nolo te ad Græcorum & Romanorum Reges ac Principes, per utrumque imperium, avocare. Ubi plures reperies à vera etiam fide; (ut reliqua taceam scelera) degeneres, quam in prisca & Apostolica religione constantes. Et horum tu etiamnum sortem felicem poteris deprædicare? Rex fuit, & opulentissimus & sapientissimus, qui postquam in omni opum, honorum, & voluptatum abundantia, nil nisi vanitatem & afflictionem spiritus reperisset: sic denique Deum pro se suppliciter affatus est: *Duo rogavi te, ne deneges mihi, antequam moriar: Vanitatem, & verba mendacia* (ut politicorum sunt hodie procerum quique honores & opes sectantur) *longe fac à me. Mendi-*

Prov. 30.

citatem

citatem & divitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria: ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam: quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & perjurem nomen Dei mei. Prævidit, infelix in tanta rerum omnium affluentia, Rex casum suum; & tamen, nec providentia, nec sapientia, nec virtus pristina tantùm valuit, ut nutantem labantemque sustineret, potentior huius mundi vanitas in tanto Rege (& quis sibi fidat?) ad pervertendum fuit, quam ad firmandum in constantia Dei timor reverentiaque, ac salus periclitantis animæ propria Certus ipsius lapsus est; an exauditus ad resipiscentiam prece sua; antequam moreretur, fuerit, incertum. Quare Apostoli ad Timotheum orationem hic evolvere juverit: *Qui volunt*, ait, *divites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* &c Quocirca, *divitibus huius seculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum; Sed in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum) bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* His ultra nihil addam, felix erit dives, qui hæc fecerit; qui neglexerit, prorsus infelix.

1. Tim. 6.

XXI. Magna hominum sententiarumq; de vera nujo vitæ felicitate obtinenda, varietas.

Ubi igitur, & quo in statu, ac vitæ conditione, hunc quem quærimus felicem hominem potissimum reperiemus? Unum dedimus mendicum, nec tamen ipsa mendicitas felices

efficit,

efficit, cum multis ad gravissima fuerit scelera incitamentum; quòd plerique felicitatem in opibus magis quam inopia sitam arbitrentur, adeoque per fas nefasque ab hac ad illas transitum moliantur. Contra, ut vidimus, divitum periculosa multis conditio displicet; ideoque cum inter abundantiam rerum, quietem felicitatemque optatam minimè reperiant, desertis mundi bonis fortunisque in solitudine & paupertate eandem consectantur. Alij privata in vita, tanquam ignobili atque ingloria, nullum reperiunt felicis beatæque vitæ gustum, atque idcirco honoribus principatibusque omni studio occupandis addicunt animum, rati istic quæsitæ felicitatis fructum gustumque obtinendum. Contra alij curis tumultibusque ac præcipitijs hujus vitæ deterriti, aut delatam potestatem fugiunt, aut jam possessam aversantur ac relinquunt, seque intra privatæ vitæ tranquillitatem recipiunt, & beatioris illic vitæ possessionem inquirunt; ut non ignotis hodie exemplis in Christina Suecorum Regina, & Polonorum Rege Casimiro intuemur.

Magna igitur, in sententijs adeò pugnantibus, de felicissimo hujus vitæ statu, & via ad hunc consequendum optima, nobis restat deliberatio. Nam licet ex ratione, ijsque, quæ supra memoravimus, abundè constet, felicissimum in hac vita illum esse, qui cum summo bono quod Deus est, quam proximè perfectissimeque conjungitur, idemque cum eo-

dem

dem sentit, probatq; : tamen cum ad hoc ipsũ adeò diversis mortales cõnitantur vijs, quæq; uni placet vitæ ad hoc obtinendum conditio, displiceat alteri; quin etiã, hæc ipsa felicitatis, quamvis certissima, ratio, possessioque in disceptationem vocetur, reperianturque qui à Dæmone potius, in hac vita, quam Deo felicitatem exspectent; aliquantò mihi in proposita quæstione excutienda diutius immorandum esse existimavi, illo tamen severioris quandoque dissertationis temperamento, ut misceantur dulcia utilibus, & rariores historiæ, ac naturæ artiumque arcana, tanquam curiosarum mentium pabulum, interponantur, ut felicitatis indipiscendæ studium citra fastidium consectentur. Illum tamen interea statuam dissertationis meæ, quanquam per varia, velut extravagante oratione effusæ scopum, quem nobis vera præfigit ratio adeoq à gentili Seneca ignoratus non fuit; quod *vera felicitas hominum innocentia sit, securitas & perpetua tranquillitas, quam dabit animi magnitudo, dabit constantia bene judicati tenax. Ad hanc autem* (quærit idem Seneca) *quomodo pervenitur? Si, ait, veritas tota perfecta est, si servatus in rebus agendis ordo, modus, decor, & innoxia voluntas.* Hisce igitur, per diversa hominum studia inquirendis, operam dabimus.

De morte Claudij. lib. 14. Ep. 4.

CA-

CAPVT II.

An felicitas hujus vitæ in nostra potestate posita sit, & quantum imaginatio nostra ad illam faciat?

FElicitatem hujus vitæ foris multi quærunt, & domi mentisque suæ in penetralibus ejus fontem possident, quem vel nesciunt investigare, vel certè negligunt. Quid prodest verò thesaurus domi abditus, si ignoretur? quin eius scaturiginem venasque exploramus? Visne indicem verbo. Imaginatio tua, sive phantasia est. Hæc Chymicæ artis, cui tot mortalium studia nequicquam impenduntur, non solum peritissima est, sed universalis quædam est rerum formatrix ac transformatrix, in Philosophia chimæras, & mille monstra parturit: in Mathesi machinas, quibus Archimedes aliquis totum terrarum orbem movere queat, jam dudum efformavit: in Medicina aquas pulveresque omnium morborum potentes: in Juris prudentia, certam auri ex re qualibet eliciendi peritiam obtinet: in humaniori literatura, jucundissimam eius partem, poëticam facultatem mirificè exornat. Pictori illa mihi peritissimo similis videtur, qui res quaslibet, non amœnas solum, verum & tristes, honestas juxta turpesque, possibiles simul impossibilesque

I. Imaginationis vis ac potentia in diversis diversa.

que

que jungere, suisque exprimere coloribus, formisque scitè potest. Nunc investigamus, an hujus potissimum formatricis Imaginativæ vi atque ingenio, quilibet hominum felix, aut infelix, censeri possit?

An vi illius felix aut infelix homo censeri queat?

Quam veritatem, ut facilius penetremus, vim illius in rerum natura, iisque animantibus quæ sensu prædita sunt, juvabit explorare. Est autem imaginatio, perceptio, impressioque specierum, ex rebus visibilibus, per sensus externos admissorum, in phātasia, seu communi sensibilium potentia, receptarum, cum animæ motu & efformatione phantasmatis expressi. Quæ quidem in brutis purè corporea, in homine simul est spiritualis animæ motus, variasque in toto corpore alteratiōes, cum quibuslibet, seu jucundis, seu molestis affectionibus solet producere; facilique ductu quà animales quà appetitivas atq; etiam loco motivas suum inobsequium potentias rapere, spiritusque ac humores toto corpore, ceu ventos aquasque, ad serenitatem aut tempestatem concitare, ut Homerica esse Circe, quæ Vlyssis socios in bruta, serenum cœlum in nubilum transformare, rursumque metamorphosi nova, restituere possit, videatur.

Illius natura describitur.

Quid in brutis animantibus phantasia queat, ex S. literis Patriarchæ Jacobi exemplo docemur, qui illius vi sibi explorata Labanum Herum suum felicitate superabat, potissima ovium parte sibi vendicata. Nam pactus cum Labano, ut sibi tantum varij coloris è grege obve-

Quantum in partus, à conceptu & nativitate vim exprimat.

obvenirent mercedis loco, cetera hero ac socero manerent, facilè assentientem habuit. Verum cum Jacob virgas populeas una parte decorticatas altera integras adeoque versicolores imposuisset aquæ canalibus, ad quas confluebant oves, juxtaque societate coibant, factum, ut ex virgarum conspectu, phantasiæ variata imaginatio, in vim generativam influeret, ac versicolores fætus efformaret, qui Jacobo ex pacto cedebant; ita ut Laban, mercede versâ, non nisi albas & uniformes Jacobo addiceret, quando idem decorticatis prorsus virgis, candidi plerasque velleris nactus, uni ovium phantasiæ hunc successum debere visus est, attonito ad tantam illius felicitatem Labano, causamque tam à se aversæ sortis ignorante. Pari industria *Isidorus* memorat Equisones in Hispania objicere equarum concipientium aspectibus bene comptos generososque equos, quorum, imagine sibi impressa, producant similes. Quæ cum etiam in hominibus locum habeant, Lacones olim, ut fortes formososque parerent, tales fœminarum obtutibus, refert *Oppianus* proposuisse. Quare idem suadet Isidorus, ut deformes animalium picturæ ab oculis mulierum gravidarum, aut concipientium submoveantur, ne imaginatio influens partum corrumpat, quod *Guilielmus Paradinus* in nepte Nicolai III. Pont. Max. evenisse tradit, quæ cum esset de familia Ursinorum, ideoque imagines ursorum in domo depictas phantasiæ impressisset, prolem to-

Gen. 30. & 31.

Isid. l. 12. orig. c. 1.

In hist. Sabaud. c. 46. in fine.

tam

ram villosam & ursinis armatam unguibus peperit. Unde Pontifex totâ urbe Româ ejusmodi imagines proscripsit. Ita Petræsanctæ, haud procul Pisis, puella hirsuta prorsus nata est; quòd ad matris lectum D. Joannes Baptista in Cameli pelle depictus hæsisset. Eadem de causâ Æthiopissas cognovimus prolem peperisse candidam, contraque Europæas dedisse nigricantem. Nam *Heliodorus* scribit Reginam Æthiopum Persinam, ex marito Hydaspe Æthiope prolem suscepisse niveam, Caricleam nuncupatam, quod intuita fuisset cum Perseo Andromedam, niveo colore adumbratos. Ita *Rhodiginus* asserit Fabium Quintilianum mulierem quandam Æthiopem parientem suspicione adulterii liberasse, quòd in cubili imago nigri Æthiopis suspensa hæsisset. Quocircà non nisi ingenuas honestasque icones ante oculos talium figendas esse, naturæ rerum peritiores consulunt. Et nec frequentiori sermone absurda earum phantasiis ingerenda. Non illepidum est, quòd *Cornelius Gemma* recenset Lovanii mulierem in consortio plurium, cum gravida esset, retulisse tempus sui partus ad festum 3. Regum, tum vero convivas ei precatos esse; ut tribus ergo Regibus similes in luce proferret, moxque hilari illam animo votum approbasse, dixisseque; quod ergo felix faustumque mihi sit; fiat: Nec fefellisse exspectationem; sed tres uno partu dedisse mares, & tertium ex iis nigricantem.

VI. Monstrosos variosque partus ab imaginatione causari.

lib. 1. hist. Æthiop.

lib. 20. Antiq. lect. c. 15.

lib. 1. Cosmotritica. c. 6.

Plurimis hæc res exemplis per omnem historiam compertissima est. Solentque qui columbas amant varias ac pulchrè coloratas, tales in columbariis scitè ante femellarum oculos adumbrare. Quod etiam de Gallinis aliisque avibus observatum, imò ad varietatem colorum inducendam, suadent ova coloribus imbuenda Pavones ovis incubantes, si niveo aut picto prætendas velo, niveos aut pictos experimur pullos producere. Observatum quoque ab *Alberto Magno* est, pullum ex Gallina cum Accipitris cervice natum, eò quòd Gallina ovis inhærens à prætervolante Accipitre turbata esset. Et de Gallina non pullum, sed serpentem proditurum *Medina* autumat, si ante oculos serpens volutetur. Quod nonnulli formas glirium, musculorumque in corpore ferant, facit terror horum à matribus conceptus, alii, quod fragorum aut cerasorum ideas corpori impressas gerant, matrum phantasia & desiderium his affixum fecit. Rubentes maculas concepit in facie proles, quando vinum rubellum in sinum parentis effusum fuit. In Belgio Lovanij, suo in Theatro *Beyerlingus* memorat, Philippum Meurs ad S. Petri ædem vixisse Canonicum, virum adeò senem, ut tria viderit secula; qui habuisse se asserebat sororem, toto perfectam corpore; sed capite destitutam, cujus loco concha illi testacea, quæ duabus aperiebatur valvis, erat, per quam cochleari ministratum sumebat cibum, usque

lib. 9. de animal.

In voce Imaginat. pag. 41, c. 2

ad

d annum ætatis XI; quando irata ministranti
ochlear fortius momordit, valvasque dissol-
it, ac sensim deinde extincta sit: resque hæc
rat in urbe majorum traditione certissima.
Causa ex imaginatione, & desiderio ingenti
nusculorum marinorum parentis ducta fuit,
t mulierum prægnantium appetentia est in-
olens, ac, si opportunè queat, explenda; ne
hantasma negatæ rei tenacius inhærens fæ-
ui imprimatur.

Quantum virium imaginatio in dor-
ientibus habeat, nihil attinet prolixius com-
emorare, deplorat ejusdem in felicentiam
ugustinus, quod dorminens ea admittat,
uæ nollet vigilans, concupiscentiæ visco ir-
titus. Multi noctambulones in somno ea
erpetrant solius phantasiæ ductu, quæ ex usu
gilantes peragunt; longa conficiunt itine-
munus impositum, nec indiligenter, obe-
t: qualem ego ex meis Collegis novi pro-
nis annis defunctum. Galenus somno op-
essus integrum confecit viæ stadium non e-
gilans, nisi cum ad lapidem offendisset. Ego
m in studiis versarer humanioribus, poëti-
que operam darem non semel versus longo
dine fudi, quorum evigilans metra nume-
nque complexus, post alterum tamen som-
m memoriâ fallente amittebam. Unde
nnunquam à primo sopore somnioque e-
ilans, arrepto calamo, adhuc præsentia ani-
 signavi, ac typo subinde etiam tradidi,
n non secus essent, quàm à vigilante elabo-

V.
Et suam in dormientes vim exercet imaginatio.
lib. 10. Conf. c. 30.

And. Laur. l. 4. hist. Anat. q. 12.

rata. Ruremundæ in Belgio, cum literis operam darem, famula mercatoris ad forum, noctu per fenestram parietemque tenuibus enixa clavis, in superius tabulatum ibat, redibatq illæsa, quod vigilans nunquam potuisset, adeo phantasia sæpe tenacius in somno figit firmatque, quàm ratio in vigilante, quòd perinde eo tempore in homine ut in brutis operetur, periculorumque cognitionem excludat, & tale in tectorum apices, ac puteorum se profund transferant, discriminis ignari. Ut proind cavendum, ne præcipitio inhærentes nomin suo compellantur, ad quod exauditum evigi lent, concidantque.

VI. Eadem ad morbos morteq; inferendã potẽs est, simulque ad reddẽdam desperatis sanitatem

Nec minus potenter imaginandi illa vi quosdam atrâ bili melancholicisque humoribus obnoxios commutat, quod cum diversi à me alibi exemplis traditum sit, hic prætereo solumque ostendo, ad morbos ipsamque con trahendam mortem mali imminentis imag nationem sufficere. Videas metu appre hensæ pestis, luem etiam procul absenter contrahi, & phantasiâ timentium magis, quàn contagione propagari. Ita nonnullos inte grâ valetudine lecto affixos solâ imaginatior morbi reperias, aliosque contra mediis in fe bribus æstuantes, tanquam incolumes strat decedere. Miramur jure quod *Marcell Donatus in historiæ mirabilis libro* 2. scribit quendam Vincentium nomine, tantam f corporis molem esse vano persuasum phar tasmate, ut ostium illæsus transire nequiret

hu

nunc verò, postquam Medicus arreptum transportaret, exclamasse, totum sese collidi, comminuique: nec multò post superstitem, tanquam omnibus confractum artubus, expirasse. Contra alios, qui lapillos, aut rerum quisquilias nulla virtute, sed solâ tantum persuasione remedii commendatos collo appenderant, convaluisse; quod mihimet in tenacissimis quartanæ febribus evenisse, dolo postea agnito, sum admiratus. *Trallianus* feminæ meminit, quæ morbum contraxerat, quod se falsa imaginatione serpentem devorasse persuasisset. Cui, ut subveniretur, potio vomitoria præbita est, obortoque vomitu, clam serpens in pelvim injectus: quo conspecto, phantasma cum morbo evanuit. Adeò in omnem partem imaginatio valida est, ut morbum juxta sanitatemque adferre mortalibus possit.

> VII. Mansuetos ad furorem, furentes ad mansuetudinem impellit.

Quid quod mansuetos ad furorem, furentes ad mansuetudinem queat inflectere. Pluribus exemplis compertum est, quod histriones in theatro personam furentis Herculis, Thyestis, aut Orestis acturi, dum eorum ibi furorem imaginatione vivâ imprimunt, ut actione seriâ imitentur, furiosorum simul amentiam contraxerint. Ita Æsopus Thyestem verè imitatus, famulum suum in theatro inferis immolavit. Et Bibius Romanus apud *Senecam* stultum scitè imitando, stultitiam contraxit. Felicior aliquantò illorum imaginatio fuit, qui Christianæ religionis sa-

> *In Declam.*

cra & exercitia fingendo, eandem deinde seriò professi sunt. In his Philemonis Mimi & Tibicinis excellentis, celebris memoria. Hunc Apollonius Christianus, non admodum sibi dissimilem conduxit; ut persona ipsius in publici sacrificii spectaculo sumpta, more suo sacrificaret. Nec recusabat ille; sed ut Apollonium habitu ejus procedens scitè exprimeret, Christianum se fingit, negatque sacrificaturum Diis esse; quod dum constanter, minas inter suppliciaque intentata, facturum se abnuit, & Philemon ab Arrhiano Judice, ut tibiis furentem mulceret, accersiretur; Philemon ibidem, ridente & plaudente, ob egregiè simulatam pertinaciam, theatro, adesse cognoscitur. Sed cum deinde, nec jussus quidem, Christiani hominis mores personamque deponeret, vitamq; prius illi, quàm Christi fidem deserere constitutum esset, unà cum Apollonio ad mortem quæsitus, victor palmam cadendo obtinuit felix suâ imitatione, atque imaginatione repræsentate salutis histrio.

Metaphrast. ad 8. Martij.

VIII. Ejusdem objecti amor odiũve solius phantasiæ varietate conciliatur.

Jam quantum in amoris odiique, ac reliquis prosecutionis, aut fugæ affectibus conciliandis imaginatio possit, quis ignorat, aut in se aliquando non experitur? Idem sæpe objectum, quod gratum jucundumque aliis, aliis reddit detestabile; ut simile illis videatur picturis, quæ hinc aspicientibus monstrum, aut Dæmonem; isthinc contuentibus speciem amabilem Angelumque, mathematicâ arte, ostendunt. Joseph olim parentum amor &

deliciæ

deliciæ, fratrum odium, & execratio erat. Eadem Thamar, quam amabilis ante scelus Amnoni fratri, tam post illud detestabilis eidem visa est. Mille exemplis constat, dilectas primùm insano amore feminas, odio deinde implacabili execrabiles fuisse. Helenæ formam deperiere alii, alii detestati sunt. Quid, quod nec Thersites, nec Æsopus, plerisque suâ ingrati deformitate, caruêre amatoribus. Anna Bolena, nec formâ, nec indole probata, adeò Henrici VIII Anglorum Regis occupavit animum; ut Hispaniarum Regi, Cæsarique, ac Pontifici, tum optimis sui regni proceribus, Majorumq; religioni, ac Romanæ Ecclesiæ inimicus esse maluerit; quàm projectæ mulierculæ amore non frui, cui tamen post triennium, mutato affectu, non odium solùm, verùm & mortem infamem reposuit. Usque adeò variis phantasiis mundus regitur.

IX. Ad bestias usque imaginatio humanũ amorẽ inflectit.

Invenias, qui ad bestias usque, imaginatione boni, amorem suum inclinent, defigantque in eisdem. Alexandro magno Bucephalus equus in deliciis fuit, pro quo nonnunquam ab hostibus capto pretium ingens redemptionis obtulit, mortuoque nobile sepulchrum erexit. Sybaritæ equos quoque ad convivia saltantes introduxêre, quod spectaculum placuisse superioribus, in nuptiali festo, annis etiam Leopoldo Imperatori vidimus. Antoninus Verus Imp. Equo Prasinæ factionis celerrimo, aureum conflavit simulacrum, quod secum ferret, quò illius ubique se

Sabel lib. Enn. 7.

 equi

equi electaret memoriâ. C. Caligula Imperator etiam ad mensam secum adhibuit equũ sibi charissimum, atque in auro eidem hordeum vinumque apposuit, denique creatus Pontifex, equum collegam sui accivit sacerdotii, pollicitus quod eundem secum sit pronuntiaturus Consulem.

Xiphilin. in Calig.

Qui Canum amore teneantur, eosque in deliciis habeant, non sunt inquirendi, adeò frequentes habentur. Sua etiam hinc Canum spectantur Epitaphia. Tale Bononiæ visitur sermone Italico,

Latrai à Ladri, à gli Amanti tacqui,
Onde à Messeri, & à Madonna piacqui.

Hoc est, *Latronem allatravi & Amatorem tacui: Hinc Dominis ac Dominæ serviendo placui.* Lovanii suis in ædibus, proximâ ætate, Justus Lipsius Saphyro Catello suo tumulum cum epitaphio constituit. Murenâ pisce suo in vivario delectatus magnopere Crassus, quam propriis manibus pascebat, mortuam verò non secus ac filiam luxit. Quod cum illi à Domitio, in censura Collega, publicè verteretur probro: *fateor* ait *me ita pium, ut Murenæ etiam casum deplorem; sed te ita durum, ut ex tribus quas extulisti uxoribus nec unam deplores.*

Plut. in anim. compar.

Sed quis non admiretur Tiberio Cæsari in oblectamentis Draconem fuisse serpentem, quem sua ipse cibaret manu? Hunc tamen ubi à formicis novo prodigio consumptum reperisset, jussus ipse est cavere populi multitudinem;

Suet. in Tiber.

dinem; sed huius favore usus Caligula, illum, ut teneret imperium, oppressit.

X. Ad inanimata quoque ut aurum gemmasque perditè amandas projicit.

Jam auri, argenti, gemmarumque insanos amatores quot qualesque mundus habet! Et tamen longè hæc rebus animatis deteriora sunt. Leo IV. orientis Imp. adeò gemmis delectatus est, ut direpto sacrario S. Sophiæ, magni sibi hinc pretii ponderisque coronam aptarit, quâ sæpius usus tam pondere quàm frigiditate lapidum, morbum fatalem contraxit. Rectius Camerinus Princeps Rudolphus de lapidibus judicium tulit. Nam cùm Neapolim ad Ducem Andegavensem in castra profectus, suppellectilem ipsius pretiosam, saphyros, carbunculos, ac margaritas lustrasset: *quanti*, rogat, *ista æstimas?* cumque ingens illorum esse pretium Dux assereret; *at*, excepit, *duos, vix decem florenorum, lapides possideo, qui mihi plusquam ducentos quot annis in fœnere pariunt, cum tu steriles prorsus lapillos possideas, solo fulgore contentus.* Mirantem hæc Ducem, & videre cupidum, ad molendinum à se constructum deduxit, geminosque istic molares ostendit, quos cum utilitate possideret; cum Dux sua se tantum imaginatione pasceret. Ita multi inter mortales afflictissimi, mediasque inter aurum opesque reconditas Tantali, qui præter curas, timoremque amittendi, nihil hinc commodi referunt, ac deniq; audire coguntur: *hodie repetent animam tuam, &, quæ parasti, cuius erunt?* Heredibus illa relinques, sed an gratis, & rectè parceque usuris?

Platina.

Poggius in facet.

quam illud incertum! Si malè quæsita bona sint, quanto animæ tuæ malo! sed & heredum fortasse; cùm *malè parta malè dilabantur!* Vt, *de male quæsitis non gaudet tertius heres.* Si bene comparatæ opes, cur tu illis rectè uti ad animæ tuæ salutem, pauperum solatium, Deique honorem non maluisti? Cur hanc posteris materiam scelerum potius, quàm virtutum (ut quotidiana testantur exempla, cùm supra necessitatem res affluunt) offerre voluisti? Ut laudandi sunt, qui suorum necessitati consulunt; ita reprehendendi, quotquot eis divitias possessionesque supra conditionem statumque admetiuntur, habituri sæpe infernum pro præmio, suamque & posterorum animas perdituri. Non fallit Christus etiam in probo, sed opibus affixo, adolescente, *quam difficile, qui pecunias habent in regnum Dei intrabunt!*

Luc. 18. v. 24.

Unde hic igitur in hominibus, ceterà prudentibus, magnisque, vulgatus error, nisi à phantasia aberrante, quæ ingens in auro, gemmisque, aut ditionibus populorum, in potestate nostra positis, bonum collocat? Duorum tibi proponam hominum Græcorum, Alexandri & Diogenis, phantasiam omnino pugnantem, quorum uterque in re diversissima, ille in summis opibus, & latè dominandi potestate, regnorumque amplitudine; hic in rerum omnium inopia, contemptuque, summam huius vitæ felicitatem captabat. Quanta ex sola imaginatione studiorum diversitas!

XI. Alexandri & Diogenis in felicitate huius vitæ quærēda phātasiæ pugnantes.

In

In quo hic summam posuit felicitatem, alter infelicitatem supremam collocabat. Adeò ut Alexander videre tam sibi dissimilem hominem, & coram alloqui desideraverit. Ad illum igitur, suo in dolio apricantem, accessit; & num quâ re egeret, aut quod donum à se postularet? interrogans, pro responso habuit; nihil postulare se, nisi ut *ne auferret solis lumen, quod dare non posset.* Umbram enim soli obsistens faciebat. Intellexit repentè Alexander hominem repertum, qui quantumvis diversissimæ vitæ morúmque, secum jure de felicitate certaret, cumque pluribus id quæstionibus responsisque ultrò citroque datis comperisset, ad suos conversus, inquit: *nisi Alexander essem, Diogenes fierem.* Craterus deinde Alexandri Magni præfectus delectatus philosophia cynicâ hominis, suam illum ad aulam mensamque invitavit, sed respondit Diogenes: *malle se Athenis salem lingere, quam apud Craterum opiparâ frui mensâ.* Prædicantibus deinde beatum Callisthenem Philosophum, qui cum Alexandro Rege pranderet, Imò verò *infelix*, inquit, *gratia est, nam Callistheni prandendum, cum Alexandro visum est; at Diogenes prandet, cum placet Diogeni.* Ita hic Philosophus in omnium rerum inopiâ, cui dolium pro domo, vola manus pro scypho & mensa esset, cœlum pro aula, solitudo pro deliciis, libertas nulli subjecta, nulliusque fortunæ & hominis metuens, reliquos mortalium tanquam infelices, & veræ sapientiæ expertes de-

Plut. & Laert. in vita l. 6.

deridebat. Quid hic statuemus, quàm feremus sententiam, cum utraque se partium, suâ imaginatione, feliciorem esse apprehendat? Quam pauci mortalium erunt, qui cum Diogene stare velint! Et tamen sapientissimus Regum hominumque, qui postquam supra Alexandrum possedisset longè maxima, ad hæc ipsa conversus, dixit: *vanitas vanitatum & omnia vanitas!* nihilque se in his reperisse dixit, *præter afflictionem spiritus.* Et sanè qui ingentes thesauros recónditos pro consanguineis possidet; &, ne intervertantur, formidat, quiquis illos habere se tantùm somniat, eisq; ad libitum frui; quis eorum tibi videtur felicior: an is qui meticulosè trepidat; an qui deliciosè se frui imaginatur? Ego sanè huius felicitatem sine opibus, illius inter opes afflictioni præferam. Vides igitur imaginatione solâ te felicem esse posse. Nobilis in Italia familiæ vir multum coarcervarat auri argentique, quo in terram defosso, peregrè versabatur, cum Pater senex ingenio, quod rarum, liberaliori subductum aurum in usum familiæ agrosque locupletiores convertit, lapidibus in thesauri locum suppositis. Filius re adhuc incomperta, & phantasia reconditi fruens, pristinâ felicitate sua perinde ac verus possessor, gaudebat. Re verò intellectâ turbatus, hac oratione à parente corrigitur: *Fili, quid tuâ refert, lapides an aurum habeas, si terra obtegenda sint? Imagineris aurum inibi latere sepultum, nihil possidebis minus, hoc quoque supra sortem obtinebis*

XII. Possessio opum nō facit hominem felicem.

Petrarcha de remed. utriusque fort.

Vide Ollariam in Palæst. mea ligata p. 3.

bis pristinam, curarum vacuus, & tuarum securus rerum, non fraudem, non insidias, non hostem timebis, non servis egebis, non custodiis. Nota quoque est historia de parente, qui in filios immaturâ liberalitate bona partitus, ipse denique egere cœpit, plurisque filiorum onus alendi patris detrectantium, juxta axioma receptum, quod *facilius unus pater decem alat Filios, quàm decem Filii unum Patrem.* Quare, ut acuit indigentia ingenium, consilio non inconvenienti usus, copiosos à Trapezita commodatò nummos accipit, filiisque ad mensam invitatis, ab hac, velut ad negotium evocatus, in proximum conclave discedit; & volvere non sine strepitu atque expromere argentum de cista, moxque recondere incipit. Quod cum ipsi curiositate ducti per rimam observassent, mirati unde etiamnum tantùm argenti suppeteret; scitantur denique, quem in usum has servaret pecunias? Tum ille; an existimastis, me ita nudatum vestri gratiâ, ut nil in reliquas vitæ necessitates, & illorum, qui optimè de patre mererentur in senio, remunerationem liberalem sepofuerim? non equidem tam mihi inconsultè agendum censui. Sua maximè gratis servari præmia volui. Deinde recondito in bene obseratam arcam ære, omnes spe peculii incitatos, ad Patrem lautè excolendum certatim inflammavit. Redditis verò postea Domino pecuniis, arenâ lapidibusque opplevit cistam, *fuste*, cum lemmate in hanc sententiam adjuncto: *hoc*

dignus

dignus est, qui ante fata suis se opibus spoliat, ut filios ditet. Nihil hic intererat patris, lapides, an pecunias possideret? & filiis sola imaginatio, ad præstandum dignum & liberale obsequium patri sufficiebat, quâ etiam ante patris fata, feliciores suâ imaginatione extitêre. Faciamus clausam inter posteros, opinione thesauri, perstitisse diu cistam; nunquid refert, arenam interea, an aurum continuerit? sanè par utriusque, id est, nullus usus fuit.

Ita in omnibus opibus extra necessitatem sepositis res habet. Ignorato olim argenti usu, tantundem præstabat signatum numero corium. Coloniæ Vbiorum vix octava pars daleri Imperialis signata Scypho, * medium æstimatione dalerum æquat. In Hispania Poloniaque, defectu argenti, cuprum signant, quo argenti pretium repræsentant. Discrimen ex naturâ magnum; sed imaginatione æquatur.

* Signum vocant senatorium

XIII. Diversa hominum studia, & vana pleraque ex imaginatione felicitatis in re diversa.

Quam diversa nobilium procerumque orbis studia! Ex his alios venandi, alios ædificandi, alios bellandi, alios peregrinandi, non nullos etiam literarum, aut negotiandi amore videas occupari? Unde hæc ingeniorum, nisi ex diversa felicitatis imaginatione, nata diversitas? Quisque quo se beatiorem fore apprehendit, id potissimùm sectatur. Invenias, qui aurum argentumque in liquatorias fornaces profundant, ut, quod persuasum habent, arte chymica copiosius extrahant; sed quos facilius ex divitibus pauperes fieri vide-

as, quam ex pauperibus divites. nisi quod sua imaginatione ac spe ferè tantum locupletentur. Jam verò horum omnium sortem si ex vero æstimes, an cuiusquam tibi beata jure videbitur.

An venãdi & ædificandi studio felix quis esse possit?

Venatio multos fatigat, paucos ditat: fortunatus ex illa censeri potest, qui tantùm in feris recipit, quantum equis canibusque impendit. Si aprum aut taurum conficere volupe sit, id domi etiam laniones voluptatis habent, & absque graviori periculo. Multi apros prostravere, multos apri. Treverica adhuc silva à Milone Principe per aprum necato nomen possidet. Porrò ædificiorum multiplicatio pro eodem homine, cui bono? Ingentes domuum structuræ, ingentes minantur ruinas nec ædificandi solum impensæ, sed & conservandi requiruntur. Magna columbaria non nisi pro multis excitantur avibus; & alendæ sunt, quotquot admittuntur. Nusquam bene habitat, qui ubique habitat; & rarò quietus animus est, qui possessiones quærit diversas; desiderat, quæ non habet, & fastidit plerumque quæ possidet. Una anima, uno debet esse contenta corpore; & unum corpus, tantò animâ vilius, non acquiescat, unâ domo?

Brovv. in Milone.

XIV. Bellandi studium ab omni felicitate remotum.

Jam bellandi desiderium quot involvit stultitias! Exiguo opum, famæ & honoris lucro, mille sustinentur pericula, & vita salusq; quibus nihil homini sapienti debet esse carius, pro multò levioribus bonis in discrimen offerun-

feruntur. Rex aut Princeps unus amplificandi regni studio, triginta aut quadraginta hominum millia in hostem armata ducit, & nunc victor, nunc victus plerosque stygi immolat, ut exigua terrarum portione regnum crescat; haud multis post annis revolutione sortis (ut assolet) amissurus quæ possidet, majori etiam subditorum internecione. Unū Belgium quot brevi seculorum periodo Dominis possidetur, vi armisq; , non hereditate adeuntibus! quot, non dicam centena, sed millena hominum millia ferrum illic hostile sustulit! Obtegi sanè horum corporibus terra posset, humanoque tota irrigari sanguine; ut jam hominis pretium longè quavis terra vilius hisce bellorum satoribus videatur. Unum omnibus beatis cœlum sufficit; Regi sæpe uni multa regna sufficere non possunt. Belluæ hominibus parcunt; & homo, ne parcat homini, plusquam bellua in bello est. Quis stultior igitur; Principesne, qui bella tam immania imperant; an subditi, qui sequuntur? Volentibus tamen cum non fiat injuria, quis neget jucundum his esse perire? Jam non tangam opes, quæ utrimque profunduntur, & nullius emolumento partis sæpe flammis hauriuntur; cùm stultius nihil videri possit; quàm, ut opes incertas quæras, certas præsentesque effundere: nec expendo, quo hæc bella famæ honorisq; gerantur commodo, quæ plerumque obruuntur sceleribus; nec investigo, quo reip. & religionis bono, quorum plerumque

que disciplina solvitur; sed quo tot animarum hic pereuntium discrimine; cùm militia libertatis omnis & malitiæ sit nutrix? Et hanc amentiam mortalium, quâ sic plenis ad infernum castris ruitur, quis satis æstimet, aut felicitatis humanæ titulo ornare possit? Nihilominus imaginatio tam potens fascinatrix hominum est, ut felices se putent, quotquot bene instructo apparatu ad bellum proficiscuntur. Et, nobiles inter, vir dignitatem sui nominis, nisi militiæ perfunctus discriminibus, sustinere posse videatur; licet plerosque aut nunquam redire, aut non nisi nudos, vel mancos etiam intueantur. Hæc vero imaginariæ felicitatis stultitia talis est, quâ nescio an inter homines ratione præditos, & ad Christianæ mansuetudinis leges eruditos, major queat excogitari.

Quod si demum peregrinandi negotiandique studia expendamus, hæc in Mercatore necessaria, in nobili aut litteris dedito plerumque otiosa solent videri. In his tamen multi partem aliquam felicitatis humanæ collocant: licet cum majori vivendi libertate, & sua ad alias nationes vitia transferant; & illarum in se transfundant. Nihil enim facilius inter mortales communicatur, quàm mores pravi. Ita nimirum exercitatiorem ad suos redire, est feliciorem reverti; modò tantum civilium aliquot verborum flosculis, & salutandi formulis, corporisque inflexionibus, atque extero sermone peregrinum se fuisse va-

Peregrinandi vanum studium.

se vagabundus testetur. Et hæc peregrinantium, quæ, nisi in sola imaginatione corrupta, potest esse felicitas?

XV. Literarũ atque historiæ in primis & sacrarum rerum studium propius ad felicitatem accedit.

Literarum atque inprimis historicæ sacræque lectionis cupidos non expendo. Nam siqui inter omnes temporalem hujus vitæ felicitatem proximè assequuntur, hi omnino censeri debent: cùm, non solùm per tempora, nationesque præsentes, sed præterita etiam secula majoresque nostros, cum summa voluptate, & præclarissimorum quorumque facinorum recordatione, citra expensas magnas, fatigationemque, citra discrimina plerumque & offensionem, tantò nobiliori evagatione excurrant, quod animo non corpore exspatientur. Quos si etiam delectent sacra, jam ad ipsum sæpius cœlum sanctorumque excurrunt consortium, cœlestumque choris ac conversationi immiscentur, atque istic contemplantur, quæ in abjectas humi mentes, mortaliumque cogitationes non cadunt, quâ felicitate quæ potest esse sublimior? Si ad Regis terreni aulam procerumque inibi versantium frequens tibi familiarisque pateret accessus; si ipsius, cùm luberet alloqui, semper Regis aditus auresque paterent; si quæque suæ aulæ secreta consultaque, tibi vel audienda, vel legenda exhiberet, quam te felicem hac sorte, inter mundi asseclas sentires? Et cum tam facilis ad aulam Regis Regum aulicorumque ac secretorum ipsius tibi accessus pateat, neglectim hanc sortem aspernaberis? At non scire

ſcire hæc tantùm, & otioſa contemplari mente; ſed ſummo ambire deſiderio, & ardenti amore complecti, hæc demum ſumma eſt mortalis eſt huius vitæ felicitas.

XVI. Vera denique huius vitæ felicitas in amore Dei & æternorum bonorum ſita eſt, ſed à multis, corrupta imaginatione ſeductis, neglecta.

Nec eſt quiſquam tam alienus à veritate, aut vanitatis mundanæ amans, qui hæc inficiari poſſit. Cogetur, quiſquis eſt, non omnino perverſus & amens, cum Salomone & Thoma Kempenſi exclamare: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas, præter amare Deum, & illi ſoli ſervire.*

Vt quid igitur, o mortales, *diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* Ut quid Apoſtolus, in tertium etiam cœlum translatus de ſe queritur: *non quod volo bonum hoc ago, ſed quod nolo malum?* Solvat ipſe quæſtionem: quia videlicet, *invenio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Quænam illa lex? concupiſcentiæ. *Caro* enim *concupiſcit adverſus ſpiritum.* Quod remedium? fac ut fortius *concupiſcat ſpiritus adverſus carnem*, vincat ſpiritus, & triumphabis. Et quid ni queat vincere? immortalis eſt, invincibilisque, niſi volens, ſe carni ſubmittat, & Dominus ancillæ ſerviat, vanitatem pro veritate ſequatur. Unde verò hæc vanitatem ſequendi, & carni obſequendi perverſitas? à corrupta imaginatione, quæ in ea re bonum, felicitatemque apprehendit eſſe, in qua revera malum infelicitaſque ſita eſt hominis. Hic fons & ſcaturigo tantæ perverſitatis eſt. Corrige aberrantem phantaſiam, & ſuis hæc quæ-

Rom. 7.

XVII. Phantaſia corrigen-

daest,ut hac in vitafelix sis, ac verè gaudeas; &, quo modo id præstandum?

que coloribus, tanquam peritus adumbret pictor, malum bonumque suis lineamentis exprimat. Dæmonem depingat nigrum, Angelum candidum; istaque inter æternas horribilesque inferorum pœnas, hæc inter cœlestium geniorum delicias gaudiaque sempiterna collocet. Vitæ hujus mortalis fluxas fallacesque illecebras, immortalis verò constantem incomprehensibilis felicitatis possessionem firmâ imaginatione comprehendat: & in huius solum contemplatione, desiderio, atque amore, veram hujus vitæ felicitatem collocatam esse fatebitur, studioque mutato, assequatur. Duos cum Augustino animadvertet esse Amores, qui duas excitant civitates. Alter incipit ab amore sui, progrediturque usque ad odium Dei; alter ab amore Dei procedit usque ad odium sui. Hic felices, ille infelices habitatores colligit. Uter tibi ex his Amoribus apparet natura ac fine præstantior, uter, quem sequaris, dignior? Tuam etiam phantasiam interrogo: bonumne summum æternumque, quo velut ex fonte omne bonum profluat; an leve fluxumque, atque ex quo omne in te redundet malum, præferendum sit? hoc iterum iterumq;, imaginationi tuæ seriò impressum, ex eadem sciscitare; & urge aliquod atq; extorque responsũ. Non existimo, tam corruptam depravatamque in te fore, quæ sic animam, corpusque, seipsam, ac te totum velit pessundatum, qui felicitatem te veram in amore solius veri æternique

lib. de civ. Dei.

que

que boni, etiam in hac vita, habiturum apprehendat.

Obliteranda igitur, atque eradenda ex animo penitus imago felicitatis ex terrenis mortalibusque bonis ac studiis hausta; ne, ut in ægris vidimus, mortem eamque etiam animæ sempiternam, infligat. Quod si illa tam potens sit, ut & furentes ad mansuetudinẽ, & despetata valetudine afflictos ad sanitatem revocare possit; si odium conciliare illa queat amore dignis; si in bestias ipsas metallumque ac lapides amorem: quid ni, ut animam tuam ames, ut salutem perpetuam, ut Deum omnis boni ac beatudinis fontem, tam illustri felicitatis tibi propositæ exspectatione persuadere queat? Crede Davidi, nullam alibi, nisi in hac imaginatione æterni boni, quietem & consolationem hujus vitæ exspectari posse: *Renuit, inquit ille, consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.* Ex terrenis nihil solidæ consolationis hauriri ipsi etiam gentili homini Senecæ exploratum fuit. *Omnes*, scribit ad Lucilium, *tendunt ad gaudium; sed unde stabile magnumque consequantur, ignorant. Ille ex conviviis & luxuria; ille ex ambitione & circumfusa clientium turba; ille ex amica; alius ex studiorum liberalium vana ostentatione, & nihil sanantibus literis. Omnes istos oblectamenta, & brevia, decipiunt; sicut ebrietas, quæ unius horæ hilarem insaniam longi temporis tædio pensat.* Iterum igitur repeto, Davidi crede asserenti: *Renuit* nimirum in terrenis, *consolari anima*

Psal. 76.

Epist. 59.

Psal. 83.

mea, sed *deficit in atria Domini, quia cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Dicas cum Augustino *Absit Domine, absit à corde servi tui, qui confitetur tibi, absit ut quocunque gaudio gaudeam, beatum me putem. Est enim gaudium quod non datur impiis; sed iis, qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipse es. Et ipsa est vita beata gaudere ad te, de te, propter te: ipsa est, & non altera.*

Conf. l. 10.

CAPVT III.

Quanta vis consuetudinis bonæ malæve sit ad huius vitæ felicitatem, vel stabiliendam, vel infringendam.

MAgna consuetudinis ad humanæ vitæ felicitatem obtinendam vis est. Cum enim multa nobis, in hujus mundi varia planeque inconstanti sorte, peracerba atque iniqua sustinenda sint, & quorundam mortalium status asper adeò afflictusque sit; ut nisi remedium aliquot acerbitatis mitigandæ suppeditetur, plerisque succumbendum adversitatum ponderi ac dolori sit: non apparet certius explorotiusq; præsidium, usu ipso ac consuetudine superesse, quâ miles in gravissimis bellorum casibus: rusticus in durissimis agrestium laboribus:

1. Consuetudine usque aspera quæq; in hac vita mollescũt

ribus: Monachus in aſpera arctiſſimaq; clauſtrorum diſciplina; Mineralium foſſor in obſcuriſſimis terræ montiumque ſpecubus; Nautæ remigeſq; in graviſſimis marium tempeſtatibus; Aulicus miniſter in longis ſæpe tædioſiſque Dominorum ſervitiis; Mercator in perpetuis fortunæ alternantis fluctibus; Homo quilibet ſuæ cupidus ſalutis, in aſſiduis carnis, mundi, ac Dæmonis tentationibus ſuſtinendis, durare, conſtanterque perſeverare invictus poſſit; ne in deſperationem tædiumque tam difficilis vitæ, ac ruinam quoque inclinetur. Principia in plerorumque vitæ & laboris ſorte aſpera ſunt, quæ in progreſſu uſus mitigat; ac conſuetudo denique in familiaritatem & amorem vertit. *Nemo duraret*, ait Seneca, *ſi rerum adverſarum eandem vim aſſiduitas haberet, quàm primus ictus*, ac ſubinde addit: *Nullo melius nomine de nobis natura meruit, quàm cum ſciret quibus ærumnis naſceremur, calamitatum mollimentum conſuetudine invenit.* Etiam Cerdones, Carnifices, Latrinarij, ultimiſque mortalium officiis addicti, inter ergaſtula licet, homines conſuetudine durantur, ſuamque in ſecundo affectatoque quopiam rerum ſucceſſu reperiunt felicitatem ac ſolatium. Carnifex ubi uno reorum colla ictu feliciter ſecuit, verſat gladium, ſibique de ſuis plaudit viribus Credo ubi pro fætentibus corijs aurum ſibi reponi videt, devoratam ante nauſeam pro voluptate reputat, ſeque inventuros fœtores, non ſegnius quam Pharmaco-

ut in ultimo hominum ſtatu etiam felices reperiri queant.

lib. 2. de tranq. vitæ

pola in balsami odores ingerit; parique alacritate Latrinarius suum oletum versat. Vespasianus Imperator, qui ex urina auri tributum legerat, Titi filij, hoc factum aversantis, naribus aurum adhibuit, & num graviter oleret? est sciscitatus. Nempe, *lucri bonus odor ex re qualibet.*

Suet. in Vesp.

Hoc verò Lucelli tenuioris incitamentum, si ad Cloacas usque evacuandas mortalium studia transferat, sensimque consuetudine hunc laborem optabilem reddat; quidni æternæ mercedis intuitu ad gravissimas quasque spiritualis viæ ac vitæ difficultates alacri suscipiendas animo efferamur? cum, *momentaneum ac leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operetur in nobis.* Ardua hujus vitæ principia hac cogitatione ac fide mollienda sunt, dum consuetudo in facilem usum convertat. Cujus quanta in humanis vis sit, raro lubet exemplo prodere.

2. Cor. 4.

II. Consuetudine ipsa etiam natura vinci inflectique, & dinspexa a potest.

Anno hujus seculi MDCXXVII. quo Coloniæ Philosophiæ operam dabam, vidi hominem mediæ ætatis manibus brachiisque destitutum, qui in hac naturæ deficientis necessitate, adeò ad munia humana habilem pedum usum assecutus longâ exercitatione fuit, ut pleraque manuum officia eisdem exequeretur. In mensam exiliens pulvillo istic insidebat, moxque nudatis, alternante pedum obsequio, plantis, sibi, refectionis gratiâ, appositum panem scitè, perindeque ac manibus, tum & carnes in orbe divisit, pedibusque ori inseruit,

vitrum

vitrum deinde altero complexus pede, altero cantharum, implet, propinat adſtantibus, ori admovet. Subinde allato inſtrumento muſico, melodicam cantionem peritè luſit. Stengelius, qui poſtero illum anno 1628. in Bavaria Ingolſtadij ſpectavit, ait, luſiſſe in organo, palmaremque pedibus alapam inflixiſſe folles minus dextrè regenti. Poſtea, ut narrat Stengelius, & egomet vidi, chartis pictis ludebat, cum ſocio, eas miſcens, diſtribuens, tenens, atque in menſam cum ſonitu projiciens, non ſecus atque alius omnibus membris integer homo. Denique calamum arripiebat, pulcherrimoſq; characteres ſcribebat, quodque admirandum magis, & acum ſumebat, quam filo trajiciens, cum quovis ſartore celeritate certaturus, ſuebat. Tantum exercitatio conſuetudine firmata in membris potuit, ad hæc officia nunquam natis. Et nos qui cœlo nati ſumus, ad hoc mentē cum tædio, & ingenti difficultate ſublevemus? Quid? quod ad illa etiam quæ naturæ adverſantur, ipſo illa uſu familiari adſueſcat?

De monſtru c. 16. § 9.

Conſuetudine enim ſæpe plus, quàm arte atque inſtitutione naturam firmari, non paucis experimentis probatum eſt. Quæ in malis juxta bonisque locum reperit. Mithridates Rex Ponti, ex venenatarum rerum uſu, ſenſim eo devenerat, ut familiare Regum periculum ex propinato toxico non timeret; imò al s ipſe, quibuscum familiari convictu ageret, metuendus lethaliſque etiam evaderet.

III. Conſuetudine natura adverſus venena peſtem ac mortem firmatur.

Ita qui ſub aëre, ſenſim contagione infecto, conſtanter verſatur, peſti facilius, quàm qui ex puro recèns climate ingreditur, ſentiet. Videas caſtra militum, aut infectam urbem ſubeuntes, vel etiam ad peſtiferorum ſocietatem admiſſos, repentè malo corripi, ubi ceteri familiares intacti perſiſtunt.

Veſpillones pleriq;, qui peſtilentiæ tempore corrupta jam fœtentiaque mortalium corpora tractant, quamvis ad transfundendam luem, nullum illis malum præſentius ſit, durant tamen evincuntque malignitatem omnem, conſuetudine uſuque firmati, excutiuntque ſine formidine omnia, quæ ceteris ſunt hominibus formidanda, & neglectis quandoque ſpolijs defunctorum fruuntur. Nota mihi Coloniæ Vbiorum domus eſt, quam ad forum novum aliquoties ſubij. Ex qua peſtilentiæ ſævientis tempore elata mulier, atq; in cæmiterio SS. Apoſtolorum haud procul inde á Veſpillonibus depoſita, quam cùm vidiſſent cum annulo aureo in digitis loculo includi, ſpreto peſtis diſcrimine, quod uſu vincere didicerant, regreſſi ſub noctis tenebras, loculo reſerato, eum ſibi deſtinabant; verùm aditu facto, dum manum educendi annuli gratia vellicant, mulier, velut è ſomno excitata, erigitur, attonitosque hoc eventu Veſpillones repente disjecit, ac lumine, quod ab eis relictum erat, ſumpto, ipſa quoque ſorte ſua tremens ſtupensque domum reviſit. Ubi ob facti novitatem, quamvis voce agnita, ægrè reci-

recipitur: auditque ac narrat fortunæ ac vitæ suæ admirabilem catastrophen. Quæ cum marito deinde pluribus adhuc annis superstes, tres ex eodem post tumulum in thalamo conjugali proles suscepit. Quod quidem de muliere parergon nobis hoc loco est, de Vespillonibus adversus pestem consuetudine duratis à nostro proposito non alienum. Domus hodiedum eo nomine inter adultos urbis cives notissima est, & historiæ expositio monumento lapideo ad ingressum templi SS. Apostolorum vernaculo quondam sermone incisa. Cujus varii etiam scriptores meminêre. Alia huic gemina propè, & recentior multò hujus ævi Attendariæ in Westphalia resurgentis de sepulchro, diuque post viventis historia nobis suppetit, quam appono, ut intelligas, nec in ipso quidem sepulchro radicatam in nobis consuetudinem deponi. ***Antonius Caleborn***, à natali pago dictus, ac subinde Tott, id est *Mors*, ab eventu cognominatus, tanquam mortuus illatus tumulo, terrâque obrutus, post 24. horas à femina casu transeunte, altos sub aggesta obiter dissoluteque humo, gemitus ducere compertus, vicinos ad eruendum hominem accivit, qui, cum loculi operculo submoto, ægrè languida membra, arcteque inter angustias compacta moveret, suo exclamat more: quis carnificum me in hunc locum detrusit? cum verò molestam sibi famem quereretur, mulier pultem ad reficiendas homini vires ex vicinia attulit, quam

Guil. Fabr. Hildanus cent. 2. Obs. 92. Exem. 2. Henr. Korman. p. 2. de mir. mort. c. 16.

Consuetudinem nec ipso in tumulo depositã vidimus.

avidis

avidis facibus hausit, seque dein, stupentibus vicinis, è sepulchro proripuit: ac plures subinde, sed brevis vitæ, proles suscepit. Bello postea Palatino-Bohemico miles interfuit; sed hinc ad rusticos labores reversus, alteri se homini operum socio, qui *Vita* dicebatur, adjunxit: vulgatusq; inter plures jocos fuit, quod Mors & Vita* societatem inijssent. Ante 40. annos, dum Coloniæ versarer, adhuc superstes ferebatur priscisque vivere moribus, à quibus inter mortuos licet depositus, nihil deflexerat. Adeo facilius est hominem à vita, quam prisca consuetudine deflectere. Nunc opinor iteratò sub terram reversus est. Facti expositionem in tabula Ecclesiæ pictam descriptamque memorant. Quæ si non argumenti, certè delectationis honestæ gratiâ attulimus. Modò nostrum, de consuetudine cum pestiferis, sermonem repetamus.

*Tod vñ Leben zu sammen schwebẽ.

Qui pestilenti in aëre diu versati sunt; aut venenatorum tractationi assuevêre non facilè inficiuntur. Et hæc causa quod Pestiferorum curæ assueti Fratres Sororesque pii Instituti, aliique Vespillones haud facilè corripiantur. Novi Societatis nostræ Patres geminos Bois & Spe, viros quibusvis pestiferis imperterritè sine antidotis annis plurimis deservientes, qui nulla unquam lue afflati ad extremæ senectutis annos provecti sunt: alios contra, recèns illi curæ deditos, & mox correptos sublatosque vidi quamvis antidotis se muniisse credebantur. Porrò inter humana præsidia

dia nullum præsentius consuetudine infractoque animo remedium est. Qui tamen antidota cantè provident, venenum existimant veneno rectè opponi, ideoque Arsenicum è cordis regione suspensum, ad pestem inde propulsandam, remedium censent esse præstantissimum, quod & Adrianum VI. Pont. Rom. in gravissima anni 1522. lue sub axilla tulisse, innoxiumque præstitisse ferunt. Monardus se quoq; in hospitali infectorum Sublimati particulam juxta cor gestasse refert. Hi videlicet per familiare sibi venenum, pestilentiæ venenum avertêre, usu illius firmati.

Reiesius in Camp. q. 66

In libro de lapide Bezoar.

IV.
A consuetudine furandi nec mortis metu abstrahũtur fures.

Ita, quantum assuetudo in depravatis hominum moribus possit, quotidie experimur. Quoties fures patibulo ereptos vidimus, qui nihilo ab hac infamia pœnaque meliores, eodem, novorum furtorum deprehensi, propediẽ reversi sunt. Rejesius certè narrat Hispalensi in campo Tablada suspensũ fuisse furem, quem cum transiens mercator adhuc luctantẽ cum morte videret, miseratione tactus, rescisso fune refocillatum secum vexit. Hunc fur principio, tanquam Servatorem suũ complexus; cum ex familiari conversatione bene nummatum comperisset, immemor beneficii, & sortis pristinæ, æris potiundi causâ, interfecit; haud multò post sceleratissimum facinus graviori etiam supplicio luiturus.

loc. cit. n. 18

Lacones olim furacissimi erant; quod à teneris hac in arte exercerentur, laudisque esset, citra observationem alteri res suas posse

sub-

subducere ; deprehensi tamen plagis probè defricati furtum luere ac reponere cogebantur. Sola infamia facti deerat, ingeniumq; ac industriam hoc pacto filiorum sese alere credebant. Et Angli hanc sibi laudem nonnunquam arrogare auditi sunt, quod ingeniosè furandi arte excellerent. Thomæ Mori, hac in re castigandâ, solertia laudem meruit, qui, cùm Senator quidam in judicio de fure ; potius culpandos asseruisset , qui rem suam malè custodirent, furem clam admonitum, impunè ipsi fore, si Senatori loculos sustulisset, promptum habuit. Ad pedes enim illius sinumque, velut supplex , & secreta quædam communicaturus devolvitur, interque amplexus loculos aufert. Quos dum postremò sibi deesse Senator sensisset, interque vicinos sollicitè quæreret. Morus re cognita, opportunè corripuit, quod pecuniam malè custodisset, simulque furem, pro quo sententiam dixerat, promere sublatum æs jussit. Patronique non minùs , quàm furis temeritatem perstrinxit. Ars hæc est, quæ defensore ac Magistro non indiget. Natura illam cupiditasque perversa suggerit , consuetudo firmat. Invenies quandoque furtorum peritum, qui præceptores omnia secus docentia nactus est , moribus tamen suis pravoque in præceps usu datus, corrigi , nisi per Carnificem, non poterit.

Hanc in ceteris quoque vitiis consuetudinis vim esse, frequenti nimium usu experimur,

perimur, quod depravatæ naturæ cupiditas suum illi pondus addat. Nihilominus & adversus naturæ inclinationes consuetudinem plurimum posse non est diffitendum. Quæ vix disciplina artisque institutione obtineas, eâ demum consuetudine, inflexâ sensim ad obsequium virtutis naturâ, assequeris. Nam si rusticano assueti victui, aulicæ delicatiorisque vitæ mollitiem non minus, quam purpurati hi agrestres sortes aversantur; quis est, qui aliunde quam à consuetudine hoc discrimen nasci existimet; aut desperet, virtuti non minus à teneris hominem, quàm malis posse assuescere?

V. Ad virtutem quoque non minus natura, quã ad agrestẽ duramq; vitam cõsuetudine traducitur.

Reiesij hac in re experimentum lubet producere, quo, quid consuetudo in moribus vitæque genere faciat, haud difficulter agnoscas. Pastorem ovium Fratrum Prædicatorum in Hispania Monasterio subservientem febri ardenti correptum asserit. Cui in opportunum conclave recepto diligens cura adhibita. Cumque urgente malo jam in salutis desperationem præceps iret; Prior loci sciscitatur hominem, nunquid ciborum aut rei alterius appeteret? Tum ille, malim ex more meo sub dio pernoctare, quam clauso hoc cubiculo libertate aëris carere. Medicus consuetudinem Pastoris arbitratus, suasit indulgendum. Ergo in peristylium elatus, manè placido se hanc noctem transegisse somno asseruit, intraque triduum convaluit. Hæc se præsente Rejesius evenisse memorat,

Reies. in Camp. q. 93.

addit-

additque ex Zacuto de Piscatore Lusitano, cum Rex Sebastianus in oppido maritimo regali magnificentia exciperetur, penetrasse & hunc hominem, interque odoriferas frondes & suffimenta, perstrictum insueta odoris fragrantiâ, animo deficiente, concidisse; moxque qui haud procul aberat, Regis Medicum Thomam à Vega accitum, hominis conditionem investigasse, intellectoque Piscatorem esse, jussisse in littus efferri, & algâ contegi. Cujus ubi afflasset virum odor, tum respirare ille ac mox spiritum vigoremque ex nautica aura suffituque recipere. Idem Rustico Antwerpiæ cum aromatica in officina evenisset, equino mox naribus subjecto fimo animam priorem hausit. Tanti, quibus jam olim adsueveris, refert. Et mirabimur hominem ad virtutes non minus, quàm vitia, consuetudine ipsâ potentius, quàm ullis præceptis legibusque formari, firmarique posse?

VI. Multum ad vitia virtutemque refert prima vitæ institutio.

Invenies qui ipsi sacra tractant, Ecclesiasticasque leges tradunt, sed vitæ solutioris consuetudine longè secus viventes. Sapientis minimè fallit oratio: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Filij Heli licentiâ corrupti, nulla boni parentis institutione reduci poterant. Joseph Patriarcha sanctè institutus, pravo fratrum ac denique etiam Ægyptæ mulieris consortio seduci nequibat. Tobiam & Danielem inter barbaras perversasque nationes à roborato virtutum usu, nulla peregrinæ gentis instituta aver-

Prov. 22.

tebant.

tebant. Consuetudo in eis natura erat altera. Quapropter magnopere, quibus quisque à teneris assuescat, videndum est. Venusini monitum vatis est,

> *Quo semel est imbuta recens servabit odorem*
> *Testa diu.*

Illud tamen in Vitiorum Virtutumque studio discrimen Romanus observat Philosophus. *Cito*, ait, *nequitia subrepit. Virtus difficilis inventu est; rectorem ducemque desiderat: Etiam sine magistro vitia discuntur.* Quocirca, ut alibi monet, in primo contra hæc aditu pugnandum est: *facilius enim est initia illorum*, cum adhuc debilia sunt, *prohibere, quàm impetum jam invalescentium regere.* Et quamvis perpetua hæc adversus cupiditates pugna sit, consuetudine tamen vincendi mollescet. Nam si, ut idem inquit, *natura calamitatum mollimentum consuetudine invenit, citò in familiaritatem gravissima adducens*, quidni idem in vitijs edomandis queat? D. Bernardus, quod rarum est, confirmatæ libidinis juvenem, ita fregit. Tridui, inquit, abstinentiam in Dei honorem præstes. Quo obtento: alterum rogat triduum in honorem castissimæ Virginis Deiparæ. Et hic obsecutus est. Tum verò Bernardus, an non tantundem in Sanctorum omnium venerationem præstabis? Quod cum facturum sese etiam recepisset, victor deniq; sui Bernardum convenit: Et nolo, inquit, inducias amplius diurnas paciscaris mecum, perennes inire cum Deo, jam mihi decretum

Seneca l. 3. nat. quæst.

Epist. 1. l. 9.

lib. 1. de tranq. Vitæ

In vita D. Bern.

VII.
Vitiorum consuetudo non, nunquã, sed rarâ industria infringitur.

F est.

eſt. Hæc ratio ad frangendum malignantis naturæ impetum, & ad virtutis uſum ſocietatemque tranſeundi optima eſt, & cuivis ad facilem victoriam ſuadenda, iis præſertim, qui à conſortio malorum ex vitæ ſuæ inſtituto ægrè queunt divelli, ut denique tanquam Veſpillones apud peſtiferos ſine contagionis afflatu queant conſiſtere, & ſi fortè lapſi, ab ipſa rurſus morte poſſint reviviſcere. Et eidem proderunt etiam Sodalitates quæſitæ proborum; ut tanquam remoti à communi lue, innoxii conſiſtant; proderit naſcenti primum conſuetudini frenum injicere, ne velut in furtis, uſus malitiaq; honeſtati omni prævaleat. Quod principio arduum eſt, naturæque obluctanti repugnans, frequenti uſurpatione, in familiaritatem tranſibit, utque odium vitia, ſic amorem virtus promerebitur.

Aliud remedium magis inſolens, minuſque ſanctum Ghita femina Aretina comenta eſt, quo virum Tophanum nomine à prava helluandi perpotandique conſuetudine abduceret. Nam pari libertate graſſata, viro foras egreſſo, & ipſa ſe ad aliorum conſortia potatum helluatumque effundebat. Quæ quidem res diu virum non latuit. Pro more ſuo egreſſus igitur, reverſuſque tempeſtivius, uxoris pariter domo effuſæ reditum, clauſo obfirmatoque oſtio, operitur. Adeſt illa, fores tentat, quatitque fruſtra, quam deinde maritus è feneſtra procul jubet faceſcere, tanquam ſe indignam. Quæ poſt adhibitas nequic-

quicquam, pro emolliendo viro, preces, ad minas denique conversa: ait se toti mundo e-briosi & incontinentis viri perfidiam, suamque hac in re innocentiam novo facinore probaturam esse; simulque ad puteum se vicinum confert: In hunc, inquit, me præcipitem ingeram: Tuum hoc scelesti hominis facinus esse, agnoscent omnes. Ita quam viva nequeo, ultionem, à te mortua exigam. Mox ingenti correpto lapide hunc in puteum ingerit, seque in latebras abdit. Vir ex strepitu uxorem illapsam ratus repentè patefacto ostio in auxilium properat. Illa subitò è latibulo ad domum exilit, adductoque in repagulum ostio, virum excludit. Qui dum, hac illusione conjugis irritatus, furit ac tumultuatur, conatus perfringere ostium, viciniam excitatam accivit, coram quâ mulier de viri ebrietate & pergræcandi in multam noctem, seq; deinde pessimè tractandi, consuetudine graviter questa, quidquid pro sua causa refunderet Tophanus, fidem reperit, præsertim cum ipsa domum victrix possideret. Conventum igitur ea lege de societate & amicitia utriusque est; ut major deinde feminæ esset libertas, & viro continentia, quam perstrictus hac correctione vir, majoris ignonimiæ ac pœnę metu, impensius deinde colere instituit. Ita terror nonnunquam salubriter incussus, ad tenacissima pravæ consuetudinis vincula perfringenda, facit, & quod consilio non potuit, metu sanatur. Fratres Josephi Patriarchæ ex S.

etiam literis argumentum huic rei suppeditant non contemnendum.

VIII. Media nisitata pravæ consuetudinis vitandæ, & melioris introducendæ.

Difficilis tamen cura inveteratæ in malo consuetudinis. Adultam in curvitate arborem franges potius, quàm flectes. Morbi jam radicati phthisis, hydropis, podagræ, vix, nisi in sola morte, tolluntur. In moribus similia his morbis mala sunt libidinis, avaritiæ, & intemperantiæ, his diu assuefactos vix unquam corriges: nisi potentior intervenerit manus, quæ Paulos & Augustinos potest inflectere. Quare quod in morbis, & hìc axioma tenendum est;

Principiis obsta, serò medicina paratur,
Cum mala per longas invaluêre moras.

Hom. 9. de autore malorum.

Cavenda improborum societas. *Rectè*, ait, D. Basilius, *proverbium dicit*: *Corrumpunt bonos mores colloquia prava. Vt enim in pestilentibus locis sensim attractus aër latentem corporibus morbum inducit, sic in prava consuetudine ac conversatione maxima nobis mala hauriuntur, etiamsi statim incommodum non sentiatur.*

Tertium est, proscripto otio, corpus curasque impendere laboribus. Nam ut stagnans aqua putrescit, variisque insectis scatet, profluens verò limpida, utiliumque est piscium receptaculum: Ita hominis corpus in otio putridis cupititatibus obnoxium, in labore incorruptum & virtutibus idoneum est. Rectè Syrus

Arcum

Arcum frangit intensio, animum remissio.

Et Naso. *Fertilis assiduo si non renovetur aratro,*

Nil, nisi cum spinis gramen, habebit ager.

Audiamus & hac de re Senecam. *Hanc Deus*, inquit, *rationem sequitur in bonis viris, quam in discipulis praeceptores, qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est.*

lib. d. divina provid. cap. 4.

Aliud deinde medium suggerit huic affine, hoc est, duris arduisque etiam ferendis assuefieri: *Melior* enim *est patiens, viro forti*, ait Sapiens. Hac via usi fortissimi inter Graecos, ad vincendas etiam cupiditates proprias Lacedaemonij. De quibus sic pergit Seneca. *Nunquid tu invisos esse Lacedaemonijs liberos suos credis, quorum experiuntur indolem publicè verberibus admotis. Ipsi eos Patres adhortantur, ut ictus flagellorum fortiter perferant, ac laceros ac semianimes rogant, perseverent vulnera praebere vulneribus: Quid mirum si generosos spiritus Deus tentat? Nunquam virtus molle documentum est.* Ut enervatum deliciarum usu corpus, per virtutis ardua reduci difficile est; ita laboribus & patiētia induratum, per vitiorum declivia non facile se feret devolvi. Molestia, quam illud fugiet, huic desiit usu ipso fieri molesta. Et haec praecipua est proborum, hac in vita adversitatibus plena, felicitas, non frangi, minusque sentire adversi-

tatem.

CAPUT IV.

Num ad humanæ felicitatis incrementum Dæmon quicquam conferre possit?

DÆmones in sublunari hoc mundo versari, hominumque sese immiscere negotiis, non solùm à Christianis divina fide; sed à gentilibus quoque per rationem, experientiamque, ac traditionem est cognitum. Illorum tamen naturam, malevolentiam, & damnationem, vix, nisi ex S. literis assequimur. Sed, his prætermissis, hoc loco indagare lubet; num ad feliciorem hujus ac futuræ vitæ statum prodesse aliquando hominibus possint Dæmones? Nam & Socratem olim suum habuisse Dæmonem, ejusque felicem ope, plurimùm in Philosophia profecisse creditum est. Verùm qui eo nomine extollunt Socratem, hi Dæmonem, non pro maligno, sed propitio genio usurparunt. Scientem enim vox *Dæmon* sive intelligentem significat, malisque perinde ac bonis Mentibus communis est. Unde, qui malignis hoc nomen spiritibus tribuunt, Cacodæmonem, qui bonis Eudæmonem vocant, nobis tamen priori maximè significatione, ut hodie solet, pro Diabo-

I. Dæmon seu Diabolus hominis felicitatem evertere potius, quàm promovere solet.

Diabolo ſerviet. Et talem quidem ſpiritum nunquam, niſi à ſuperiori poteſtate, hoc eſt, Deo vel Angelo coactum, homini prodeſſe velle ſentimus, aut ſi qua in re proſit, id non niſi ad majus detrimentum poſtremò hominibus conciliandum præſtare; neque aliud omni obſequio agere, quàm, ut demum præcipitatum hominem æternæ damnationis pœnis, horrendiſque ſecum inferni ignibus cruciandum addicat. Quod, ubi varias Dæmonum artes, quibus circumvenire miſeros ſolent mortales, eorumque inſidias, vafriciem, blandimenta, ac nocumenta denique expenderimus, magis nobis exploratum fiet, cautioque futura eſt; ne quid ab eis obſequij, ad noſtras præcipuè cupiditates explendas, admittamus.

II. Ethnicis ac malis Chriſtianis varia ſpecie illudere ſolitus eſt.

Priſcis gentilium temporibus idola inſidere Dæmones, atque ex iis nunc certa, nunc dubia (ut nec Dæmonibus multa ſatis erant perſpecta) oracula depromere ſoliti, plurimos in errorem ac ſcelera abſtraxêre. Quin & ipſi humanâ ſæpe ſpecie, ſed parvâ turpique exilium maſculorum figurâ, tum in ſubterraneis fodinis (unde maſculi terreſtres dicti ſunt) tum in familijs ad ſervilia quæque munera obeunda ſiſtebant; ſed illuſionem quamcunque ſibi factam graviſſimè vindicare aſſueti. Novi deſignatas mihi à majoribus familias & loca, ubi multo tempore in ſervilibus officiis præſtandis verſati ſunt, non ſine noxa & cladibus diverſorum. Ceterùm haurire

aquas, domos verrere, adferre ligna, aliaque servilia obire opera; nonnunquam etiam turbare, & evertere non pauca, illorum erat occupatio. De quibus varii varia commenti sunt, diversisque nominibus eosdem Rutheni Coltros, Germani Rabaudos, Galli Gobelinos, nuncuparunt. Paracelsus illos homines, sed non ex Adamo creatos asserebat, qui sua quoque rep. regerentur. Sed malignos fuisse Dæmones satis cognitum est, postquam ad sacra Christianorum amuleta domibus illata, cedere comperti sunt. At dissimulatis aliquando personis ad hominum se obsequia intulisse eosdem constat. Ejus facti exemplum Cæsarius suppeditat; sed recentius hujus ætatis, ut à fide dignissimis accepi, referam. Nobilis Alsata ex familia D D. ex Benzenaw, dum Italiæ urbes lustrat; amisso famulo, alium Venetiis solicitè quæritabat, indignatusque nullum reperiri, fortè in hæc verba erupit: nullusne igitur Diabolorum, qui mihi serviat, haberi poterit? Nec multò post in portu Germanicè loquentem offendit, qui postulatus haud gravatè se illi in servum obtulit, fidemque ac solertiam in se desiderari nunquam est passus, quam aliquando cum loculi à Domino procul in hospitio relicti essent, iter totum relegens, referensque amissam pecuniam, supra exspectationem etiam præstitit. Unde eidem in Germaniam, domumque patriam reduci adhæsit, & sartoriam professus artem, diu ministravit: gratus omnibus, sed uno

dist.5.c.36

III. Dæmon facile invitatus adest, nec, nisi ad præcipitandum hominē, advigilat.

uno tantùm obſcœni ſermonis, & neglectæ pietatis vitio, cùm nonnullis diſpliceret, nec monitus reſipiſceret; quod diceret, ſuam ſe Domino collocaſſe operam, in reliquis juris eſſe proprii: nobilis ſtimulante familiâ & cōſcientiâ, accerſit hunc denique famulum, & ſtipendio numerato, jubet domo, ut inemendabilem, faceſcere. Tum ille ſumpto ære, in circumſtantes illud domeſticos partitur, negatque ſe pecuniæ gratiâ, ſed ſpe potiundarū animarum inſerviiſſe. Et quidem heri ſui ceſſuram ſibi fuiſſe, ſi inter graviores noxas, uſitatam quotidie orationem ad Deiparam, *Salve Regina*, vel ſemel prætериiſſet: quo dicto ex oculis præſentium evanuit, ſimulque omnium, quas confecerat veſtium, ſuturas diſſolvit; ut ad imos cuique talos defluerent. Ex his una filiarum Coloniam Ubiorum haud multis poſt annis delata, rem, ut geſta erat, parentique & ſibi evenerat, non ambigua fide exponebat. Quo exemplo diſcas, quam facilè Dæmon invitatus adſit, & quo fine homini deſerviat.

IV. Cavendū ne qua in re ſuſpectis ac ſuperſtitioſis utaris, quia hic Dæmon varia ſe arte immiſcet. Vt exemplis docetur.

Majori ſe exponunt diſcrimini, qui, vel ad opes amiſſas recipiendas divinos conſulunt, vel ſanitatis gratia, aut amicæ conciliandæ causâ, ſuperſtitioſa adhibent, vel ad quemcunque demum effectum, ut theſauri reperiundi, futuri eventus cognoſcendi, aut voti potiundi ſpe, rebus quibuſdam præter conſuetum morem operantibus utuntur: ut vel Deum, vel Dæmonem concurrere, ac ſupplere, quod

nobis deeſt, neceſſe ſit. In his enim (ſi cupiditates pravæ abſint, & ſalus noſtra Deique honor ſpectetur) ut ad Dei opem Sanctorumque apud Deum interceſſioně accedere, laudabile eſt: ita vates, mulierculas, ſuſpectaſque artes uſurpare damnabile ac periculoſum. neque in his Dæmon occaſionibus feriatur. Decantata multorum ore hiſtoria eſt Hamelenſium inferioris Saxoniæ hominum, qui vexati à glirium copia, cum remedium mali, fortè non ut oportuit, inquirerent, tibicinis ſeſe ſpecie Dæmon obtulit, qui certam in ſingulorum capita pecuniam pollicentibus opem promiſit, ſimulque inflata per urbem tibia, quacunque incedebat, mures ubique ſequaces poſt tergum, & extra urbem ad Viſurgim flumen duxit, quo ſubmerſi interiere. Quâ re conſpecta cives, cùm pretium deinde operæ talis cunctarentur ſolvere, reverſus ille anno poſtero MCCLXXXIV. viceſimo ſexto Junii ad urbem cum tibia, verſicolori, ut erat, habitu (à quo Alfarbum nuncupabant) feſtivoque cantu puerorum poſt ſe agmen ingens trahebat. Ex quibus centum & triginta extra portas ad vicinum montem Calvariæ ſeu Koppenum ſubſecuti, intraque montis recepti viſcera, nunquam deinde comparuerunt. Puellarum una, ob infantem quem brachiis tenebat, lentius inſecuta, cum evaſiſſet, factum & vidit, & retulit. In cujus memoriam hodiedum puerorum ſuorum egreſſum, à prædicto Chriſti anno recolunt.

Wierus de præſt. Dæmonum. Kircherg. Erichius, Schottus in Phyſ. lib. 3. mirab. c. 24.

Levio-

Leviori periculo defuncti sunt, ante biennium, anno hujus seculi 68. infra Confluentiam Ruricolæ, Abbatiæ Romerdorffianæ, in pastorali cura, subjecti. Cum enim demessa seges occuparet agrum, & repentè tanta murium in illas se effunderet copia; ut passim absumeretur, consultus pro remedio vicinus in agro pecorum custos, ut habebatur artium occultarum gnarus, duos in singula capita sestertios stipulatus subsidium obtulit: simul tamen adjecit, oculorum sese alterum murium autori, coram in aqua repræsentando, effossurum, modò assentirentur. Accepta utrimque conditio erat; quando duo ex pagi proceribus religione ducti, ante executionem Prælatum (cui tum fortè aderam) conveniunt, pactumque exponunt, ac hominem asseruisse dicunt: nihil malis à se artibus, sed Dei omnia nomine peragenda. Sed Prælatus animadversâ facilè illusione, cùm, ad me versus, rogasset sententiam, dixissemque manifestam Diaboli fraudem esse, & stultam credulitatem dignâ pœnitudine expiandam, facessere procul jussit, & impostorem, ubi venisset, ad correctionem sistere.

V. Schediasmata contra morbos & vulnera jure rejicieda sunt

Nimirum quod Dæmon per se non potest, hoc per suos satellites perpetrat. Sed nihil gratis. Ita sunt, qui contra vulnera, aut etiam sensum omnem doloris inter tormenta, vel acceptorum vulnerum morborumque facilem curam, nonnulla præscribunt, quæ universa cum in applicatis vim naturæ superent, Dæmonis

Dæmonis pacto & opera obtinentur. Vidi Schediaſma, quod appenſum collo, intra novendium quaslibet febres tollebat, utque ſacrum, & à Deo crederetur eſſe, ſtatæ indies ad Deum preces jungebantur. Alius preces quaſdam inſcriptas libo offerebat patienti edendas, creduliſque ſanitatem reddebat. Nonnemo adverſus vulnera ictuſque, quaſdam ex pſalmo *Miſerere*, & *Pater noſter*, verſus Schedulæ inſcriptos deferebat, cui perſuadere conatus ſum, in hiſce etiam verbis Diaboli fraudem occultari, qui non eſt veritus S. Scripturæ dictis Chriſtum oppugnare. Sed pleroſque horum aut gravioribus deinde affligi malis, aut malè interire compertum eſt.

VI. Pharmaca, quibus abſens curatur, repudianda.

Sunt non pauci, etiam inter viros eruditos, quibus perſuaſum eſt, ſanari per actionem in diſtans abſentem pharmaco poſſe, quod vel ferro, aut ſtipiti, quo læſus eſt, aut panno, in quo ſanguis læſi receptus eſt, applicatur. In quo præter Joannem Baptiſtam Porta, Colerus, Paracelſus, Helmontius aliiq; non pauci heterodoxi, quos, cum P. Kirchero, Forero, Libavio, Paræo, Mindero aliiſque merito P. Gaſpar Schottus in Magia ſua Medica refutat, atque erroris condemnat. Cum Hoplochriſmatis, ſeu unguēti armarij vis, ſine ope Dæmonis transferri ad ægrum longe diſtantem nequeat, & tali materia rituque uſurpandi præſcribatur, quæ manifeſtam ſuperſtitionem involvant; autorem verò habeat Paracelſum, familiari Dæmonis conſortio aſſuetum.

part. 4. lib. 5.

tum. Nec paria ſunt, quæ adverſarii exempla producunt; ut magnetis ferrum attrahentis, heliotropij & florum Cichorij ſolem ſequentium, Lauri, ficus, & marini vituli à fulmine immunium, Tauri ferociam deponentis, ſi ad ficum arborem admoveatur. Achatis lapidis offenſorum conjugum animos conciliantis. Hæc enim aliaque ſua operandi virtute conjunguntur; & Achati vis reprimēdæ choleræ, ut & ficui ineſſe poteſt, uti Laurus & Aquila innoxiè fulmen ſuſtinere, Quod ſi gladium illæſâ vaginâ conſumat, in duris vim ſuam exerens, cur Lauro non parcat? Alia quoque per ſympathiam, vel antipathiam, occultâ quidem nobis virtute, ſed tamen, non abſque medio, in diſtans operantur. Ita avis Galbalus, ſeu icterus, à conſpecto icterico, ſeu flavâ bile laborante, morbo inficitur, & hic liberatur. Dolores acuti capitis, per liquatum plumbum aquæ infuſum, quæ in ſcutella lignea dolentis vertici imponitur, repentè ſopiuntur. Prægnantes fœminæ varias ex rebus appetitis, aut faſtiditis immodicè, partubus ſuis qualitases formaſq; imprimunt. Sic fraga ceraſaque eorum impreſſa corporibus reperias, quæ in vere cum aliis fructibus vireſcant, & erubeſcant, tanquam terræ inſiti, quin & leporum muriumque aut cattorum figuris, ſignatos inveneris. Mutilos quandoque etiam aut monſtroſos partus, qualem dedit femina, quæ in foro hominem capite

VII. Multa admiranda vi ſua naturales res operantur, ut exemplis variis oſtenditur, ſed per antipathiam, aut ſympathiam virtutis compertæ.

Morborū rara curatio.

Schottus de imag. vi& mirab. Monſt. in Phyſ cur. l 5. c. 28. §. 4.

Mulierū partus difformes

capite plecti conſpexit, nec multò poſt infantem ſine capite enixa eſt, trunco colli ſanguineo. Iſenaci mulier occurrente ſibi glire, cum appenſa nolula (quod ad ceteros mures abigendos factum) adeò conterrita fuit, ut pro infante glirem pepererit. Ita in Bilſen Bohemiæ oppido puer ſimilis crucifixo natus eſt; quòd eius imaginem hæretica mater, ut Stengelius judicat, irriſiſſet. Quod ſi ovum igne aſſetur, eodem loco, pulli quoque in ovis jam concepti peribunt. Araneus bufonem viſum invadet, necabitque. Bufo muſtellam viſam potenti vi trahit, ultroque in os denique poſt varias obluctandi ambages, illatum devorabit, majorem minor. Cervi ſerpentes è cavernis attrahunt ſolo ſpiritu, ejſq; aluntur: contra anguis ſtupidus in America, (ſic dictus quod ligni inſtar protenſus jaceat, ut aliquando homines inſideant) cervos, aliaque animalia, ſolo halitu tracta, conſumit. Scorpius & Crocodilus ſe mutuò interimunt; illi etiam ſtellio adverſatur, & pro remedio ictis eſt, ſi oleo maceretur: hic ſola Ibidis pennâ admotâ immobilis redditur. Vipera arundine tacta ſtupet. Veſpertiliones platani folia abigunt. Cervus fugit arietem; Leo gallum, elephas ſuem, Cornix & noctua, milvus & corvus perpetuò ſibi adverſantur. Pulli gallinacei, vel ad ſolam milvi umbram, in fugam trepidi vertuntur. Lupum adeò horrent animalia cetera, ut ſolâ caudâ præſepibus alligata boves equique pabulum fugiant;

Animaliũ antipathia.

ant; &,si chorda,aut pellis in tympano, lupi pulsetur,ovilla stupeat & obsurdescat. Planta pudica,refugit se tangentis manum,& alius apud Troglodytas frutex,ut refert Plinius, tactus induratur,ut cornu,oppressus lapidescit. Et hæc pleraque per antipathiam, seu oppositas,seque mutuò alterantes affectiones operantur. Per sympathiam verò, seu convenientiam affectionum, aut inclinationem mutuam ad hirci sanguinem pulices congregantur. Perdix cervos amat, columba tinnunculos,sargus piscis capras,vulpes serpentes,corvus vulpes. Sic vitis olivam amat, quæ fugit hederam & brassicam. Oliva myrtum & ficum quærit, quam cucumeres fugiunt. Rutam bufones ambiunt, quæ tamen veneno & cicutæ adversatur,huic etiam sumptæ medetur. Aqua oleum respuit, Calci & spongiæ sese ultro ingerit,illam etiam succendit. Naphtha ignem trahit alitque,quem aqua extinguit. Remoram seu Echeneidem piscem,pluribus exemplis tenemus,quantumvis exilem mole,ingentem, suisque velis ac ventis incitatam navem sistere, ac remorari. Ut jam fictum videri non debeat, quod Niërembergius recenset: Nautas ex Mosambico Indiam petentes,cum principio lineæ æquinoctiali felici ventorum impulsu propinquarent,tandem observasse multis sese gradibus, licet repugnante vento,retroactos, dumque stupentes causam inquirerent, deprehendisse piscem qui cauda proram, capite pupim navis com-

lib. 13. c. 25.

Animaliũ sympathia & herbarum dissensus cõsensusque

Piscium admiranda vis & natura.

complexus contra ventos ſecum navem abri- peret. Cuius reſectâ caudâ libere rurſum ventos ſecuti ſunt. Torpedinem novimus, & piſces, quos captat, & piſcantis manum ſtupefactam loco figere; ſed tamen cum tremore, quem etiam, ſi inter mortuos piſces collocetur, in iis concitat. Rana piſcatrix, quæ tota penè caput eſt, latitudine palmæ, ingenti ore (ex quo velut ex filo pendentem vermiculum fundit) piſces circumfuſos captat. Phyſa Niliaca, & Hirundo marina, in mediterraneo mari frequens, ut viventes ad ventum, ſic & mortuæ exſiccatæque atque in conclavi ex filo ſuſpenſæ vertuntur, ut exemplo in P. Kircheri Muſæo ſe obſervaſſe Schottus refert, ubi ſuſpenſa hirundo talis, ſemper flanti mutatoque vento in cubili undique clauſo, roſtrum obvertebat. Porrò in uno magnete, quot naturæ miracula! cum non is ſolum ad polum ſe convertat utrumque, partibus certis; verùm & ferrum quodlibet tactum eodem dirigat, & hoc metallum mediis etiam tabulis rapiat, trahat, vertat agitetque, atque ideò, mira operatione, varias rerum ſpecies, quibus tantum ferrum miſcetur, circumagat, ſimulacra inter ſe pugnantia, volantes aves, horologia varia, aliaque id genus vi quadam occulta inſtruat, quæ Schottus in Magia ſua Magnetica & ſympathica proſequitur, & hæc partim proprietatibus rei cuique inſitis, partim cœli influentiis tribuit, ideoque univerſa rejicit, quæ vel ex arbitrio hominum ſuſpenſa, vel natu-

Magnetis rara virt9

naturæ virtutem ſuperantia ad hæc nequeant referri. Quamvis enim Diabolus naturæ ſagax indagator, per ſuas, vel alienas naturæ vires operetur (quia Deus illis ſupernaturali virtute non ſuccurrit] tamen cum remota in-exſpectatis inexploratiſque inter ſe effectibus conjungit, ſuo facilè artificio apud Phyſicos eruditos proditur, ac fraude innoteſcit. Quis enim non intelligat balſamum dari non poſſe, quo inuncti homines evolent repentè, inque loca procul ſepoſita, (ut ſagæ aſſolent) transferantur: quare hic Dæmonem translatorem intervenire neceſſe eſt. Ita ſi ferrum pannum-ve inungas, ut longè abſens corpus ſanetur; quis non videat à Dæmone patrari, cum in hæc unguenta Cœlum, ut in magnetem influere, nuſquam compertum ſit.

VIII. Diabolus etiam naturæ viribus utitur, ſed præter ordinē adhibitis, vel per ſuas vires & artes, cum deficiunt, ſuppletis.

Alijs rem exemplis declaremus. Conſtat Hydrargyrum, ſeu argentum vivum, quod Chymici Mercurium dicunt; omnia quidem pervadere metalla, ſed inprimis ſingulari affectu aurum ſectari. Unde cauti aurifices, cum in deaurandis aliis metallis argento vivo in igne diſſolvendo utuntur, ne fumus venenatus ex illo afflans graviter eos inficiat, aureum ori nummum inſerunt vel etiam deglutiunt, qui omne ſolutum Hydrargyrum per os, nares poroſque attractum ſibi devincit, adeò ut jam egeſtus planè argenteus conſpiciatur. Novi aurifabrum, qui hac arte neglecta totus poſtea argento vivo repletus, impalluit, ac denique hoc per varia membra, inprimiſq; cere-

Argenti vivi cum auro ſympathia.

Schot. in Magia ſymp. c.32 §.1.

 brum

brum ac ſanguinem diſcurrente, ſenſim in vigore ætatis, diu clinicus, occubuit. Ad aurum igitur ſeſe avidè transfert Hydrargyrum, ideoque annulus in digito aureus, in Hydrargyri elaborati officinis, repentè argenteus videbitur: &, ſi aureæ virgulæ extremâ tantum parte illud contingas, in totam adſcendet, etiam intima quæque ipſius penetrando. Nimirum hæc à cognata naturarum affectione proficiſci ſatis deprehendimus. Sed quod virga coryli in figura Græci Ypſilon ſucciſa, & binis prehenſa per furcam manibus, inferiori ſtipite ad locum, ubi theſaurus latet, inclinetur, hoc, cùm perpetuum non ſit, nec in omnium manibus, aut quovis theſauro repoſito fiat, à ſola natura patrocinium non poteſt provenire. Dolo hic ſuo intervenire princeps tenebrarum, & opum malè quæſitarum cuſtos Dæmon, à pijs omnibus exiſtimatur. Unde Schottus memorat magni Principis experimentũ, qui, cum dives è nobilitate vir defunctus in arce ſua theſaurum reliquiſſe defoſſum (quod palam nihil repertum) cenſeretur, exploratores cum virgula miſit, ſed unà Sacerdotes è religioſis duos, qui ante locum expiarent, ac benedicerent virgulas. Quibus factis, adhibitæ virgulæ ter quaterve locis diverſis inclinatæ ſunt; at poſt diuturnam foſſionem nihil ullibi inventum eſt. Exploratoribus judicantibus, theſaurum ſemper à Dæmone illudente transportatum. Sine lucro commiſſos ſibi Dæmon theſauros non patitur eripi.

XI. Coryli virga ad theſauros explorandos ſine Dæmonis ope & cũ illa quoq; incerta eſt.

Sup. lib. 4. Synt. 4. c. 1.

pi. Montem Eiffliacumcum, Diæcesin Trevirensem nuper historiæ conscribendæ gratiâ obirem, lustravi, inter veterem Dauniam & Neukircham altitudine conspicuum, Kopf, seu *caput* dictum, priscorum nobilium sedem, ubi non fama tantum, admotaque Coryli virgâ; sed exprimento thesaurum in reconditorio montis repertum adserunt, cum Rusticus, post tentatum aditum à spectris rejectus, denique Pastore socio, sacrisque rebus munito, penetravit; nec pauca istic argentea aureaque vasa contuitus, unum sustulit; Dæmonum, occulta vi, spectrisque horrendis, à reliquorum contactu, cum Pastore propulsatus. Tentatus deinde per alios aliosque, etiam cum sacris rebus accessus, ac demum annis proximis per montis suffossionem pluribus viris adhibitis, aditus, frustra hactenus, Scypho tamen hucusque in pignus relicto.

X. Oblatis quandoq; pecuniis Dæmon sibi obstringere homines conatur.

Ex ejusmodi thesauris sibi indultis veras nonnunquam pecunias (qui aliàs plerumque fictis deludit) hominibus sibi deviciendis exhibet. Cujus rei Carthusia nostra Trevirensis memorandum nobis testimonium reliquit, quod bona fide ex Annalibus Monasterij decerptum, perque ætate supparem P. Dominicum Prutenum sanctitate istic notum, literis mandatum, huc referam. Circa annnum Domini MCCCCX, sub Priore religioso P. Petro, cœnobitarum aliquis defectionem reditumque ad sæculum meditabatur. Verùm anxius de pecunia ad profectionem & vesti-

tum ſecularem neceſſaria, dum in hoc cogitationum æſtu cellam obambulat, videt juxta fornacis orificium, quippiam ſub panniculi involucro depoſitum, quod dum arripit, evolvitque florenos ex argento ſeptem & quadraginta deprehendit; ſed, ut primò lætus, ita deinde admirabundus obſtupuit, unde hæc ad illum delata pecunia ſit, cùm neminem ſubijſſe hominum, præter ſe, conſtaret. Venitque in mentem denique, à Dæmone videri ſtrategema illud profectum, ut hoc pacto reductum ad ſeculum præcipitet. Quare ſuum damnare conſilium, averſari æs oblatum, ac recta Priorem adire, detegere omnia. Qui poſtquam gravi oratione has manifeſtas eſſe Dæmonis inſidias tradidiſſet, receptâ ad ſe pecunia, confirmatum in religione dimiſit. Poſt dies aliquot, cum nihil in ære fraudis deprehenderet, Curatori domus, qui vivarium alendis domi piſcibus, intra Monaſterij ſepta inſtruxerat, pecuniam ad varios piſces coëmendos, locandoſque inibi obtulit. Ille, ut juſſus, eoſdem comparat, imponitque aquis, quæ in aditu Monaſterij, juxta horreum, ad extremum plateæ communis murum excurrebant. Vix altera dies illuxerat, & (res dictu mira, viſuque ſtupenda !) piſces, aquæ, vivarium, evanuerant univerſa; locuſque hactenus inanis, nec ſtructuram quidem innoxiam pati creditur, quod impoſita aut conciderint, aut conflagrarint. Tam periculoſum eſt à Dæmone, quamvis occulto & non rogato, bene-

beneficium accipere. Nullibi præſentius, quam in pecunia Dæmon ludit, ut varijs experimentis atque illo militis exemplo conſtat, qui Marchiam tranſiens, creditis hoſpiti loculis, cum repetit, eoſque ſibi negari videt, ad judicem provocat, ſed furti probandi impar carceri includitur, cui dein ad judicium producendo Dæmon ſeſe, militari in ſpecie, advocatum obtulit, admiſsusque, hoſpitem coarguit manifeſtè, locumque depoſiti ſignavit, qui cum perjurio factum purgaret, ſeque devoveret Dæmoni, hic repentè hominem, ex foro per aërem, in conſpectu omnium, deinde nunquam viſum abripuit, perfidiæque abſoluto altero alterum condemnavit: illumque, ad defectionem fruſtra tentatum, deſeruit, cui ne in hoc quidem Advocati officio Dæmonis opera admittenda fuiſſet; cùm nulli quicquam gratuitò Dæmon præſtare, nec veritatem quidem loqui, niſi à Deo coactus, ſoleat. Quodcunque à Diabolo beneficium proficiſcitur, jure debet eſſe ſuſpectum. Novi in ſtudijs trivialibus contubernalem, qui diſcendi juxta vagandique avidus, doctrinam, at ſine multo labore, ambiebat. Hic neſcio quam tandem artem citò quælibet apprehendēdi edoctus, quæ ſemel relegerat veſperi, ſuppoſitis noctu capiti libris, manè citra errorem de memoria reddebat. Verùm libertatem deinde, militiamque ſecutus, brevi perijt, exiſtimatus familiari Dæmonis conſortio uti, qui ſuos quam poteſt citiſſimè orco immolat.

Del. lib. 5. diſp. Mag. p. 1. q. 7. ſect. 1.

XI. Quodcū-que beneficium, etiam doctrinæ honeſtæ à Diabolo profectū fugiendū eſt; cum à bonis ad malas artes traducat.

Quo consilio nemo ad serviendum obsequẽdumque nobis promptior illo solet inveniri. Declarabo illud cognito hodiedum apud Treviros exemplo; quod apud Browerum infelici reperies exitu terminatum. Magnus urbis Prætor Theodoricus post multos ob Magiæ crimen morti adjudicatos, & ipse denique flagitij eiusdem reus infame supplicium subijt, hoc uno in tanta calamitate felix, quod pœnitens decesserit, & documentum posteris cohortatione pathetica, lapsuque suo reliquerit, quanta cura insidiæ artesque Sathanæ fugiendæ sint, quod levicula curiositate huc malorum prolapsus fuerit. Siquidem is (cognomini volens parco) cum desiderio studiorum, à quibus abstrahebatur invitus, oblatum sibi à congerrone librum, qui varias artes traderet, intentè volveret; fortè & adjurationem, quâ Dæmones sisterentur, legit. Et, ecce Ludimagistri specie coram Diabolus adest; iubetque bono esse animo, facilem se illi ad quaslibet scientias aperturum viam, facturumque, ut intra quadriennium Magister artium, ac triennio post, cum multorum applausu, aditúque ad honores facto, juris Doctor promoveatur: nec postulare in compensationem aliud, quàm, ut in ceterorum familiaribus congressibus nonnunquam ingerat: *non esse adeò tetrum Dæmonem, quam pingitur; nec adeo calidum infernum, quàm fingitur.* Paruit adolescens, atque ad scholas receptus, cum per idoneus literis videretur, tenuisque domi res esset, seminario,

In Annal. Trev. ad an. Christi 1589. & actis Germanicè impressis.

Exemplo fraudis Diabolicæ memorabili res declaratur.

nario Archiepiscopali admissus est. Et jã Physicæ, inter primos, operam dabat, cum Veterator se rursum stitit, monuitque, multa in physicis esse, quæ commune vulgus lateant; ut, quemadmodum agilimus homo fieri, & dum velit, etiam invisibilis esse cum Dædalo ac Gyge possit, providere futura, imperare cum lubeat, Dæmonibus. Nec alienum ab his juvenem traxit, artemque tradidit. Quâ fretus, ad aliorum in symposijs consortia, & Magicos etiam conventus, larvâ tectus, aliisque invisibilis, ipse omnia videns, perductus est. Intereaque studiorum cursum ad Doctoralis apicis in jurisprudentia metam decurrit: utque excellere omnibus visus est, aulæ Principis, ac demum & consiliis adhibitus fuit, honoratisque nuptiis ornatus. Aderat sub hæc rursus Dæmon suaque in ipsum commemorans beneficia, fidem sibi addici, Deoque renuntiari postulavit. Diu constanterque abnuit, donec minatus veterator, patefacturum se occulta quælibet, ni pareret, denique metuentem impulit, ut addiceret, se in vita quidem eius in obsequiis futurum, in morte tamen hoc promissum irritum velle. Acquievit Dæmon, ratus quem in vita possideret, in morte non facilè amissurum. Quocirca hominem sensim ad graviora perductum, ad Magorum consortia non raro abducebat, reliquis tamen sua sub larva incognitum. Evenit inter hæc, ut de exploratis quorundam veneficiis quæstiones Archiepiscopus Joan-

nes Schönenburgius instituerent, ijsque hunc, jam Prætorem urbis, judicem anno 1586. præficeret, qui hoc munus insigni peritia, multorum jam ante gnarus, obibat: donec & eundem Dæmon larva subducta, aliorum in saltu oculis exhibuisset. Quare cum officio absistere non posset, delatus accusatione multorum, quamvis diu eluserit: tamen constantia testium effectum denique est, ut ex judice reus sisteretur. Quando demum professus, se nihil præter artes, etiam Parisiensium in scholis toleratas, usurpasse, nec Deo sanctisque renuntiasse unquam: ut idcirco avocata Parisios causa per biennium istic agitata fuerit, priusquam capitis damnaretur. Tum verò mente animoque ad salutis consilium verso, post seriam vitæ anteactæ pœnitentiam Diaboli seductoris fraudes detestatus, denique justè punientis miserentisque simul bonitatem reveritus, ad pyram sibi præparatam concessit, brevi supplicio redempturus æternum. Quæ in actis judicialibus impressis fusè exposita, huc aliquot distinctè partibus referre lubuit, ut lector intelligat, quanta cautione occultarum artium cognitio prensanda sit, libri suspecti damnatique vitandi, ac quodvis lenocinantis Diaboli beneficium, semper fraudibus ad nostrum exitium directis plenum, repudiandum sit. Nec per ludum quidem Dæmon invitandus est. Narrat Scottus ex Cornæo, virum fuisse Tholosanis sua nobilitate cognitum, qui rerum absentium sciendi avidus, spiritum

In Physicur lib. 1. *c.* 37. §. 1.

ritum familiarem (quales in annulis capsulisque perditi homines circumferre venales solent) apud amicum cupidè prensabat. Hic, ut erat illius quidem ignarus, facetus tamen jocandique mirus artifex, pretiosi, inquit, si spiritus sunt nec nisi magno ære parantur. Dabisne, si centum scuta exigantur? Etiam, respondet licitanti, daturus sum. Ergo in sequentem diem traditio addicitur, si præsto æs fuerit. Adest ex condicto emptor, scuta numerat, exspectat spiritum: tum ridiculus propola captum domi gryllum inclusumque capsulæ ostentat, jubetque si responsa de occultis remotisque velit, ex illo cervicali supposito oracula sciscitari. Nec mora, domum concedit, seque lecto injicit, pyxidem cum gryllo culcitræ supponit: & his verbis compellat: *audi spiritus*: & quamprimum reponitur: *quid me vis?* Tum percontari cœpit, de absente amica; *ubinam versaretur? quid ageret?* & ad singula pro voto responsum tulit. Lætus igitur hac nundinatione, postero die revisit amicum nihilque tale suspicanti, imò ad omnia attonito, gratias de felici successu, optatisque responsis ab hoc spiritu manantibus, refert. Tum re manifestata utrisque stupentibus, compertum fuit, quam promptus ad obsequium Diabolus adsit, qui ludicra hæc etiam in seria converterit. Miserrimi planè mortalium, qui ad hæc ultima consilia familiaritatis cum Dæmone capitali hoste suo ineundæ descendunt. Facile hic invitatur hospes, diffi-

XII. Cum Diabolo nec ioco quidem ludendum est. Cum is serio rem agat.

cilè ejicitur, qui recedit magis cum ipsi, quam nobis collubitum est, nisi ante cum Deo reconciliati per Dei potentiorem manum (quã solum veretur) divina eum virtute superemus; at plerumque non multum, sui enim, ubicunque receptus fuerit, discedens hospitalitatis abominanda vestigia relinquit.

XIII. Diabolo, nec sacra quidem piaque suadenti obtemperandum.

Usque adeò nihil fidendum est Dæmoni, ut licet ad sanctas piasque te operationes precum jejuniorumque, atque aliarum virtutum impellat, audiendus non sit; sed alio hæc; quàm illius impulsu erunt peragenda. Hæc enim ipsa immoderatè, vel perperam usurpata, si ex ipsius consilio processerint, denique ad evertendam hominis salutem spectabunt. Sic alius Monachorum, ut ab obendientia eos subtraheret, eremum suasit; aliis, ut in consortio aliorum perderet, à solitudine reditum, Gorlino Eremitæ montis serrati, in specie Eremicolæ autor fuit, ut filiam Comitis, quam à Dæmone liberârat, secum, dum firmior esset, pateretur: itaque ad lapsum carnis securum inclinavit; eodem consilio eventuque S. Victorino in deserto hospitalitatem, sub puellæ derelictæ specie persuasit. Mirum est, quod in hoc genere Theodoro Maillotio Lotharingiæ Proprætori adhuc adolescenti evenisse memorant. Is puellæ nobilis, impar ipse, amoribus (qui communis Dæmonis hamus est) perditè tenebatur. Quam, ut matrimonio sibi adjungeret, Germanum Diabolo, ut credebat, & sibi familiarem, pro consi-

lio

lio & ope ſollicitat, addicit ille, Dæmonemq; in forma elegantis puellæ ſiſtit. Quæ inexſpectata Theodorum oratione compellat &, ſi velis, inquit, illâ potiri ſponſâ, furtis, crapulâ, libidine, blaſphemiaque, & omni vitio abſtine; pietatem erga Deum, liberalitatem erga pauperes tibi commendatam habe, ac cetera Chriſtiani hominis officia impensè cura, teipſum verò carnemque binis per hebdomadem jejuniis macera, ſolennes quotidianaſque precationes nunquam præteri. Hæc ſi mihi ſanctè te præſtiturum juraveris, addico fidem, nuptiis deſideratis potieris. Expende ſerio, meditatumque reſponſum adfer. Hæc locuta, & præſtituto reſponſionis die, ſe extra conclave foras ejicit. Maillotius partim lætus tam honeſtis conditionibus, partim nequa fraus lateret, veritus, profunda hæc ſecũ cogitatione exigebat; ut domeſticus ex vultu Sacerdos, abſtractæ mentis curis obſervatis, blandè talia meditantem aggreſſus, deniq; ab apertè faſſo veritatem, conſiliumque extorſerit, contraque omni ope nixus perſuaſerit, ne rem diſcrimine pleniſſimam aggrederetur. Dæmonem quantumvis ſpecioſa oratione promiſſisque ſemper fallere, ac blandâ ſub eſcâ hamum occultare. Præcipitandum certò, & fortè æternùm, ſi obſequatur. Perſuaſit Mailotio, cæptumq; damnavit ac reſcidit, fruſtra Germano ad obſequendum ſollicitante; quòd niſi hanc aut aliam ille Diabolo prædam ſiſteret, ipſi perniçies immineret.

Delr. lib. 2. diſq. Mag. q. 4.

So-

Solet enim hujuſmodi pactis jam ſibi devinctos ad certa flagitia obſtringere. Et verò infelix Germani exitus, qui non multis poſt diebus, ex equo in terram eliſus, momento infelicem animam evomuit, Maillotio terrori fuit, impulſuque, ut ſaniora futuris temporibus conſilia agitaret. Poſſem hanc in rem (ut exemplis confertiſſima apud varios autores eſt) adducere quam plurima, & recens omnino Tribuni militaris familiari Dæmone uſi, cujus auſpicijs varia inter prælia invulnerabilis felix quæ emerſerat; ſed infeliciſſimo deniq; exitu, cum ſummo dedecore, à Diabolo, ex ſuorum Officialium conſortio, ad inferos translatus. Memorant factum qui etiamnũ ſuperſunt, & triſti interfuêre ſpectaculo. Suæ is militiæ primates ſolennibus lautiſque epulis exceperat, ipſe in parte menſæ lætus & alacer, veterumque ſtrategematum memoriam refricans, jamque ad bellaria, menſæque epilogum ventum erat, quando, ut plerique vino incaluerant, fauſtis omnia vocibus perſtrepebant; cum ecce importunus oſtium pulſator quatit. Procurrit famulus, nuntiumque excipit, ac Domino refert, prægrandem iſtic ac peregrini oris adſtare hoſpitem Dominiq; affatum poſtulare. Expalluit vultu tribunus, jubetque reſpondere, quod in præſentia non vacet, alio redeundum tempore. Famulus juſſa explet. Sed hoſpes, aut, inquit, ad me ille, aut ego ad illum. Quo intellecto Tribunus conſternatus egreditur, nec longa mora,

XIV. Horrendus Ducis militaris ex Dæmonis familiaritate exitus.

mora, cum horrore ingenti quaſſata domus & Diabolus correptum hominem per tabulatum tectumq; domus abreptum, eò transſtulit, quò familiares ſibi aſſeclas, horrendo ac nunquam ſatis deplorando exitu, tranferre conſuevit, luculentis, quà ſanguinis, quà veſtium, quà hiatus veſtigijs relictis. Quæ tunc fuerit convivarum facies, quis animus, quæ execratio tam infamis ſceleratique Ducis, facilius cogitatione, quàm verbis aſſequemur.

XV. Extremæ dementiæ eſt ultrò hominem in Diaboli, hoſtis ſuis graviſſimi, poteſtatem tranſire.

Quid hic dicam, aut quibus hanc extremam mortalium dementiam pingam coloribus, nulla nec in beſtijs quidem, tam perverſa reperiri poteſt brutalitas, quæ ultro exitialis ſibi inimici familiaritatem ambiat. Et homo ratione præditus, mente ad cœleſtia natus, relicto amantiſſimo conditore ac Patre ſuo Deo, ſpretis deſpectiſque tot beneficiis ſibi præſtitis, tot tantiſque æternæ felicitatis promiſſis in futurum poſthabitis, neglectâ Sanctorum omnium ſocietate & gratia, ex filio Dei, fratre Chriſti, herede infinitæ gloriæ; ad ſui, Deique, ac bonorum omnium hoſtem longè immaniſſimum, proſcriptum cœlo, addictum inferis, æterniſque mancipatum ſuppliciis, quo nihil tetrius, horribilius, execrabiliuſque fingi, aut cogitari poteſt, leviculo ac momentaneo penè voluptatis, aut cujuſcunque cupiditatis explendæ præmio oblato, tranſeat? O incredibilem amentiam, ſanguineis deplorādam lacrymis, æternis dignam ululatibus, nunquam terminandis gehennæ incendijs

cendijs luendam! Tam extremè insana, tam perversa, tam detestanda, nemo crederet ab homine perpetrari posse, nisi cerneret patrata. Qui Patrem veneno tolleret, matrem gladio, fratrem laqueo, sororem flammis, liberos aquis, omnesque hos, quantum ex se, Diabolo offerret, facinus committeret omni execratione ac supplicio dignum, quam igitur tali, & infamiam, & pœnam destinabis, scelestissimorum omnium scelestissimo, qui unicam quam possidet animam, ad Dei imaginem conditam, pretioso Christi sanguine redemptam, æternæ heredem gloriæ, coheredem redemptoris sui, Diabolo, inferno, immensisque inferorum tormentis, pro levicula cupiditate implenda, cum corpore bonisq; omnibus præparatis, transcribit? Hic attonitos nos stare, stupere, exclamare denique necesse est. O malitia vel ipsis Diabolis admiranda, quâ nec homo reperire majorem, nec Diabolus habere potuit optabiliorem! Quid cogitas, quid moliris, O mortalium infelicissime? Dei creatura es, & Diabolus te possidebit? Deus vitam omni momento largitur & sustinet; tu Diabolo hanc impendes? Deo omne beneficium naturæ debes & gratiæ: & tu Diabolo obsequium repones? Deus hominē pro te assumpsit, ut par ille tibi, tu esses illi, & tu proiectissimi Dæmonis consortio frui mavis, quā altissimi omnipotentis? Deus-homo sanguinem vitamque pro te fudit, ut te vendicatum è diaboli servitute cælo transcri-

beret;

scriberet; & tu vitam impendis honoremque Diabolo, perpetuum & illius futurus mancipium, & Sanctorum opprobrium, & ignis infernalis alimentum? O infelicitas! O supplicium! O æternitas!

XVI. Qua cautela adversus Diabolum uti necesse sit, ut ipsius laqueos evadamus, gloriosi victores.

Cave, quisquis es, cave Diaboli insidias blanditias illius ne auscultes, fallaces sunt, sub melle venenum tegunt; minas & terriculamenta contemnas; inanes sunt, non lædunt nisi obsequentem. Si carnis illecebris tentet (hac enim via aggreditur) fuge: ad Dei te præsidium, ad Deiparæ Sanctorumque tutelam confer. *Non patietur te Deus tentari ultra quam poßis*, quin etiam *faciet cum tentatione proventum.* Malorum consortia, ebrietas, luxuria, vitanda sunt, his enim in lacubus Diabolus, licet ubique advigilet, inprimis piscatur. *Sobrij*, ait D. Petrus, *estote, & vigilate, quia adversarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide*, fiduciaque ductoris victorisque nostri Jesu. *Deus* enim *omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam, in Christo Iesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.* Fortem sustinemus adversarium, ita Deo ad victoriæ nobilioris gloriam disponente: quia, *non est potestas super terram quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret. Omne sublime videt, & ipse est Rex super omnes filios superbiæ*: fortior tamen Dux noster Christus, sub cuius adversus illum auspicijs militamus. *Diabolus* ait Augustinus *plerumque vult nocere, & non potest; quia*

1. Pet. 5.

Iob. 14.

D. Aug. in psal.

potestas illa est sub potestate Cave, ne à Christo te separes, & vicisti. Militia est vita nostra, in hac cum tali adversario certandum est, fraudesque illius atque insidiæ declinandæ. *Dæmonum*, ait D. Bernardus *est mala suggerere: nostrum est non consentire. Quoties eis resistimus, toties superamus, Angelos glorificamus*, *Deum honoramus: qui visitat, ut pugnemus; adiuvat, ut vincamus, consolidat, ne deficiamus.*

D. Bern. in serm.

CAPVT V.

An literarum studia atque eruditio, aliarum in rep. artium damno foveantur, nec ad publicam; tam incivilibus, quam Ecclesiasticis rebus felicitatem faciant?

Adversus quendam obtrectatorem.

I. Cujusdam adversus literarum studia expositæ, & expensæ objectiones.

ANimadverto te in ea versari hæresi, quæ sentit, literarum studia, parum ad florentem reip. statum promovendum facere; ideoque & moderanda valde, & cum quibusdam etiam Academijs in exilium releganda. Ratione, quâ te impelli asseris non una niteris: artium mechanicarum curam ab optimis quereris ingenijs negligi, mercimoniorum, quibus potissimum resp. efflorescunt, studia destitui, ac denique per molliores hasce

artes

artes enervari animos, & à labore duriusculo abstrahi, ad otium, quæque huic cognata sunt vitia cupiditatesque, abduci flexiles adolescentiæ juventutisque annos affirmas. Impleri deinde vagabundis hominibus, turbarique urbes. Monachos quoque ac Monasteria, præsertim Mendicantium, tanto multiplicari numero, ut vix agri urbesque eis alendis sufficiant. Alios liberioris vitæ cupidos, ad militare otium licentiamque adspirare: nonnullos etiam ad immaturos transire mulierum thalamos, artium cæterarum rudes, neque ad officium aliquod in rep. idoneos; sed *tantum fruges consumere natos.* Nimirum, quod in vulgari parœmia, de literatis illis otiosisque fertur, *desperatio tria facit M: Monachum, aut Militem, aut Maritum*, hoc nimium frequens esse, experientiam dicis testari.

Negas subinde vel necessitatem, vel utilitatem, vel honestatem etiam in alenda hac literatorum hominum frequentia, sive domi, sive militiæ reperiri: exemplisque, quà Romanorum olim, quà Hollandorum Venetorumque hoc tempore uteris, quorum florentissimæ hactenus resp. citra magnam liberalium artium culturam eminuêre. Turcarum etiam imperium hoc tempore maximum florentissimumque literarum amandatâ procul curâ, armorum potissimum studio efflorescere; & hinc, à doctis potissimùm nasci solitas, hæreses prudenter excludere affirmas. Addis quædam studia ad ostentationem magis,

quàm usum commodum tractari; quædam etiam probabilibus solum dissertationibus nixa, nihil ad certam scientiam facere; quædam denique noxia ad fallaciam circumventionemque aliorum reperta simplicitatem æquitatemque hominum in vita communi evertere, ut ad dedocenda hæc potius, quam tradenda Academiæ instituendæ videantur. Ita paucis multa adversus liberalium artium studia complecteris, quæ tamen suam in omni hominum ætate venerationem habuêre, ut hunc ex animo tuo errorem jure censeam submovendum: ne florentes hactenus in in Christiana religione nationes & resp. illa tuæ opinionis hæresi inficias.

Plat in vita.

II. Romani Pont. de literis & eruditione sententia.

Pij II. Rom. Pontificis frequens pronuntiatum est: *literæ Plebeis argenti, Nobilibus auri, Principibus, gemmarum loco sunt* Nimirum sapientissimus Antistes, his sentiebat inculta hominum ingenia ad quandam humanitatem eruditi, pietati ac religioni aptari, denique animi opes esse, quæ solæ eripi nobis à fortuna & hostibus nunquam possent. Quam verè illa senserit Magister gravissimus lubet dissertatione præsenti, breviter tamen, inquirere, quam ita instituam, ut objecta superius, in utramque partem discutiendo expendam, ne veritati quicquam detrahatur. Mechanicas ab optimis ingenijs negligi artes, ex liberalium studiorum cultu, censes. At ego optimum quemque, & ingenio subtilissimum ad practicas ferè artes, quæque manibus ab-

solvun-

solvuntur, minus comperi idoneum. Neque enim mens sublimioribus delectata ac fixa cogitationibus, ad hæc negotiosa se facilè submittit: aut illud cum studio investigat pertractatque, quo minus capitur. Mediocria ad praxin ingenia prævalent. Ceterùm quidquid ex mechanicarum artium præstantia ad posteros à Majoribus traductum accepimus, hoc penè totum litteris debemus. Interijsset horum memoria & idea omnis, nisi per eruditos scriptis mandata fuisset. Ita dolemus intercidisse quædam in architectonica, doctorum hominum defectu atque observatione, quamvis multa ad nos traditione pervenerint. De admirandis Ægyptiorum Labyrinthis, Mausolæi, Pyramidumque operibus, de muris, arce, hortisque pensilibus Babylonis, Semiramidis mulieris ingenio imperioque potissimum conditis, quid memoraret, historicorum destituta labore posteritas? Quod una istic arx muris octoginta pedum in cœlum educta, viginti stadiorum ambitum complexa sit, ac pensiles in eadem super columnas in aëre fuerint horti, qui diversa arborum genera, octonum cubitorum crassitie, immanique proceritate sustinuerit, hoc cognitum literis referimus, quibus innumera alia de Romanorum ingenio & magnificentia explorata debemus. Atque utinam plures olim eruditione scriptisq; excellentes fuissent, minus certè in artibus mechanicis, mundus à priscis degenerasset seculis. Cui enim nisi li-

III. Memoria antiquarum artium sine literis, intercidisset.

Curt. & Sabel. l. 3. Enn. 4.

terarum neglectui imputamus, quod tam multa in variis artibus scientiisque cognita olim, posteris intercidisse atque ignorata seculis esse, non sine dolore, queramur?

IV. Quod præclaræ artes intercide-rint, inprimis perpetui in lucernis alendi luminis, neglectui literarum debemus.

Illa Ægyptiis olim recepta condiendorum corporum ratio, ex quibus Pharmacopolæ Mummiâ, ut vocant, officinas suas, ad Medicam opem, instruunt, apud quos hodie satis explorata est? Ubi nunc perpetuò ardentium lucernarum instruendi ars, quæ antiquorum funeribus ornandis adhibita, in solatium, ut putabant Manium animarumque sub terra degentium, à plerisque ditiorum usurpata? Certè ante quindecim & amplius secula, cum luce sub tumulis reconditæ, hodiedum ardentes eruuntur.

Bonfinius sua in historia refert Leone Pontifice Romæ à Normannis capto, Pallantis illic, cujus Virgilius meminit, cadaver giganteum, integrum adhuc incorruptumque prorsus repertum, vulneribus etiamnum, velut post recentem conflictum, hiantibus. Ad cujus verticem ardens lucerna extitit, quæ vitreo septa orbe, nec ventis, nec affusis quicquam aquis passa sit, donec adacto stilo, per foramen hausto aëre exspiraret. Tale ejus Epitaphium fuisse ferunt:

Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, mole suâ jacet hic.

Quocirca per octodecim hanc lampadem secula arsisse oportuit, nec credibile, nisi hoc casu extinguendam fuisse. Plura in Campo suo

suo Rejesius exempla diversorum autorum profert; ut quod sedente Paulo III. Pont. sepulchrum Ciceronis filiæ Tulliolæ, in quo lucerna per annos 1500. succensa, aëris immissi afflatu extincta sit, Pancirolo teste in libro 1. memorabilium, quodque in sua Anatomia Zirbo tetigisse se ac vidisse meminerit. Porrò Aldrovandus se adhuc puerum Bononiæ in ædibus D. Laurentij in sepulchro quodam aperto splendentem spectasse scribit, qui & à Colono inventam haud longè ab Ateste Italiæ oppido sub lateritia crepidine memorat. Sed, quis iste inconsumptibilis liquor ellychniumque, hodie ignoratur. Certè illo in fanis etiam Veteres accendisse lampades, *Pausanias* testatur in Atticis, cum, inquit, Athenis in ædibus Minervæ lucernam succensam auream, noctu diuque lucentem: oleum tamen quotannis semel affusum. Et D. Augustinus Veneris fani meminit, ubi lucerna sub dio succensa, nullis imbribus, aut tempestatibus extincta sit, ut hāc clausam, illam apertam fuisse conjectura sit. Christianis tamen suis lucernis P, aut ut alii X, qua Christi sese testarētur, literam adjicere usitatum. Ad Ezechielis etiam Prophetæ sepulchrum lampadem perpetuis ignibus succendisse Judæos, Benjaminus in suo Itinerario recenset: Patavij Bernardus Scardeoneus refert, inventam in sepulchro urnam fictilem his inscriptam versibus.

quæst. 58. n. 55.

tit. 55.

In Musæo Metal. l. 2. c. 3.

lib. 21. de Civit. Dei c. 6.

In hist. Patav.

Plotoni sacrum munus ne attingite fures;
Ignotum est vobis hoc quod in orbe latet.
Namque elementa gravi clausit digesta labore
Vase sub hoc medico Maximus Olibius.
Adsit fecundo custos sibi copia cornu,
Ne pretium tanti depereat laticis.

Erat verò intra hanc urnam, alia minor, quâ apertâ duæ ampullæ repertæ sunt affabrè elaboratæ, ex argento una, ex auro altera, purissimo quodam liquore plenæ, quo lucernæ ignis multis exarsisse alitusque seculis fuisse existimatus est. Quis, qualisque hic liquor multorum hodie disceptatione investigatur magis, quàm deprehenditur. Sunt qui ex præstantissimo metallorum auro chymicâ arte eductum afferant; sed nisi aliud præsidiū accesserit, fidem non facient; licet enim aurum igne non consumatur, tamen ut simul alimentum flammis perpetuis sufficiat, hoc sc solo, quamvis eliquatum chymicè non poterit. Quare inveniendus liquor est, qui resolutus flam̄is, in clauso vase non evaporet, sed in eundem liquorem intervallo refundatur, ut aqua oleūve in vase clauso igne subjecto bulliens, calidis exhalationibus suis in eandem demum aquam oleumve recidit, nihil in sua quantitate amissura, si nihil exspirasset. Id in historia Trevirensi nuper edita docui & fieri potuisse, & olim factum. Interea ex oblata mihi magia naturali P. Casparis Schotti vidi, eundem ex Joan. Baptista Porta, Bernardo Cæsio, & Pancirolo aliisque hanc sententiam

V. An inveniri hoc tempore tales lucernæ queant, & quomodo instruendæ?

part. IV. l. 2. c. 6.

no

non aſpernari, difficultatemque ſolam in accendendo ellychnio aſbeſtino (quale mecum requirit, exemplisque à ſe, hoc incombuſtibile eſſe probatum aſſerit:) agnoſcit, quod in clauſa jam ampulla vitrea accendi debere judicat, exiſtimatque radiis ſolaribus per vitrũ cauſticum collectis, id fieri poſſe. Porrò quod pleræque veterum ampullæ quæ arſiſſe compertæ ſunt, ita fuerint undequaque ad perpetuitatem ignium alendorum clauſæ, vel ex eo liquet, quod pertuſæ, ut primum aërem hauſerunt, extinctæ ſint. Non tamen exiſtimem vitreas illas ampullas, nudas & perluſtres relictas eſſe; ſic enim tenuiores, etiam per vitrum, cum ignis calore ſpiritus ſenſim penetrare atque ſpirare, & materiam alimentumque ignium imminui neceſſe fuiſſet. Unde argento vivo mortificato, aliiſque denſiſſimæ naturæ metallis incruſtari debuerint, adeoque totum cum vitro lumen occultari. Quæ cauſa fuit, cur pertuſa antè vitra lampadeſq; fuerint, quam ignis obſervatus, qui etiam, ut primum viſus, repentè evanuit. Quod ſi tamen oleum inextinguibile dari queat, (ut Schottus fieri hodiedum poſſe, & factum olim ſibi perſuadet) nihil obſtabit quo minus ejuſmodi perpetuò ardentes lampades in aperto aëre, ut illa, de qua Auguſtinus ſupra, durare poſſint. Hujus verò conficiendi rationem hoc ſeculo ignorari, cui, niſi eruditorum in literis, & ſcriptorum penuriæ, imputabimus? Quorum hac ætate copia fit; ut nihil

VI. An oleũ inextinguibile queat reperiri eruditorum beneficio?

penè, etiam in artibus mechanicis, tam sit abditum, quod ad posterorum notitiam non transfundatur. Non desidit quidem Schottus, oleum hoc inconsumptibile chymicorum industria reperiendum: Verùm tamen extractum ex lapide asbestino, & metallis diversis liquorem negat potuisse accendi: neque salis oleum huic rei suffecturum putat, quamvis sal oleo inspersus idem diutius ardere faciat. Ait denique sibi à Chymico promissam methodum olei inconsumptibilis conficiendi ex triplici sulphure, minerali, vegetabili, & animali, per ignem æthereum solis & lunæ (auri & argenti) sine aëris ingressu accendendi. Sed præstare hæc, quam polliceri aliquantò reor esse difficilius, cùm hoc oleo reperto, lautas sibi hic chymista offas & scitamenta parare queat, rem bono œconomo non negligendam.

Hæc de lucernis suffecerint. In quibusdam artis architectonicæ veterum inventis manifestandis, non inutilem me, in historia Antiquitatum Trevirensium, posteris navasse operam crediderim; illic præsertim, ubi de aulis, quantumvis magnis, non multo igne, & hospites quidem subeuntes latente, calefacientis hiberno tempore disserui; tum etiam de murorum in ædificiis veterum soliditate, quæ cum longioris discursus sint, & figuris propositis magis illustrentur, ad illa lectorem remitto. Et horum quidem disquisitio longè facilior nobis futura erat, nisi literatorum olim

In Notis ad Propar. ad c. 19. 20. &c.

olim hominum defectu præterita fuissent.

VII. In pictura, & statuaria num quid eruditorum vitio perierit?

Quæ de pictura, & statuaria arte veterum tenemus, à literatis possidemus; quæ ignorantur, ab eorum negligentia aut ignoratione provenerunt. Temperamentum certè optimum colorum, & immortalis quædam eorum vivacitas, non satis huic ævo est cognita, nec quâ arte Apelles, Zeuxis, Parrhasius in pictoria; Dædalus, Phidias, Polycletus aliique in statuaria, tantam sibi admirationem, ex imitatione verâ, acquisiverint. Cùm plerorumque operibus nil, nisi vitam, defuisse autores testentur. Ita ut, bruta juxtâ hominesque, nonnunquam ficta pro veris amplexi sint. Apelles cum equum in certamine pictorum exposuisset, alij equi prætergressi huic ut vero animanti adhinnire auditi sunt. Zeuxis & Parrhasius, inter se de præstantia artis æmulatione certantes hoc casu judicati sunt: Uvas Zeuxis tam aliquando scitè adumbraverat, ut deceptæ aves, ad eas decerpendas advolarint. Parrhasius contra mappam in tabula adeò vivis expresserat coloribus, ut cum ad Zeuxin spectandam deferret, is removere illam conatus sit, ut picturam sub ea latentem intueretur; cumque deinde nil nisi mappam istic pictam observaret, *Parrhasi*, inquit, *vicisti: tu hominem, ego aves decepi.* Invenies fortè qui hoc tempore idem præstent, minus tamen duraturis coloribus. Uti reperturus es, qui hoc tempore veterum ædificia elegantiâ assequantur, minus tamen tenaci murorum

Plin. l. 35. c. 10.

Plin. & Fulgos. l. 8. c. 21.

cœmẽto; quod lapidũ ſoliditate olim coaluit.

De ſtatuarijs, quæcunque rara novimus, per literas didicimus, volantes in his Dædali columbæ, & mobiles celebrantur; ſtatuæq; de quibus Ariſtoteles in policitis, quod opera per ſe obire fuerint ſolitæ; & Plato in Memnone, quòd aliquæ, niſi vincirentur, aufugerent. Heliopoli, in templo Apis, Dæmonis prædicatur ſimulacrum, quod ſe, in quamcumque ſol declinaret partem, converteret. Quæ ut rectè Cardanus advertit, horologiorũ non diſſimilibus rotis potuêre effici. Vidi horologiũ vectile, quod ex Belgio ad Imp. Ferdinandum III dono transferebatur, in quo per ſingulos horæ quadrantes ſtatuæ movebantur, hora autẽ inſtante Angeli tubas inflabant, Leo ſubtus procumbens rugiebat, tum auditâ horâ, cantabat Gallus, Petrus flens prodibat. Nec horas tantùm, ſed & totius cœli curſum, temporumque varietatem per mobilia ſigna repræſentabat. Hoc uno Dædali opera etiam ſuperata credam. Si columbam ille volantem inſtruxerit, noſtra ætas etiam muſcas ex ære volantes exhibuit. At, qui alas ſibi inſtruxerit, quibus maria integra volatu ſuperaret, hunc nondum, nec à Dædalo quidem, datum exiſtimem. Quare alias haſce alas præter navigiorum vela fuiſſe nego. Labyrinthum porrò in Creta repertum, etiam noſtra credo ætas imitaretur, ſi par operi utilitas reſponderet. Ita obeliſcos, pyramides, mauſolæa, & neſcio quæ operum priſcorum monſtra, non tam ignora-

De rerum Variet. l. 12. c. 28.

mus, quàm faſtidimus; cum operis immenſi, nullius ſint commodi. Baſilicarum templorumque nos potius magnificentia delectat, quâ noſtram & Deo pietatem, & hominibus liberalitatem probemus. De quorum operum amplitudine gloriaque differere longioris quàm huc ſpectat operæ ſit.

VIII. Eruditi multum ad mechanicas artes promovendas contulêre. *Ramus l. 2 procem. Math. Avent. l. 17. Annal. aliique.*

Qui ſcire deſiderat, quantum bonum mechanicis artibus contulerint literæ, vel unius typographicæ artis inventionem Joanni Fauſt Moguntino inter Germanos civi tributam anno ſalutis M CCC L. expendat. Hic primus M. Tullii Ciceronis opus de officiis hac arte procudit, cum tali inſcriptione: *Præſens M. Tullii clariſſimum opus Ioannes Fauſt Moguntinus civis, non atramento, plumave, canna neque ænea, ſed arte quadam perpulcra, manu Petri de Gernsheim pueri mei feliciter effeci. Finitum anno M CCC LXVI quarta die menſis Febr.* Nimirum artem apud alios vulgari noluit, niſi primo ſibi quæſtuoſa fuiſſet. Unde & Petrum data filia in generum delegit. Sed cum deinde Joannem Gutenberger, quamvis juratum miniſtrum delegiſſet, hic Argentoratum artem transtulit. Inde per municipes Italiæ fuit illata, nunc in orbem univerſum. Quamvis, ut ex China per P. Martinum inde reducem cognovi, & typographica ars & tormentaria plurimis iſtic ſeculis ante nos viguerint. Hanc tamen, quæ pyrij pulveris vi, ab bellicas artes machinaſque translata eſt, ab erudito rurſus homine Germano Monacho Berch-

Typographia ab eruditis & tormentaria ars reperta, mechanica valde auxerunt.

toldo,

lib. 13. hist. Helv.

toldo Nigro reperta est primumque Augustæ Vindelicorum, si Stumphio credimus, usurpata, ad Venetos deinde translata, qui atroci contra Genuenses prælio primum sunt usi. In cuniculos deinde subterraneos ejusdem pulveris usus conversus, navaliaque prælia, quantas fortissimorum virorum clades edat, quis satis explicabit? Ut hæc ars tormentaria ex orco, illa typographica ex cœlo ad nos trãslata videri possit. Innumeri tamen ex utraq; arte artifices diversis in officinis aluntur, ut siquid hoc nomine boni reip. attulerit, id totum literatis debeatur: adeoque non nisi imperitorum, aut eruditis invidentium querela esse possit, mechanicas artes per literarum studia impediri.

Non jam disseram de Organopœis, sive ad musicam, sive ad hydraulicam spectantibus, non de æris incisoribus, sive ad topographiam, sive ad iconographiam pertinentibus, non de munitionibus propugnaculisque, per suos artifices excitandis; qui nisi eruditione aut mathesios cognitione imbuti sint, sua nihil arte dignum præstabunt.

IX. Mercimonia non impediuntur, sed promoventur literarum studiis.

Jam mercimonia literarum humaniorum cognitione impediri, quis prudens sentiat, cum ab his ad illa haud leve emolumentum manare passim compertum sit; ita ut laudabili apud Vbios instituto plerosque mercatorum filios priusquam negotiationi applicentur literis humanioribus videam erudiri, quarum deinde notitia freti, totum terrarum

orbem,

orbem, expedito latii ſermonis uſu, peragrare tutò licet, cum reliquæ ferè linguæ certis terminis, Latina univerſi orbis limitibus circumſcribatur. Eruditi præterea qui negotiationi ſe applicant, longè ceteris perſpicatiores magiſque in rem ſuam providi exiſtunt, quòd ex libris plus ſæpe ad mercaturam emolumenti artiſque, quàm ab experientia hauriant. Thales Philoſophus, ut oſtẽderet, ſibi ex negotiatiõe opes parare, haud eſſe difficile, prævisâ olearum ubertate, anticipata emptione omnes ad ſe anni fructus certo ex agro traduxit, & repentè ditatus eſt. Platoni nihil ad opulentiam defuit; ita ut aliquando invitatus Diogenes, utenſilem menſæ apparatum, in terram abſtractum, tanquam Philoſopho indignum calcarit pedibus; &, quid faceret? rogatus, reſponderit: *Calco Platonis faſtum*; cui tamen non ineptè repoſuit Plato; *ſed maiori faſtu*: quem Diogenes quibuslibet inſultando oſtentabat. Hic tamen Plato ſapientiæ licet & eruditionis inter gentiles miraculum, opes ſuas olei negotiatione magnopere auxit, cujus gratiâ Ægyptum peregrinando oberravit, eruditione non minus, quàm auro locuples domum reverſus. Quanquam contemptor divitiarum illuſtrior fuerit, quàm inſtructor. Quod ſi illos præterea memorem, qui in paupertate eruditi, ad ſummas deinde opes honoreſque ſcientiarum gratiâ emerſerunt, quis finis? Quæ alicujus Principis aula, quæ in rep. curia Senatuſque, quot ſeculum ejuſ-

Laertius. Plutarchus aliique.

X. Eruditi ex paupertate faciliùs quã Mercatores emerguntur.

ejuſmodi plures non conſpexit? ſolus Romanorum Pontificatus, principatuſque, quot qualeſque viros, ab Iri|mantica ad ſummā orbis infulam coronamq; tranſire vidit, & amplexus eſt? quo mercatorum ſolertia non penetrat, huc literarum commercia pertigerunt. Rarus literatorum, niſi volens, in paupertate conſenuit: mercatorum quàm plurimi.

XI. Quamvis ſtudia nō ſint ab omnibus vitiis remota, Mōachos tamen parere illa, laudabile eſt.

Porrò quod enervari ſtudiis juventutis animos, otioque ac cupiditatibus frangi nonnulli exiſtiment, ac denique ex deſperatione aut Monachum, aut Maritum, aut Militem fieri autument; id ſi quandoque inconſultè fiat, non literis adſcribendum erit, ſed hominibus, qui in quolibet peccare ſtatu poterunt. Ab omnibus præſtare literas vitiis immunes nemo hactenus credidit, ut nec aurum quidem argentumque; quòd tamen ſumma ambitione mortales prenſant. Non igitur eruditioni, quæ minus auro, ipſiſque Regum ſoliis ac coronis periculoſa eſt; ſed humanæ imbecillitati hi errores imputandi ſunt. Quos tamen ſi expendamus, qui qualeſque ſint, nihil ſæpe, aut parum vitii habituri ſunt. Monachorum, ais, per hos impleri monaſteria, totamque remp. mendicitate gravari. At quale hoc gravamen, quo nemo, niſi volens, tenetur? per hos impletur illud Chriſti, quo ipſius populus ab infideli quovis diſcernitur, *ſemper pauperes habebitis vobiſcum*? Batavos hoc nomine felices prædicas, quod mendicis nulli-

nullibi graventur, Monachis exclusis, & indigis ad labores idoneos inclusis. At ego infelices hoc titulo sentio, quod amittant hic signum populi fidelis, & inter hos Christus in persona egentium non versetur: ut sibi arrogare possint: *quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*: ac centuplum exspectare promissum queant. Et quem illic reperias, qui pro Christo relinquat patrem ac matrem, domumque ac quæ possidet universa, vel effundat hæc in pauperes, ut Christum nudum nudus sequatur? Nimirum quæ istic primorum Christianorum omnia sua ad pedes Apostolorum deponentium pietas deest, alibi copiosius pensatur. Tota olim in primis suæ Christianitatis principiis Saxonia, Pomerania, Prussia, Suecia, Monachorum, Virginumque cœtus ac cænobia recepit, quæ Lutherana vel Calviniana religio, pro sua pietate, evertit omnia. Quod hæc igitur majori frequentia celebrentur alibi, non literis, quæ ubique vigent, sed divinæ providentiæ, alibi suæ Ecclesiæ damna sarcientis imputandum est. Ostenditur sanè, quid de eorum religione censendum sit: cum quâ repentè carnalis illa concupiscentia omnes illas nationes ita occupavit, ut nec unus quidem monachismi sectator inter eos reperiri queat. Quantum, pro dolor! à primis Christianorum seculis deflexerunt, quando, ut D. Hieronymus in vita Hilarionis Abbatis memorat, per totam Palæstinam innumerabilia penè Monasteria censebantur,

XII. Multæ religiones cum Monachis veram religionem exclusêrunt.

bantur, & ex villis certatim his eleemosynæ deferebantur, ut beneficiũ à viris sanctis accipere potiꝰ, videretur quã dare. Hæc disciplina statim à Christi resurrectione in variis regionibus propagata, tantò nunc studiosius à Catholicis excolitur, quantò irreligiosius ab Acatholicis proscribitur. Ex Philone Judæo, Eusebio, Ruffino, Cassiano & D. Dionysio, ejusdem ætatis cum Apostolis scriptore, cognovimus, S. Martham Christi hospitem Massiliam appulisse, & plura per Galliam instituisse Virginum monasteria, ut inverecundi oris hæreticos esse oporteat, qui post tot secula hæc adversus tot tantosque autores negare audeant, ne libidinis suæ patrocinium amittant. Qui verò dissimilem illorum vitam, nec votis obstrictam fuisse sentiunt; hi, si Basilij magni institutiones evolvissent monasticas, ac D. Hieronymi de eadem vita literas, tam imbelli se effugio non tuerentur. Nihil verius, quàm cum spretis Christi consilijs, omnes Lutheri asseclas certissimo veræ religionis argumento excidisse. Nimirum *non omnes capiunt verbum hoc* divini consilij, quod mundus cum suis sectatoribus aversatur. Neque iccirco ulla regio defecisse in opibus comperta est, quæ in hac religione & mendicantium frequentia profecit. Non patitur ille se, cuius isti aluntur nomine, liberalitate vinci. Accipit, tanquam fertilis ager, ut copiosius refundat.

Verum ad illam nondum redijmus frequen-

quentiam Monachorum, quæ in primorum seculorum Ecclesia per orientem reperta est, Palladius Thebis, Memphi, Babylone, memorat innumerabilem à se visam Monachorum multitudinem: Ammonium à se spectatum & Serapionem Abbates; illum trium millium, hunc decies mille religiosorum patrem. Pachomius septem Monachorum millia per 24 classes numero Græcarum literarum partitus in Thebaide fuerat. Ita Theodoretus Palæstinam; Ægyptum, Asiam, Pontum, Ciliciam; Syriam, ipsamque Europam infinitis monasterijs impletam fuisse scribit. S. Benedictus denique emersit, cujus ordinis monasteria virorum censuit Trithemius XV. millia; Folengius triginta septem millia, virosque ex eis sanctis accensitos 5559. Sabellius Carmelitanorum, qui Sacerdotijs initiati essent suo tempore ait censa fuisse centum octoginta millia. His successêre DD. Francisci, Dominici, Bernardi familiæ, maximo numero multiplicatæ. Ut vix hoc tempore ex tanto servasse numero decimas videatur. An verò hi omnes per tot secula Lutheri potius consilia, quam Christi secuti sint, opesque ceterorum damnando otio consumpserint, Protestantibus alijsque Monachorum obtrectatoribus considerandum relinquo. Sed militiam quoque impleri hominibus illis inter literas ad otium natis affirmas. Verum, quid hinc incommodi? Ad militaris sanè disciplinæ intel-

XIII. Multitudo Monachorum primis Ecclesiæ seculis.

In hist. SS. Patrum ad Lausum

Niceph l. 9. hist. Eccl. hist. SS. PP.

ligentiam, plurimum literæ conferunt. Præstantissimos ferè Imperatorum, cum veterum, tum recentium, literis instructos reperias. In his & Julius Cæsar olim & Pompeius & Antonius Augustusque bellicis rebus clarissimi excelluêre. Alexander Macedo, quantus qualisque bello juvenis! humanioribus Philosophicisque etiam per Aristotelem instructus literis, Homerum quoque inter belli apparatus volvere solebat, & Achillis fortitudinē Ulyssis astutiam æmulari. Jam quid magnus Constantinus Carolusque memorem, literis simul armisque celeberrimos? Innumera sese in hanc rem exempla offerunt; ut nec Turcæ adeò à literis aversi sint, quin suos his excellere in bello Duces atque Imperatores cupiant. Bajazetes II & Solimannus fortissimi felicissimique Turcarum Imperatores, præter patrij instituti disciplinas, Philosophiæ etiam mathesiosque peritissimi; non armis tantum, sed & literis imperij sui terminos protulêre. Quin Sigismundus literatos non militibus solum, sed & nobilibus præstare sensit, & utrumque ab eruditione ordinem potissimum accipere ornamentum. Unde postquam Georgium Fiscellum legis Doctorem equestris militiæ ornasset insignibus, isque in Synodo Basiliensi dubius; equestrine sese ordini, an Doctorum adjungeret? illum denique prætulisset, Sigismundus monuit: *Stulte illum agere, qui militiam eruditioni præferat: nam ego*, ait, *milites*

XIV. Literæ ad militiæ disciplinā conferunt optimiq; illis Duces instructi fuêre.

Æneas Syl. l. 4. in gesta Alphonsi.

una

una die crearim mille, Doctorem verò unum mille annis non fecerim. Nimirum sentiebat militiæ ac nobilitati maximum à literis ornamentum accedere & has dignitates illis præferendas. Idem Germanos Principes magnopere suæ existimationi apud Prudentes derogare asserebat Latini sermonis ignorantiâ, cum Rom. Imperij, cujus essent proceres, nec linguam quidem assequerentur, cumque argueretur; quod doctos præ cæteris foveret extolleretq; homines: *Merito*, ait, *hos præfero, quos ars & natura fecit præstantiores: quorum consortio non doctior tantum, sed & melior possum evadere.*

Cuspin. in hist. Imp. & Spiegel in Sylv.

XV. Ob reip. ex studiis commodum, ingentia olim Professoribus salaria constituta sunt.

Quantum verò eruditæ literæ in omnem reip. statum emolumenti inferant Constantinus mag. utique se ostendit intelligere, cum earum professores ab omni reip. exemptos onere, lege etiam lata, decerneret: *Medicos*, inquit, *Grammaticos, & alios Professores literarum, & Doctores legum, cum uxoribus & liberis, nec non & rebus, quas in suis civitatibus possident, ab omni functione, & ab omnibus muneribus civilibus & publicis immunes esse præcipimus, & neque in provinciis hospites recipere, nec ullo fungi munere, nec ad judicium deduci, nec eximi, nec injuriam pati. Si quis eos vexaverit, pœna arbitrio judicis plectetur. Mercedes autem & salaria reddi jubemus, quo facilius in liberalibus artibus multos instituant.* Ex qua mercede olim Professoribus literarum designata, harum etiam pretium æstimationemque facilè desumes. Eumenio Rhetori in Gallia salarium consti-

Euseb. lib. 4. eius vitæ. Sozom. l. 1. c. 8.

Vide Annal. Trev. tom. 1. p. 204.

tutum ſub Maximiano Imp. fuit, ſexcent nummûm millia, hoc eſt juxta Budæum ſe millia coronatorum. Treviri eloquenti Profeſſoribus aſſignatæ ſub Gratiano, anno næ XXX, hoc eſt, quantum XXX perſonis a lendis quot annis ſufficeret. Grammatic verò annonæ XX, ſive latinis ille, ſive Græc juventutem literis imbueret; nam utriuſqu tum linguæ, propter comunionem oriental um, promiſcuus etiam Treviris uſus fui Unde quantum literarum ſtudijs à maxim Impp. tributum fuerit (quibus tamen præc pueres militares curæ erant) facile anima vertes. Ladislaus Ungarorum Rex adhu adoleſcens Romam Fridericum Imperat rem cognatum ſecutus, ſolenni coronatio à Nicolao quinto Pont. inaugurandum, u quoſdam illic Latini ſermonis ignaros offe diſſet averſatus tales, dixit: *non videri ſibi e homines, qui bonas literas ignorarent.* Quæ ca ſa, & Maximilianum impulit, ut ſenſim inv leſcentem literarum per Germaniam negl ctum tolleret, Doctoribuſque expertiſſin undequaq; accerſitis, etiam Græcæ, Hebr cæque linguæ cognitionem latio ſermo conjunctum vellet, ut S. literis utraque ling conſcriptis tantò reverentia maior experie tiaque haberetur.

Sylv. in res Alph. l. 3.

XVI. Hæreſes ab eruditione, an ignorantia profectæ ſint.

Sed hinc potiſſimum Hereſes, & olim hodiedum naſci ſolitas, ideoque à Turcis teras regno excluſas, aſſeris. Poſtquam en Germani per Capnionem alioſque orienta

b

ous imbuti linguis, veteres ſuo interpretari ngenio ſcripturas cœpêre, Luthero auſpi-cante, ſubitò diverſæ ſeſe, pro hominum vari-etate, Hæreſes in Eccleſiam effudêre, quibus hodiedum Petri illa navis jactatur.

Non diffiteor ancipitem eſſe doctrinam gladium, quo & rectè ad tutelam & ſecus ad oppreſſionem veritatis uti poſſumus. Sed ea ſors mundi eſt, ut præſtantiſſimæ quæque n illo res non prodeſſe ſolum, verum & no-cere poſſint. Oculus excellentiſſimũ in capi-e membrum, alios dirigit, alios ſeducit: ma-nus ad defenſionem non minus, quam offen-ſionem homini ſerviunt: auro multi utuntur ad ſuum ac reip. emolumentum, multi ad de-trimentum: nihil adeo in hac vita nobis da-tum eſt, quo alij bene uti, alij malè abuti non poſſint. Ita ingenio, eruditione, ſacriſque literis, rebus ex ſe præſtantibus, plurimi rectè, ſed & ſecus non pauci utuntur. Unde mi-rum non eſt, ex ijſdem, quibus fides divina prodijt fontibus, hæreſin exiſtere, quanquam lla, non ex eruditione, ſed ignorantia ac per-verſitate animi originem ducat; adeoque bonæ mentis literarumque in ea defectus, non abundantia culpetur. Hinc D. Augu-ſtinus ait: ***Non ob aliud hæreticos dicendos eſſe, niſi quia ſcripturas bonas non bene intelligentes, ſuas falſas opiniones, contra earum veritatem, per-tinaciter aſſerunt.*** Ab ignorantia igitur, non ab eruditione hæreticorum error procedit, imò vera eruditio, & humanarum divinarum-

Lib. 7. de Geneſi ad literam c. 9.

 que

que rerum scientia maximè reip. ad confutandas evertendasque hereses utilis ac necessaria est. Mahometani literas non à proceribus mystisque suis, verum à vulgo proscribunt, pessimo ad salutem omnium consilio, quo hæresin & perfidiam non avertant, sed malignè tuentur, regnique propagandi studium in armorum potius, quam librorum tractatione collocant, politicis mahometis sui præceptis, non divinis consilijs, ad pacem mansuetudinemque ducentibus, innixi.

XVII. Eruditis semper magnus à summis viris honos est habitus.

Quocirca, quod liberalium artium studia ac Philosophicarum præcipuè, dissertationibus parum certis inhærentium, tanquam reip. parum salutaria aversaris, non possum, cum gravissimis quibusque viris, etiam Regibus atque Impp. probare. Salomonis eruditione ac sapientia quantum orbis universus tribuerit, quis ignorat? hujus fama atque existimatione Reges Reginæque ac populi affluxêre, eamque ingentibus etiam muneribus venerati sunt, sola Regina Sabæ, præter gemmas & aromata, auri talenta CXX dono reliquit. Jeremiæ divinam eruditionem Babylonius Nabuzardan in pretio habuit Darius Rex Zorobabelem Judæum oblatis præmijs decoravit. Philippus Macedo gloriabatur literis ad Aristotelem datis, natum sibi Alexandrum tanti Philosophi ætate, qui doctrinam, cum virtute dignam eidem communicaret. P. Scipio Africanus in difficillimis belli apparatibus Philosophorum scholi

3. Reg. 10.

Jer. 39. & 40.

3. Esdr. 3 & 4.

Gell. l. 9.

limi

liminibusque absistere non potuit; cumque vivos audire Doctores non posset, mortuorum voluminibus cum voluptate immorari visus est, hoc à nobilissimis contra Afros victorijs diverticulum captare solitus. L. Luculli fortissimi. Rom Ducis domus hominum, etiam ex Græcia, doctissimorum hospitium, ac Prytaneum quoddam fuisse visum est. Cn. Pompeius, postquam Mithridate victo orientem victorijs peragrasset, omnes liberalium artium magistros Rhodi, & audivit, & muneratus est, Possidonij verò ædibus tum forte ægrotantis cubile subijt, ut vel ex lecto illius sapientiam audiret: non veritus imperatorios fasces eruditioni submittere. Augusto Cæsari nulla gratior frequentiorque quam cum literatis consuetudo. Hinc M. Varroni, Ciceroni, Crispo Salustio, T. Livio, Anneo Senecæ, Virgilio, Horatio, Ovidioque familiariter usus est, quanquam hunc, ob inverecundos de Amore libros, juste demum exilio proscripserit, cum domi haberet Liviam filiam nimium eius præceptis obsequentem. Ita, si per nobilissimos quosque Principes atque Impp progressus fuero, nullum aliqua laude eximium reperero, qui cum eruditis consortium aversatus sit, quique hos ad consilia, cùm publica, tum privata, non censuerit adhibendos, his præcipua non demandarit reip. munia, his non existimaverit communem omnium salutem maximè esse, tam in Ecclesiasticis, quàm in civilibus rebus,

Pontan. l. 1. c. 44.

Plut. in Lucul.

Strabo l. 11.

Dion. in Augusto.

XVIII. Eruditi scriptis libris ingẽs reip. tam sacræ quã profanæ bonorum adferunt, eiusque felicitatem extollunt.

committendam.

Quid nunc denique de ingenti dicturus sum utilitate, à scriptis Doctorum hominum libris, ad reip. tam politicæ, quàm sacræ commodum posteritati transmissis. Huc certè impulisse literatos omnes, quorum familiaritate Augustus delectabatur, est visus; ut doctrinæ suæ monumenta nepotibus, ad paria excitandis, communicarent. Et quantùm literariæ rei, totique Romanæ eloquentiæ damnum ex silentio illorum, quos ad scribendum Augustus excitavit, natum fuisset! Quod audiamus hodiedum Varronem Romanè instruentem, Ciceronem admirabili eloquentia perorantem, Salustium Liviumque, illum conciso, hunc profluente dulciter stylo historias recitantem, quod Senecam castigatâ morum sermonisque severitate graviter dictantẽ, quod heroicè Virgilium, magnificè Horatium, Ovidium suaviter poëtizantem, hoc Augusto fautori, illisque scriptoribus totum debemus. Quantum decus antiquitatis veterũque historiarum his tacentibus, præter eloquentiam, jaceret! Quæ deinde sacrorum & religionis nostræ cura, nisi Moyses veteresque Prophetæ, nisi Evangelistæ & Apostoli innumerique Patres suis posteritati scriptis subvenissent? Nunquid admiratione omni & prædicatione dignum est, quod à gentili Rege Ægypti Ptolomæo Philadelpho beneficium posteritas est consecuta? Is Doctorum hominum librorumque, ex quibus bibliothecam

Joseph. l. 6. Clem. Alex. l. 1. Strom. Euseb. 5. Eccl. hist. c. 8.

instrue-

instruebat, studio, ab Eleazaro Judæorum Pontifice LXXII, ex doctissimis Judæorum, interpretes, & petiit, & assecutus est, quibus in Pharo Alexandriæ, per conclavia diversa distributis; ita, ut ne quis eorum suam cum altero interpretationem conferre posset, veteris Testamenti ex Hebræo in Græcum sermonem translationem commisit, quâ singuli intra dies LXXII expediti, adeò conspirare sunt visi, ut nec in verbo, nedum in sententia, alter ab altero deflexerit. Unde opus illud non humano, sed divino esse digito exaratum constitit, Rexque etiam subinde libros tanquam sanctos excepit, ac veneratus est, gravissimo edicto addito: ne quis, vel apicem tollere, aut adjicere pertentaret. Quantum bonum Christianæ reip. attulerunt SS. Patrum, Irenæi, Cypriani, Hieronymi, Ambrosii, Augustini aliorumque libri, quibus incerti & controversi scripturæ Divinæ sensus exponuntur; ut quod ipsi à majoribus acceperunt, nobis innotesceret. Quorum defectu vix quicquam nobis in fide stabile ac fixum, inter tot hæreticorum insultus, relictum esset. Jam si ad alias facultates medicas politicasq; transeamus; quid illæ sine Hippocrate, Galeno, aliisque Medicinæ Doctoribus, quid hæ sine Codice ac Digestis, sine Bartholo Baldoque, & aliis Jurisprudentiæ Magistris ac scriptoribus possiderent? Sine his certe ductoribus cæca rerum ignorantia, confusioque mundum obtineret; ut qui eruditos eorumque libros

ſublatos vellent,hi ſolem lucemque omnem ſcientiarum ac virtutum ac præcipuam , quæ his ineſt,humanæ vitæ felicitatem, averſari videantur Et quis glorioſior in mundo labor, utiliorque ac dignior illo eruditorum concipi poteſt,quo hauſtas à ſe artes ſcientiasque, in monumentis ſcriptorum,poſteritati transmittunt, & tanquam æterni aliorum , pro Dei gloria & reip. ſalute inſtructores, in cathedris præſident, quamque natura illis negavit vivendi docendique facultatem,hanc ingenio ac labore ſuo ad ſecutura extendunt ſecula,velut profeſſi,ſi vita eis fuiſſet perpetua,hanc Dei & reip.obſequio ſemper fuiſſe impenſuros. Vivant ſanè hac mente laboribus ac vita defuncti,& vivant æternum.

CAPVT VI.

An Reges Principesque ac ſupremos Reip. Moderatores conveniat eſſe eruditos , ut ſuo in regimine felices ſint ?

Negantis ſententiæ rationes.

Contendis acriter : multam viro Principi eruditionem parum conducere,& ut illi minus ſalutarem , ita reip. perſæpe noxiam extitiſſe. Rationibus Te hanc rem, exemplorumque copia,atque experientia credis evincere. Juvabit hæc audiſſe.

Prin-

Principio, inquis, Regum Principumq; munus præcipuum est, rem publicam sibi commissam, ex prudentum virorum consilio, rectè administrare. In qua administratione frequentius eruditi, suoque nimium fisi judicio, quod eruditorum plerumque est vitium, quàm aliorum consiliis subnixi offendunt. Quod enim pronum sit propriis in ferenda sententia favere affectibus, ubi excultum artibus scientiaque ingenium accedit, cui promptæ ab eruditione rationes suppetunt, quibus & adversantium opinionem elidat, & suam tueatur, difficile erit ab illis, quæ cupiet, avelli, timorem contradicendi injiciet consiliariis, suisque fretus argumentis, quod voluerit, statuet; quod aversabitur, negliget, ac proinde non raro fluctuantem reip. navim in scopulos allidet. Quâ de causa, in Politicis suis Notis, perspicacissimus observat Lipsius: Ludovicum XI celeberrimum Galliarum Regem Carolô filio in regnum surrogando literarum studia interdixisse, ne suo judicio potius, quam plurium consilio prudentum imperaret. Cum hos neque affectio in perversum sensum abducat, neque ratio, suffragatione consensuque multorum nixa, facilè decipiat. Quod & nuperum illum Gallicæ politiæ moderatorem Cardinalem Mazarinium spectasse memorant, quando imperantem hodie potentissimum Galliarum Regem Ludovicum XIV abstractum literis, diversis aliis exercitationibus distineri maluit, quàm ad mansuetiores hasce

I. Eruditi Principes suo magis quam aliorũ consilio remp. & malè plerumq; administrant.

lib. 1. Pol. c. 10.

Hinc Regum filij à peritis rerum operam dare literis prohibiti.

artes,

II. Mitior literarum cultura timidiores & minus bello idoneos reddit.

artes, & ingenii culturam traduci. Quanquam & aliâ hunc causâ impulsum sentiant; videlicet humanioribus hisce literis mitescere nimium infringique virile animi robur, minusque idoneos armis Martiæque palæstræ videri, qui Musarum consortio assueverint. Nec falsum existimatione suâ Mazarinium res pacis, bellique hactenus tam prudenter, quàm fortiter ab eodem Rege administratæ persuadent: ut quanto minus eruditionis, tantò plus felicitatis in regnando possideat. Fortium virorum est, pericula bellorum aspernari, neque omnes timoris causas ingeniosa mentis acie rimari, atque expendere. Qui omnia prævidet cavetque miles discrimina, raro ab acie victor decedit. Audaciam pugnantium hebetat provida nimium periculorum cura. Invicti plerumq; militis est etiam timenda non formidare. Pars magna victoriæ est, certam sibi in pugna persuasisse victoriam; quod in perspicaces discriminum animos, ac formidanda metuentes, ut eruditorum ferè sunt, non cadit.

III. Scientiæ opinione tumidi Reges facile in errores, etiã fidei, præcipitantur.

Jam verò, scientiam inflare, quis est qui nesciat? quæ si deinde animis summa potestate fretis illapsa sit, quantis tumoribus concitandis idonea est! quàm facilè non dicam ministrorum, nec regni solùm, sed & Ecclesiæ consilia despiciet, religionisque etiam, quod præcipuum est regnorum fundamentum, concutiet. An manifesta ex Juliano nobis Imperatore, &, ne longius abeamus, ex Henrico

rico VIII Anglorum Rege exempla non ſuppetunt? ille ſtoicis Philoſophorum diſciplinis captus, à Chriſtiana fide devius, brevi ſuæ defectionis fructu gaviſus eſt, atque ultimam Chriſto his verbis in bello cadens palmã detulit: *viciſti, Galilæe, viciſti*, infelicemque orco evomuit animam: hic ſua quondam eruditione propugnator orthodoxæ fidei; mox tamen cupiditate ac libidine victus, oppugnator, everſorque ejuſdem longè fœdiſſimus extitit, poſtquam ſcientiam, quam ex literis hauſerat, inſanis amoribus defendendis adhibuiſſet. Qui, quâ erat ad perverſa æquè ac recta ingenii eruditioniſque promptitudine, regnũ, quod multorum labore, pluribus vix ſeculis orthodoxam fidem Eccleſiamque agnoverat, ſolus brevi tempore ad hæreſin avertit. Cui, ne caput deeſſet, ſuâ ſe autoritate præfecit. Tam potens ad nocendum ſcientia eſt, ubi potentem juxta ſceleratumque poſſeſſorem eſt nacta. Gladius illa eſt, qui à manu forti non ad defendendum tantum, ſed interimentum etiam hominem ſtringi poteſt.

IV. Humanitatis & Clementiæ obliti ſubditis alieniſq; ſerviliter, etiam ad flagitia abutuntur.

Humanitatem clementiamque in viris principibus laudamus omnes, quam tamen nimia ſui æſtimatio, quâ eruditus Princeps, cum aliorum ſe præfert deſpicientia, facilè corrũpit. Salomonem excellens rerum cognitio, & ſapientia quamvis cœlitus infuſa, ad tantam denique arrogatiam contemptumque ſuæ gentis, ac legis extulit, ut exercitum penè integrum conficerent, qui ex prima nobilitate

famu-

famulari eidem, ad quævis etiam voluptatum servitia cogeretur, eoque consilio quotquot seu propriæ, seu idololatricæ gentis reperisset præstantes formâ mulieres; has suæ libidini vendicaret: ut si totum suis cupiditatibus mundum, hoc ipso, quo altiora reliquis saperet, obnoxium sentiret; quâ humanitate non jam aliis, sed uni sibi, & ipse, & ceteri omnes nati videbantur. Neque tam immensis, quibus ex terris peregrinis affluebat, opibus contentus, ingenti tributorum onere subditos pressit; ut iccirco successorem filium Roboamum plerique regnatorem aspernati sint: paternæ, si non sapientiæ, saltem inclementiæ heredem. Tam pronum est sapientissimos etiam principes existimatione sui efferri nimium, & per cœca præcipitia in barathrum malorum, à demissione & virtute Deoque aversos, devolvi. Rari Principum, qui multum sapiunt, omnibus sapiunt horis, & in his maximè vera creditur parœmia: *nullum magnum ingenium sine mixtura dementiæ reperiri.* Nihil igitur consultius Regibus, quàm modicè literis instrui, ut *sapiant, sed non nisi ad sobrietatem.* Laudandi inprimis sunt in viris maximis, qui multa se sentiunt ignorare; ideoque prudentum crebro Doctorumque hominum intersunt fruunturque consiliis; interrogata formant, audiunt responsa, plus alieno, quàm suo fidunt judicio, conspirantes virorum sapientium sententias amplectuntur: nec omnes, qui potentiâ antecellunt, sapientiâ quoque excelle-

V. Laudatiores igitur Principũ sunt, qui vel nulla, vel modicâ eruditione præficiuntur.

cellere autumant. Imò partitur Deus hæc animi munera, & Regibus non rarò subtrahit, ut intelligant aliorum se indigere auxilio, qui ceteris auxiliantur, & quod in humano, hoc in politico eveniat corpore, & membris membra subveniāt nec uni omnia capiti tribuantur.

VI. Affirmantis sententiæ potior veritas, sed rarior auditor.

Hæc tua oratio, in qua ut non improbo omnia, sic nec probo universa. Major elucescet quæstionis huius veritas, si rationes rationibus oppositas, æquâ lance ponderemus. Quanquam ego, licet contrarium de eruditionis cura Principibus inculcanda, evicero, plures tamen futuros putem, qui tua capiantur sententia, quam qui mea per abrupta arduaque studiorum sese avocari patiantur. Faciliora enim qui suadet, facilius auditur, vulgare scitum est.

Non jacet in molli veneranda scientia lecto.

Quotus principum regiorumque adolescentum est, de quo rectè dicas:

Multa tulit, fecitque puer, sudavit, & alsit.

In purpura & cocco non solent tales Aquilarum pulli educari, qui tempestates & fulmina inconnivo oculo sustineant.

VII. Optimi & prudentissimi ferè Principum sunt eruditi, indoctique longè peritius moderantur.

Equidem liberè dicam, Principem divitem indoctumque rectè à priscis Sapientibus *aureæ velleris ovem* nuncupatum: ut qui opibus externis, quam animi locupletior, præclaro mentis thesauro destituatur. Quis enim neget melioribus abundare opibus, qui mente, quam qui corpore dives sit? quanto immortalis animus mortali carne dignior est, tantò illius

illius cultus opulentiaque, quæ à scientia ducitur, præstantior. Hac igitur qui carere Principem, subditosque ornare voluerit, hic, in justa æstimatione prudentum, hos supra Dominū suum cupit excellere: Maximi Regis Cyri pronuntiatum est: *Imperium nemini convenire, qui, quibus imperet, melior non sit*: & quomodo melior futurus est, nisi fuerit mente excellentior; hoc est, cultior, sapientiorque? Divina hæc sapientissimi Regis Regumque Magistri instructio est. *Si delectamini*, ait, *sedibus & sceptris*, O *Reges populi, diligite sapientiam ut in perpetuum regnetis*. Et certè siquo in munere sapientia mortalibus necessaria est, in regendis hæc maximè hominibus erit adhibenda. Nam ut rectè Nazianzenus Antistes: *ars quædam artium & scientiarum esse videtur, hominem regere, animal maximè varium & multiplex*. Hunc enim, ut habeas obsequentem, ratione illum ac legibus frenare necesse est, nisi igitur rationum pondere viceris, legesque æquitati ac prudentiæ conformes statuas, hoc nunquam obtinebis. Id verò quemadmodum sine eruditione, multaque rerum, ex historijs præceptisque sapientum haurienda cognitione assequi Princeps queat, haud satis intelligo. Neque enim Doctorum consilijs hominum, quæ sæpe variant, nonnunquam etiam largitionibus corrupta sunt, tuto acquiesceet, nisi ipse, inter pugnantes quandoque sententias, quid æquum iniquumque, quid divinis humanisque rationibus conformius possit,

Plut. in Apoph.

Sap. 6.

In Orat. 1. Apol.

sit, exculta bonis disciplinis mente, intueri. Versabitur, ceu rota Princeps talis suorum Consiliariorum impulsibus: qui proprijs affectibus & regentis simplicitate freti, eum quo volent rapient, & fortè cum Roboamo, scorpionum flagella suis subditis interminanti, in ruinam præcipitabunt, qui si inter senum juvenumque consilia suo potuisset discernere judicio, regnũ à Salomone integrum ad posteros traduxisset: quo, ludibrium populi juxta procerumque factus, inconsultâ severitate excidit.

Verum ne incerto argumentorum robore pugnemus, præcipuas optimorum Principum dotes expendamus, & num illæ citra eruditionem possideri diu constanterque possint, exploremus.

VIII. Principalis administratione duo oculi prudentia & justitia rerum Scientia exacuuntur.

Prudentia justitiaque duo sunt bonorum Principum oculi, quibus politico in corpore ad rectam membrorum omnium administrationẽ utendum est, qui si vel sua perspicacitate deficiant, vel conniventia claudantur, vario rerum defectu offensionibusque turbari ac confundi rempublicam necesse est. Hesiodi ex Græco carmen est:

Hoc uno Reges olim sunt fine creati;
Dicere jus læsis, injustaque tollere facta.

Illud prudentiæ est, inter pugnantes causas rationesque discernentis; hoc æquitatis scelera ex merito plectentis, & virtutem præmiantis.

Hæc porrò quis absque institutione, & ingenuarum disciplinarum perceptione Prin-

ceps uſpiam aſſecutus eſt? Favet multis naturæ indoles excellentiaque, ut inter virtutes vitiaque,quid honeſtum, quid turpe ſit,diſcernant, illiſque faveant, hæc deteſtentur; præſertim in ferendo de alijs judicio, quod propriæ cupiditatum illecebræ minus corrumpunt. Sed pleriſq; ingenium quod natura dedit Principibus non ſufficit,neq; ullibi eruditione magis opus, quam in arduo maximè regendorum mortalium negotio,ex quo totius libratur reip.felicitas,pacis belliq; artes, mercimoniorum cura, judiciorum æquitas, tutela ſubditorũ. Quorũ ratio ſucceſſuſque, longâ rerum experientiâ, ſapientumq; ex uſu,legum cognitione ac populorum conſuetudine,conſilioq; Doctorum,qui ex libris ſine corruptione atq; æmulatione ſententiam dicunt,cognoſcendus eſt. Non fallit vulgare diverbium,quod *plus oculi quam oculus videant*: & ſapientum multorum conſilia, longâ ſeculorum congeſta probataque ſerie,nec aliunde,quam ex literis hiſtorijſq; petenda, regentem ſecurius,præ cujuſvis nuper nati ingenij felicitate ducant. Inveniet in maximis terrarum Regibus laudatiſſimiſque non imitanda ſolum,verum etiam cavenda,quid fortiter ab Alexandro in tot hoſtibus oppugnatis,quid continenter in vitato Darij gynæcio actum ſit,quid in ebrietate & homicidio turpiter? quid à Cajo Julio Cæſare temperatè ac prudẽter,quid inconſultò atq; ambitioſe, intelliget. Pompeiũ tot victoriis nobilẽ, trium-

IX. Hiſtoriarũ cognitio Principem in omni virtute tam ad fugienda quam ſequenda inſtruit.

phiſ

phiq; celebratū deniq; stultâ æmulatione mirabitur occumbere: Antoniū prudentē videbit militem,&amentē procum; Neronē eruditum multis artibus Imperatorem, insanè tamē regnantem intuebitur, quæq; in tantis observabit Regibus sapienter instituta, amplectetur, quæ temerè cæpta declinabit. Expende, an non Claudianus Honoriū rectè instruat?

In quarto Consul. Honorij.

Interea Musis animus dum mollior, instet,
Et quæ mox imitere legas, nec desinat unquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.
Antiquos evolve Duces; assuesce futuræ
Militiæ: Latium retrò te confer in ævum.
Libertas quæsita placet? mirabere Brutum.
Perfidiam damnas? Metii satiabere pœnis.
Triste rigor nimius? Torquati despice mores.
Mors impensa bonum? Decios venerare ruentes.
Vel solus, quid fortis agat, te ponte soluto
Oppositus Cocles; Mutii te flamma docebit.

Bruti illam in Cæsaris cæde temeritatem, Metii proditoris perfidiam, Torquati in imperio severitatem, utiq; ad vitandū, jubet expendere. Contra Deciorū pro salute patriæ se devoventiū pietatē, Coclitis adversus integrū exercitū pontē Romanum defendentis robur Mutiiq; Scævolæ Porsenā Regē mediis in castris stricto gladio petentis fortitudinē, ex historiis lectiōe agnitā, cupit æmulari. Hoc est, lectione ad vitiū quodvis fugiendū, & quālibet virtutē sequendā erudiri. Et quid profanis imoramur, ubi sacra hūc Principē exempla abunde instruunt? Prudentiam Sapientiamque

Rex sectatur? audiat illius adipiscendæ rationem, quam ex cœlo depromit Syracides *Sapientiam*, ait, *omnium antiquorum exquiret Sapiens, & in Prophetis vacabit: narrationem virorum nominatorum conservabit, & in versutias parabolarum simul introibit.* Studio, lectione, eruditione ad rem tantam opus. Ipse se Salomon, licet infusa cœlitus sapientiâ donatus sit, à studio tamen & labore illius, vel adipiscendæ, vel augendæ minimè subduxit. Ad Deum, ante omnia, sedulâ pietate cõversus est, agnovit hunc bonorum omnium autorem. *Invocavi* inquit, *& venit in me spiritus sapientiæ, & præposui illam regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione ipsius. Venerunt autem omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Quam sine fictione didici, & sine invidia communico.* Ecce studium, contentionemque obtinendi, & communicandi. Nihil absq; his: *Dii laboribus omnia vendunt*, Ethnicis etiam fatentibus. Nec telum pro defensione, citra malleum & incudem, fabricamur. *Si retusum fuerit ferrum, multo labore exacuetur, & post industriam sequetur Sapientia.* Ex ore Sapientissimi regis pronuntio: *Multitudo Sapientum sanitas est orbis terrarum, & Rex Sapiens stabilimentum populi.* Hic, & cognoscit facienda, & facit cognita. Prudentiam ab illo requiris? nihil temere, nihil non consultò agressurus est. Justitiam exigis? *Voluntas Regum labia justa, & abominabiles Regi qui agunt impie; quoniam iustitia firmatur solium.* Et quid tot

Eccli. 39.

X. Sapientia absque studiis nõ possidetur nec regnũ sine utrisque bene regitur,

Sap. 7.

Eccl. 10.

Sap. 6. 26.

Prov. 16.

tot evertit ac pessundedit cum Regibus regna, nisi injustitia? *Regnum enim à gente in gentem transfertur, propter iniustias.* Et *væ terræ cuius Rex puer est,* ignoransque prudentiæ & justitiæ leges. Væ Regibus, qui, *cum essetis ministri regni, non rectè judicastis. Ad vos ergo Reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, & non excidatis. Qui enim custodierint iustitiam iustè judicabuntur: & qui didicerint iusta, invenient quid respondeant.* Discendum est, investigandæ leges, & ratio æquitatis. Remota enim scientia, quæ ignoratæ cura erit justitiæ, & *remotâ iustitiâ, quid sunt regna, nisi magna latrocinia?*

Eccl. 10.
Eccli. 10.
Sap. 6. 5.
D. Aug. 2. de Civ. Dei. c. 4.

XI. Cor politici corporis benè administrati, religione studio & eruditione côservari nequit

Oculos dedimus politico Principi ex Sapientiæ disciplina acuendos: nunc & cor eidem assignemus. Ab hoc vitæ principium ducitur, quo extincto jacet omnia. Hoc verò in sapienti Rectore religionem esse, quæ fidem pietatemque in Deum complectitur, sentimus. Loquatur hac in re Valerius Maximus homo ex Romanis gentilis: *Omnia,* inquit, *post Religionem ponenda semper nostra civitas duxit, etiam in quibus summæ majestatis conspici decus voluit. Quapropter non dubitarunt sacris imperia servire: ita penes se humanarum rerum futurum regimen existimantia; si divinæ potentiæ bene atque constanter fuissent famulata.* Quocirca iisdem Romanis curæ fuisse tradit, ut principum Senatorum filii, reip. quandoque clavo destinati, *percipiendæ sacrorum disciplinæ gratiâ Hetruriæ populis traderentur.* Ut mirum

Val. Max. l. 1. c. 1.

 non

non sit, hanc per Moysen acceptam à Deo legem Regibus Israelitis traditā esse? *Postquam*, ait, *sedebit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit secum, legetq; illud, omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire ceremonias ejus.* Quin ipse Deus hortatur Josue: *Non recedat volumen legis ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias.* Hoc laudatissimi deinde Christianorū Regum consectati sunt studium. Constantinus Mag. Christianæ religioni autorandus, magna ad eam Doctorum hominum diligentia eruditus est, suisque jam moriturus filijs omni opulētiæ imperijq; dignitati religionis disciplinam cultumq; præhabere jussit. Theodosius Imperator cum Arsenio integerrimo doctissimoq; viro filios erudiendos castigandosque in delictis pro arbitrio subjecisset: dignam Regibus adjecit sententiā: *Si tales se præbituri essent: ut mores vitamque suam ad disciplinam, & leges Dei componerent, propensum se fore, ut eis imperium in manus tradat: sin, conducibilius fore, ut sic privati vitam agerent, quam doctrina nulla, cum periculo, imperarent.*

Deut. 17.

Euseb. l. 4. vita.

Nicep hist. Eccl. l. 12. c. 23.

Ratione atque experientia discimus, religionem præcipuum esse regnorum, rectæque administrationis, & publicæ quietis fundamentum, quo concusso, hæc nutare universa necesse est. At sine eruditorum sapientumque principum, in tot hæresium in-

ter Christianos nascentium jactatione hoc quassari necesse est. Cum ex illorum potissimum consilio judicioq; pendeat, quam gens ipsis subjecta religionem sequatur, siquidem

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Hic igitur si ignarus fuerit, si veritatem à falsitate distinguere nesciat, quam facile ab una ad alteram incertus devolvetur, corruptamque pro sincera amplectetur: ubi præsertim veri specie sese illa religionis scita offerent, quæ vel cupiditatibus nostris faveant vel opibus amplificandis, vel libertati autoritatique magis faciant stabiliendæ: ut gravissimus olim Christianorum hostis Julianus Apostata non ignorabat, cum passim in oriente fidelium juventutem arceri scholis, atque institutione legis suæ imbui vetuit, ratus cum eruditione religionem se posse profligare id sensim effecturus, nisi vitam, brevi impietatis fructu, imperijque honore, præcipitasset.

Socr. l. 3. c. 16.

XII. Fortitudo tanquam dextra Principis in regendo manus absq; scientia non possidetur.

Iam si per ceteras Principum eamus virtutes, inprimisque necessariam animi fortitudinem ceu politici corporis dexterã, quâ & perversas in se cupiditates, & regno publicæque quieti adversantes, nunc subditos, nunc hostes, sciat possitque frangere; quantum ad hanc rem scientiæ requiratur, quis ignorat? quis hæc, vel satis intelliget mala, vel remedia opportuna inveniet, nisi eruditus? Pars nobilissima Philosophiæ est, & seipsum nosse, & dominari posse affectibus.

In Parodox. *Cui*, ait Cicero, *tandem liberè imperabit, qui non potest suis cupiditatibus imperare? Refrænet prius libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coerceat avaritiam, ceteras animi labes repellat: tum incipiat aliis imperare, cum ipse improbissimis Dominis dedecori ac turpitudini parere desierit.* Epist. 113. Paucis Seneca: *Imperare sibi, maximum imperium est*: Et Regum eruditissimus: Prov. 16. *Qui dominatur animo suo, melior est expugnatore urbium.* Jam verò, quis subditis rectè imperabit, fortiterque adversus suos hostes tuebitur, nisi utrorumque explorata ingenia, viresque & affectus habeat; tum deinde artem norit peritè regendi? Mithridates Rex Ponti plurimas sub se gentes, magnâ, ut nationum, sic linguarum etiam varietatem animo complexus, duas ac viginti nationes, suo quasque sermone intelligere ac compellare didicerat. Cumque ingentem exercitum sub signis ex his collegisset, quemque etiam militum suo noverat indicare ac convenire nomine, quo officii ac eruditionis genere mirificè sibi universorum animos conciliarat: ut nisi in validissimam jam, omnique scientiarum præsidio instructam Romanorum potentiam offendisset, toti unus orbi potuisset imperare.

XIII. Imò nullum boni Principis officium sine eruditione constat. Paucis multa concludam, si, & universè, & verè pronuntiavero: nullum propemodum reperiri boni Principis officium, in quo non aliquem sibi locum vendicet eruditio. Sive enim ferendis, sive urgendis rectè legibus invigilet, lucem affundet scientia. Si domi

mi foriſve pacis artibus incumbat: facem eadem accendet ſapientia.

Si bellis ritè inſtituendis aut ſopiendis operam locet; multâ arte ac cognitione rerum indigebit. Si Religioni diſciplinæque morum in rep. vel conſervandæ, vel promovendæ laboret; nihil abſque inſtitutione in ſe prævia, ad laudem memoriamque poſterorum, dignum magno Principe aſſequetur. Quare Davidicâ laudatiſſimi Regis admonitione finiam: *Et nunc Reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram.*

Pſal. 2.

XIV. Ad oppoſita argumenta reſpondetur 1. Sapientis maximè Principis eſſe, audire conſilia Sapientum.

Reliquum eſt, ut expendam illas, quæ in adverſam te ſententiam, & ignorantiæ patrocinium, rationes abducant. Exiſtimas Principes eruditos ſuo fretos judicio, nihil conſilio ſenatus ſui, cum diſcrimine rei communis, tributuros. Ego verò inter prima bonæ inſtitutionis & ſapientiæ fundamenta eſſe arbitror: nihil temere, ac ſine prudentum conſilio, quod arduum ſit, aggredi. Sapientis vox eſt: *qui ſapiens eſt, audit conſilia.* Cui Syracides ſuffragator accedit, monetque. *Fili mi, ſine conſilio nihil agas, & poſt factum non pœnitebit.* *Sapientiam,* ait *vir prudens, quærit in altero, penes quem eſt ſcientiæ magnitudo.* Quocirca neque Philippi ego Principis, in ſpretis ſuorum conſiliis, ſcientiæ abuſum laudo; neque Ludovici Galliarum Regis, aut Mazarinii inconſultam cautionem probo. Cum hæc non ſint vitia eruditionis, ſed prudentiæ deficientis, in Principibus etiam ignaris, reperta

Prov. 12.

Eccl. 32.

Caſſ. p. 2. lib. 1. Epiſt. 9.

ſæpius argumenta, qui quod ratione non poſſunt, autoritate perfringunt, cum ſuis affectionibus, quam aliorum cōſilijs parere malunt. Carolus IV Rom. laudatiſſimus Imp. quam multa per imperium egregiè procerum ſuorum conſilio, ipſe licet ingenio atque eruditione eminens, inſtituit! Cuius tamen filius wenceslaus tam ignarus, quam ignavus, cum ſtolidè omnia ſine conſilio prudentum adminiſtraret, dignitate atq; Imperio deturbatus eſt. Si illorum cenſum Principum ineas, qui conſilia Sapientum in rebus magnis averſati ſunt, quique eadem ſecuti, plures ſanè ex ignorantibus, quam eruditis reperies. Vera rerum cognitio illas ſæpe difficultates aperit, quas ignorantia occultat, & plura docet in mundo neſciri, quam intelligi, arrogantiamq; in elatis frequentius animis infringit, quam exacuit. Superbiora plerumque ingenia ſunt imperitorum Principum, quos cum inflat dignitas, ſapiētia deſtituiti cum affectib9 magis proprijs quam alienis conſilijs obſequuntur. Nemini Principum vitio verſum fuit, ſuorum procerum, niſi depravatos eſſe ſenſerit, conſilia, licet erratum ſit, eſſe ſecutum: at nonnullis, etiam cum rectè actum, prudentum conſilia deſpexiſſe, vitio datum eſt. Nunquam errat, cum reprehenſione Princeps, qui etiam cum erratur, ſapientum judicio acquieſcit. Deo quandoque placuit, inexſpectatis eventibus, rectè deſtinata fallere, & malis ſucceſſum adverſus bonos indulgere, non ho-

rum

rum vitio, aut illorum merito, sed altiore divinæ prudentiæ consilio, quo ex malis etiam electorum suorum felicitatem novit amplificare. Verum ut hominis est divina hæc consilia non scrutari, ita humanis sapientum virorum par erit acquiescere. Nemo unus vidit omnia. Principi, qui multa didicit, plura adhuc restant discenda.

Porrò cur literarum culturam timidiores, minusque idoneo bello Principes reddere existimes, ideoque Martium laudes in Rege Galliarum animum, non satis assequor, tantum enim abest, ut hæc quæ à mansuetioribus Musis infringitur animi ferocia, & ad quandam humanitatem instruitur, bellico ardori officiat; ut hunc potius sapienti moderatione ad felicissimum bellorum successum erigat, informetq;. Nam cæcus inconsultusq; irruendi in hostem furor brevi jacet inutilisq; procumbit, nisi rationi consiliisque, ab eruditione usuq; comparatis, locum cedat. Quæ obsecro ætas fortiores bello Duces vidit, pluribusq; adversus barbaros hostes victoriis nobilitatos, quàm illa Ciceronis, quo Pompejus, Cæsar, Antonius, & Augustus totum penè terrarum orbem armis victricibus peragrarunt, docti fortesque eximiè omnes, hac solum æmulatione infelices; quòd illorum quisque, ut eruditione & armis magnus, sic dignitate vellet esse maximus, ideoq; vertenda contra hostes arma, in capita amicorum stultè converteret.

XV. Respondetur II. fortissimos quosque felicissimosq; Imperatores fuisse plerũq; eruditos.

Ma-

Magnus ille Carolus,qui Romanis centies rebellantem deniq; fregit domuitq; Germaniam,totamque suis Europam,ut bellis,sic victoriis peragravit ; majorne eruditione an bellandi fortitudine extiterit,jure dubites. Sic ille liberales artes scientiasque excoluit; ut has solas amare ; sic bella exercebat ; ut hæc tractare sola videretur. Palladem coluit , sed armatam. Et cur huic clypeum galeamque ac hastam tribuêre veteres, nisi quod utraque arma cum eruditione , jungenda esse sentirent ? Animam corpori aufert, qui ab armis tollit scientiam. Attamen offensionem Principum esse pronam statuis ; quòd scientiæ opinione,suaq;elati forte,nulli facile cedant , atq; abominandis quandoq; , ut in Juliano factum,& nostro etiã sæculo in Germaniæ Principibus vidimus,in fide erroribus devient. Verùm hanc ego animorũ arrogantium pestem , non à scientiis,sed inscitiæ potius fonte manare asseram: quòd aliunde,quàm ab ignorantia,cum perversitate judicij conjuncta proficisci error nequeat, nec uspiam sapientia rerumque cognitio,tam difformem à se partum effudisse sit judicata. Non diffitebimur Henricum Anglorum Regem supra vulgarem Principum usum scientiâ claruisse; at cum eruditio ostendere magis vitia, quàm eliminare possit,concupiscentiæ vita cessit, cœcusq; libidine animus , aut sceleris magnitudinem non agnovit, aut excusavit, utrumque non eruditionis , sed ignorantis malitiæ interventu.

XVI. Resp. III. Errores magnorũ, etiam in fide Principum ab inscitia magis quã eruditione profectos.

ventu. Eximia hæc sanè esset scientiarum prærogativa, si indivulsam secū comitem virtutem ac religionem traherent: Verùm hoc nondum potuêre frui privilegio; facem tamen ad has præferunt; sed non profuturas, nisi volentibus consectari. Ut tamen nemo prudens negaverit facilius esse non offendere in lumine, quàm tenebris versanti; ita quoque erudito præ imperitis errorem divitare, pronius esse, non poterit inficiari. Siquod patrocinium hæresi scientia unquam præstitit: non aliunde nisi ex prædominantis superbiæ, malitiæque abutentis perversitate profectum est, tanquam à gladio in viscera possidentis converso.

XVII. Resp. IV. Humanitati & clementiæ Principū non obstat, sed favet eruditio.

Nec humanitatem clementiamque eruditione Principum imminui, Salomonis, inclementiâ onerum subditos gravantis, errore probatur. Deus qui Sapientiam Regi infuderat, libertatem peccandi non ademit: sed nec auxit, ad indecora imperantis vitia, inclinationem, infregit hanc potius, per Sapientiæ adversantis illustre lumen, cùm & rectæ administrationis viam ostenderet, & usum suaderet. Cui quod obsecutus non fuerit, depravatæ, non à Sapientia, sed cupiditatibus voluntati fuit imputandum. Fecit Salomon, pro sua libertate, quod his placuit; non quod illa consulebat. Tantò facilius est rectum consilium, sibi etiam, dare, quàm admittere. Stat igitur manebitq; hæc à ratione, experimento, Deoq; ipso profecta veritas: *Rex* eruditus & *sapiens*

reip.

Sap. 6. reip. ac *populi stabilimentum.* Ipse Salomon

c. 9. his à Deo precibus Sapientiam postulat. *Mitte illam de cœlis sanctis tuis: ut sciam quid acceptum sit apud te. Scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis sobriè, & custodiet me in*

3. Reg. 3. *sua potentia.* Audiit Deus preces, laudavitque & postulatam largitus est. Nec diffitetur beneficium Salomon: *Venerunt*, ait *mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.* Nihil igitur ad virtutem & præcipuam hujus vitæ felicitatem, in Sapientiæ

Ps. 93. possessione Regi defuit, Nam si *beatus, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum*, utiq; & beatus Salomon, qui non solum in politicis hujus mundi legibus, sed & divinis à Domino

Ps. 143. eruditus est. Si beati *quorum promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud. Beatum enim dixerunt populum cui hæc sunt*: quid ni, & Salomon hoc nomine beatus, cui omnia bona pariter cum sapientia oblata sunt. Verùm quòd, & sapientiâ, & bonis cum eadem oblatis malè sit usus, hoc potissimum ejus felicitatem evertit, neq; hoc vitium à sapientia, sed à carne & concupiscentia fuit, quam Deus non abstulit, sed moderandam commisit, docuitq;, Salomone non diffitente, quod *melior sit, qui dominatur a-*

Prov. 16. *nimo suo, expugnatore urbium.* Dici Salomoni poterat, quod Christus suis dicebat Apo-

Joan. 13. stolis, Juda audiente: *Hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.*

Quot Reges Principesq; & sapientia, & mul-

multis ſæpe virtutibus laudatos vidimus, in certos tamen vitiorum ſcopulos & ſe & reip. navim allidere! Davidē, [qualem quantumq; Regem!) ſua præcipitavit luxuria, & potentia. Cujus hodiedū facili9 quoſdam ſcelera, quàm citò reſipiſcentis pœnitentiam videas æmulari. Beatos ſe nonnulli regentium credunt, quando libertate ſua freti, nullum vel timent, vel ſuſtinent monitorem. Quia niſi ad meliora eruditi, illum intueantur ac metuant, qui videt ac regit univerſa, infelices meritò hac ſua libertate potentiaq; habendi ſunt. Nam *beatus vir, qui in ſapientia morabitur, & in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei.* Beatus ille Princeps, qui cum Davide jam reſipiſcente dicere poterit: *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea.* Infelix ille, de quo dicitur: *Non eſt Deus in conſpectu eius; quia* mox conſequetur; *inquinatæ ſunt viæ illius, in omni tempore.* Confiteantur, & meditentur cum eodem Rege ſeriò omnes: *Ecce Domine, tu cognoviſti omnia, noviſſima & antiqua, tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, & in me, confortata eſt, & non potero ad eam. Quò ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades. Et dixi, forſitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis, quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur.*

XVIII. Neceſſaria Principi ſapienti ad felix regimen obſervatio.

Eccli. 14. *v.* 22.

Pſal. 15.

Pſal. 9.

Pſal. 138.

Stul-

Stulta cogitatio eſt, latere eum quicquam poſſe, cui patent omnia, & paucis occultare hominibus velle, quod univerſus in extremo judicij die, orbis inſpecturus ſit, quanto multorum probro, niſi modò hic fuerit expiatum! *Veniet* enim *Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*, tunc patebit, & *recipiet unuſquiſque, prout geſſit in corpore, ſive bonum ſive malum.* Vilis animus, nec Principe viro dignus eſt, qui hanc modò confuſionem, aut laudem, vel non cogitat, vel non æſtimat. Ad illos inprimis omnium ſe convertent oculi, qui ut ceteros dignitate, ſic virtute ac vitæ exemplo antecellere debuerunt, *hi ſpectaculum* illic erunt *mundo, & Angelis, & hominibus* in laudem perpetuam, ſi cœlo digni, in opprobrium & confuſionem ſempiternam, ſi indigni. Hæc nunc meditemini, quotquot alijs præfecti, aliorum curatis mores, & proprios negligitis: Regius vos Propheta hortatur: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram. Servitute Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta, cum exarſerit in brevi ira eius.* Qui rationem, honorem, ſalutem, animam, Deumque, & æternam gloriam curant, hæc negligere non poterunt. Momentanea hæc penè cura eſt, quam ſempiterna, vel ignominia in extremis ſupplicijs, vel gloria in cæleſtibus gaudijs conſequetur. Eligant hic in tempore, quam

1. Cor. 4. v. 5.

eAVſ. 9.

Pſal. 2.

quam possidere volent in æternitate. In hoc apex humanæ eruditionis, & sapientiæ principalis consistit. *Si ergo delectamini sedibus & sceptris, O Reges populi, diligite hanc sapientiam, ut in æternum regnetis.*

Sap. 6.

CAPVT VII.

Qui eruditionis in hac vita gloriam felicitatemque prensant, hos desperare in labore non convenit, quando etiam bruta, ac feminæ eam assequuntur.

ERuditionem plures in bonis artibus scientijsque amant, quam laborem illi comparandæ necessarium. Ut si via ratioque inveniri posset, qua ad illam citra magnam perveniri molestiam queat, hanc ultro sint amplexuri quamplurimi. Discimus sanè exemplis reperiri homines, linguis, quibus nunquam ex professo operam dederunt, non imperitè nec impeditè locutos. Apponensis apud *Rejesium* illiteratæ mulieris meminit, quæ subinde melancholico quodam æstro percita, latinè haud incongruè loquebatur, quod sana minimè posset. *Chiliadum autor* tradit quod se vidente Panacæus Medicus Phlyarium quendam patria Spoletanum, teutonicè in mania differentem,

I. Melancholici homines repentè nonnunquam eruditi videntur.

quæst 27. n. 9.

In decl. pre laudibus Medic.

tem, pharmaco exhibito curarit; sed cum furore hanc quoque loquendi facultatem ademerit. Ita Francisci Magresi uxorem, *Pomponatius* memorat melancholia perculsam, vario sermone disertam fuisse, quæ elleboro purgata, cum receptâ sanitate peritiam hanc amisit. *Fontecha* Grammaticum se vidisse inter Hispanos ait, qui ebrius poëticis se aliisque carminibus mirè oblectaret, rudis ad ista sobrius. Unde Arethæus sensit: *Ingeniosos ac dociles astronomiam callere absque doctore, Philosophiam possidere à nemine traditam, poëticam velut à Musis infusam nosse.* Plura horum exempla apud Rhodiginum tum apud Rejesium supra cit. reperies. Cum quo causam huius tam insolentis scientiæ lubet indagare ut si illa possideri citra laborem queat, humanum genus hac felicitate beemus. Platonicis haud difficile olim fuit, suis ex principijs causas huius scientiæ depromere, siquidem animas hominum, omni scientiarum genere ante corporis societatem instructas, quas infusæ per reminiscentiam exercerent, credidêre. Unde Plato: *scire nostrum aliud nil esse, nisi reminisci* tradidit, liberamque à corpore mentem repentè fore instructissimam: tum verò, cum furore quodam percita elevatur multa alias incognita perspicere. In quam sententiam Macrobius, Lemnius, Marcellus Donatus aliique propendentes, facilem reperiunt quæstionis exitum magis, quam veritatem. Interea diffiteri non possumus, per humores

lib. de Incant. c. 4.

II. Furor & Ebrietas aliquando disertos facit.

lib. 17. c. 1.

III. Plato animas prius, quā corporibus jungentur eruditas facit.

inores atrâ bile, vel febrili calore, aut etiam vini liberalioris haustu accensos, excitari multorum ad poësin eloquentiamque minus usitatam quorundam ingenia, ut de Maraco Syracusano cive nisi alienata mente præstantissimè poëtizante Aristoteles meminit.

IV. Calore excitantur animales spiritus ad majorem operandi vim & promptitudinem.

Quocirca statuimus hoc non aliter evenire, quam caloris vi, quo elevata à sensibus alijsque rebus mens, ad puriorem quarundam specierum ac phantasmatum, alias haustorum, sed veluti in anima sepultorum luce extollitur ac subtilius à cognitis ad incognita etiam ratiocinando dilabitur. Fieri tamen quandoque potest, ut si prorsus alienis ignotisq; loquatur linguis, futuraque in causis minimè prævisa enuntiet, vel bonus, vel malus genius, ista hominis temperie usus, sese misceat, illud enim Sauli inter Prophetas, hoc in æstu invidiæ persecutionisque Davidicæ evenisse scriptura memorat. Ceterum fieri non poterit, ut prorsus antehac nec in causis quidem cognita, mens suggerat hoc æstu percitis; cum naturaliter nihil nisi sensibus petceptum, mens possideat in mortali hoc corpore, aut lingua ad eloquentiam suppeditet, nisi fortè per raptum à corporis societate tantisper avulsa, cum Paulo in tertium cœlum abducta, sublimiora homine contempletur. Nam menti extra corpus innumera patebunt, quæ in eius complexu nunquam assequetur. Unde si eius animus corpore

V. Animus corpore solutus plurima repentè cognoscit ante incognita.

solutus mundum cœlosq; atque inferos peragrasset, quod Sanctis quibusdam hominibus indultum novimus, hic redditus mortali vitæ plurimarum haurire cognitionem rerum brevi temporis spatio potuisset. Idemque animabus ante corpora, ut Platonici volunt, conditis evenire poterat, si illius nobis argumentum divina ex fide relictum esset. Citra quam hoc asserere temerarium esse sentimus.

Apponensis probl. 21. Isidorus lib. 9. Etym. c. 1. *Schen. l. 4. obs. 59.* *Avent. l. 3. An.*

Non ignoro quosdam esse, qui natos recens infantes, si ab omni humano consortio separentur, primogenia Hebræorum linguâ, sponte, sine magistro, locuturos existiment. Quin & Schenckius ex Crantrio refert Vandalorum Ducis Baruch uxorem biennio toto ex illo gravidam peperisse tandem infantem, sed maturum morasq; nascendi firmitate corporis pensantem, qui natus repentè incesserit pedibus, & prompta voce locutus sit, quod Aventinus in Bojorũ historia exemplo haud dissimili confirmat. Nec illepidum est, quod de Psammeticho Ægyptiorum Rege Herodotus recenset, qui cupiditate explorandi, quânam tandem lingua homines omni instructione destituti, locuturi essent, duos infantes humili sorte natos Pastori in solitudine educandos commisit, severè prohibens, ne qua eos voce alloqueretur, sed per admissas solum capras, earum ex uberibus, lacte pasceret. Ita traducto biennio, cum nihil nisi ab his nutricibus audijssent, Pastor locum subit, occur-

VI. Infantes à nativitate omnium gnari, etiā loquelæ sine magistro. *Herm. in Euterpe. l. 2.*

occursantesque pueros σεκὸς σεκὸς vociferari intelligit, quos cum deinde Rex ipse coram hæc profari tantum cognosceret, panemque hac voce Phryges nuncupare, hos Ægyptijs antiquiores esse, atque hinc ceteras gentes originem trahere persuasum habuit.

Verum & Regem hunc, & reliquos suâ opinione falli, nimis compertum est, quando articulatæ voces nullæ, nisi ab instructione ac magistro haberi possunt, quæ de Vandalico & Boico partu memorantur naturæ communis ordinem superant, altiorique sunt causæ tribuenda. Ægyptij illi pueri hoc locuti sunt, quod ex caprarum lactentium ore exceperant, plane muti futuri, nisi strepitum hunc caprilem σεκὸς exaudijssent, quod hac ætate pari exemplo Regis Indorum Magni Mogoris certius fuit exploratum. Hic enim simili curiositate ductus, triginta pueros in solitudine per elingues custodes nutritiosque educari fecit, ut eloquentiæ huius nativæ, quam exspectabat, caperet experimentum, illius gentis religionem, ceu veriorem amplexurus, cuius illi linguâ fari cœpissent. Sed cum lapso aliquot annorum curriculo, mutos planè fuisque nutritoribus similes reperisset, nullâ quoque religione teneri voluit: ratus hominũ illam tantum inventum, traditionemque videri, & hoc quemque tenere, quod à majoribus accepisset.

A Reies Elys. Camp. q. 55. n. 25.

Nobis ex sacris literarum monumentis certâ fide relictum est, quod olim unâ orbis

univer-

VII. Linguarũ cognitio post turris Babylonicæ relictũ apus sine magistro habeti nequit.

universus idiomate instructus fuerit, atque in pœnam mortalium Babylonicam turrim molientium, linguarum illa divisio, quâ nunc orbis in diversas gentes scinditur, cœlitus immissa fuerit, quarum tamen nulla sine magistro queat obtineri: ut tantò nunc quisque peritior, quantò pluribus locutus fuerit linguis, censeatur: trilinguemque aut quadrilinguemque nunc esse, non in opprobrium, sed laudem, vertatur, honorisque loco sit, quod pœnæ dedecorisque olim fuit.

VIII. Tenella ætas institutione facilius formatur, comperto in avibus etiam exemplo.

Nihil tamen horum sine institutione prævia tenemus: quamquam plerosque, velut non sentientes, in vernacula lingua, infantes natura magis, quàm ars erudiat, facillimeque hæreat, quod in teneris puerorum animis, ceu puræ adhuc mentis tabulis, excipitur, ut aves etiam psittacique inprimis, ac corvi, picæque, humanis erudiri queant vocibus, si tenellæ in hominum consortio educentur: nec difficilius aliorum animalium voces imitentur, si ad illorum consuetudinem fuerint admissæ. Uti corvum me audire memini in villa, inter pecora enutritum, qui ut Gallus cantillabat, ut Gallina glocitabat, & ut canis latrabat, ac subinde etiam humanas famulantium voces immiscebat, tam quædam scitè apteque, ut aliud omninò animal, præter corvum te audire, sensisses, & oblitum nativi crocitatus, alia omnia, quæ dedicisset, tantum reddere, intelligeres. Ita in conterminis nationibus populi, qui utriusque gentis linguâ utuntur, libe-

liberos educant utriusque sermonis peritos. Puerum, quod mireris sex annorum, nondum scholis trivialibus idoneum, lingua non Germanica solùm, sed & latinâ obvia quævis promptè enarrantem, audivi, qui omnium adhuc præceptorum ignarus, ex consortio fratrum, domi in pædagogio, latio sermone utẽtiũ, ista edoctꝰ erat. Tanti refert cui à teneris institutiõi assuescas. Nisi igitur puer ille biennis, in matris utero, de quo Crantrius, voces loquentiũ, velut post cortinã, exceperit, non, nisi divinitus, patrio fari sermone potuisset.

IX. Bestiæ ad humanitatẽ & artes varias formari possunt, ut in equis & canibus notum.

Porrò institutionis illa vis est, ut bestiæ etiam bellueq; quantumvis agrestes ac feræ ad humanitatem quandam artesq; diversas erudiri queãt, sic canes ab obsequia dominorum, venationem artesque varias formari conspicimus; Equos ad belli pacisq; officia aptari, elephantes linguarum quoque diversarum cognitione imbui; ut excusationem non habeant parentes, si natis ex se liberis hanc curam non impendant. De canibus juverit Sexti Empirici orationem audiri. *Electionem*, inquit, *habet. Nam capit quæ sibi commoda sunt, fugit noxia, edulia persequitur, flagello intentato omittit. Sed & artem habet, commodorum comparatricem, venatoriam. Nec verò virtutis est expers nam cum justitia sit unicuique suum tribuens, canis: familiares ut bene meritos adolatur, custodit, tuetur: invadit externos, aut iniuriam inferentes. Vidimus & prudentem, ut testatus est Homerus, qui Vlyssem suis omnibus ignotum, à*

lib. 1. Pyrrhon. Hypot. c. 14.

solo Argo agnitum facit. Secundum Chrysippum etiam illius celebratæ dialecticæ particeps est; ait enim eum tertij notitiam per alia non probata consequi: ut cum ad trivium venerit, & cum jam duas vias indagaverit, per quas fera non ivit, tertiam ne odorans quidem, aut dubitans init, & magno per eam impetu fertur: veluti ratiocinans; aut hac, aut isthac, aut illac fera transijt: neque autem hac, neque isthac, ergo illac. Sed & medicus est, ac si festuca impacta sit, eam extrahit dentium ministerio. Sed & Hippocratis præceptum servat, & quoniam pedis medicina est quies eius, hunc læsum sursum attollit, & quantum potest, servat à motu. Cum vero pravi humores aggravant, gramine vescitur, eiusque ope, quidquid noxium est, expellit.

Quocirca in diversis artium generibus Canes erudiri posse sensit. *Plutarchus* sub Vespasiano Imp. Mimum fuisse memorat, qui Canem varias in theatro personas sustinere docuerat, atque in ceteris hominem toxico sumpto emorientem, primum enim tremere, dein lapsari, denique prorsus corruere, porrectisq; membris mortem fingere, verum ingesto mox antidoto, velut à somno ad se reverti leniter caput arrigere, circumferre oculos, ac toto mox corpore moveri, extollique ac suo apud herum officio lætus fungi, ut homo nil posset aptius. Ita *Sabellius* in sua historia tradit: Rhodios equites in oppido S. Petri, quod oppositum Coo insulæ quondam tenebant, quinquaginta canibus ad hoc institutis custodiam noctu extra urbis muros deman-

mandaſſe, qui Turcas à Chriſtianis diſtinguere docti; his adventantibus blandiebantur, innoxioſque ad oppidi portas ducebãt, illos ingenti latratu mordaciter invadebant. Superiori ſeculo Eliſabetha Anglorum Regina ſub comite Eſſexio contra Hibernos exercitum non ſolum hominum, ſed & moloſſorum canum octogintorum miſit. Hi ad cuſtodiam caſtrorũ diſtributi noctu, militem vallabant, pro exploratoribus ante exercitum miſſi ibant, & ſic ubi recondita Hiberni ſubijſſent loca, eo penetrabant, vel exacturi, vel certè venientibus copijs prodituri latentes, ſimul etiam in acie ſtantes pugnanteſque invaſuri.

Olaus M. 27. de anim. c. 6.

Quod pugnandi genus jam olim Anglis familiare. Quare & Olaus meminit paulo ante hoc tempus Henricum VIII Anglorum Regem Carolo V contra Regem Galliarum pugnatore quadringentos ſubmiſiſſe auxilio milites totidemque cum eis moloſſos, ferreis colla torquibus munitos, quibus adverſus hoſtem, & pro ſuorum cuſtodia fortiter uteretur. Hac arte Hiſpani maximam Pervanæ Inſulæ partem, Indos ex receſſibus varijs extrahendo, penetrarunt, victoreſque canes hoſtium plerumque carnibus ſaginarunt. Eiuſmodi generis canem Lipſius Bruxellis inſtructum fuiſſe tradit, ut vimineo corbe ex collo ſuſpenſo ad macellum itaret, carnemque pro depoſita in illo adferret pecunia. Verum eveniſſe aliquando refert, ut maiori canum ſeptus numero, cum undique peteretur, one-

Barth. Laſchalas. l. de deſtruct. Ind.

Lipſius. Cent. 1. Ep. ad Belgas. Epiſt. 44.

re

re poſito dum poſſet ſtrenuè propugnaret, inferiorque tandem, cum robore vinceretur, ipſe quoque in carnis prædam involaret, ſibique, quantum potuit, decerperet. Alium Lovanij nutritum accepimus quē herus ſigno dato quoties luberet, Bruxellam ad amicum cum literis deſtinabat quas millo colli inſertas, excipiebat ille, aliaſq; pro reſponſiōe ſubſtituebat, educto, & ad ſuos remiſſo cane, qui expeditiſſimi nuntij vices obibat, ſolo victus ſalario contentus.

X. Elephanti craſtiſſima animalia, ad varias artes inſtitui queūt. *Plin. l. 8. hiſt c. 3. Suet. in Galb. c. 6.*

De Elephantis ad rariora etiam inſtitutis plenæ veterum recētiumq; ſcriptorum hiſtoriæ ſunt, Plinius, Ælianus, Aldrovandus Niërembergius multis illa exemplis teſtātur, quibus inſiſtere lōgum ſit. Illud jure admirentur, quod tanta, quā ſunt, corporis mole, etiam ad artes hiſtrionicas, ut Plinius Suetoniuſq; referunt, erudiri poſſint, quale funambulonū Elephantum ſpectaculum hic Galbam Imperatorem Romæ edidiſſe refert, idemque de Nerone recenſet Dio. Et per Germanicum Tiberij nepotem Ælianus memorat, ſex mares totidemque feminas Elephantes ſcenicè ad magnificentiā cultos, in theatrum productos ad numerum, & in orbem ſaltitaſſe, plauſiſſe terrā pedibus, flores ſparſiſſe, deniq; in lecticis ad menſam accubuiſſe, vino, carnibus, ac pane, idq; ſcitè, & cum ſumma moderatione, per miniſterium proboſcidis fruitos. Apud Indos Acoſta varijs adhiberi eos officijs refert: fuiſſe Cochini, qui cum à magiſtro co-

Lib. 2. de Anim. c. 11.

Centur. 9. Miscel. Epist. 50.

ctam orizam posceret, hunc exhibuisse lebetem fractũ, simulq; ad Cacabarium mandasse ferri. Ivit, obtulit, præstititq; dum reficeretur. sed reverso, cum magister aquam infundens ostendisset ruinæ defectum, remisit Elephantẽ: artifex simulans refectionẽ, defectuosum lebetẽ reddit Ergo subdubitans de integritate Elephas in proxima explorat aqua, revertensq; ingenti barritu rursum artifici lebetem obtrudit, qui veritus offensionem, probè ferruminatũ restituit. Tum rursum, in aqua exploratum, integrumq; domum refert. Estne quod in famulo plus prudentiæ cautionisqua exspectes? Spectavi ipse Coloniæ anno MDCXXVIII hoc animal, bestiarũ penè omnium deforme maxime incultũque, cui pedes columnarũ instar, cutis quernæ arboris cortici similis, caput prope suillũ, cum binis dentibus prominulis, & naso seu proboscide farciminis instar ad terrã usq; propendente: quam habiliorem quovis brachio, extendere, cõtrahere, circũferre, pro arbitratu, & quævis spiritu ducto cadũ attrahere, seu præhẽdere, rejicere, vi magna repellere potest qua panem tenet, vinũ in schypha capit, oriq; inserit Magistrũ non secus ac homo hominẽ loquẽtem intelligit, eius jussa exequitur, investigat & reddit abjecta. Capaci deniq; phãtasiæ linguarũ diversarũ idiõata imprimit, ut is quẽ vidi gallica lingua alloquẽtes intelligebat, germanicæ proprietates apprehẽdere cœperat, in prima ætate, nondũ assecutus decenniũ, quo tẽpore

ad disciplinā quamvis habiliores sunt, molis tamen adeò vastæ, ut nisi portis, quibus currus onusti admittuntur, excipi non posset.

XI. Quale inter doctos indoctosque discrimen.

Hæc sine voluptate ne audiuntur quidem, quanto minus sine illa spectantur, ut negare prudens nemo possit, interesse plurimum, avisne, canis, equus, aut elephas huiusmodi varijs artibus eruditus, an rudis imperitusque omnium permanserit, illos magnis etiam pretijs homines ambiunt principumque custodiunt aulæ, hos contemptim aspernantur. Non malè interrogatus Aristippus, *quo docti ab indoctis differrent* ? respondit, *quo equi domiti, ab indomitis*. Et Socrates *hominem opulentum* contemplatus: *En*, ait, *asinum argento exornatum*. Plato quid inter peritum imperitumque hominem interesset? quæsitus, quod *inter Medicum*, ait, *& ægrotum*: Aristoteles quod *inter vivum & mortuum*: Stilpon, quod *inter statuam & hominem*. Thales ex Græciæ Sapientibus sciscitanti, *quisnam hominum hac in vita felix* ? respondit, *qui corpore sanus est, animo vero eruditus*.

Laert. l. c. 8. Brason l. 3. c. 9. Laert. l. 5. c. 1. Stob. ser. 4. Laert. l. 1. c. 1.

XII. Feminarum ab eruditione decus & gloria.

Tantum nempe eruditio homini ornamentum adfert, ut feminas, ceteroquin viris omnibus naturæ suæ conditione postponendas, supra virorum indoctorum gloriam longè extulerint. Reginæ Sabæ Nicaulæ (ut vocant) quanta ob amatum sapientiæ studium gloria! Hortensiæ & Corneliæ Gracchorum Matris, Hypatiæ & Catharinæ Alexandrinarum, Zenobiæ Palmyræorum & Amalasun-

Iulij. l. 8. c. 3. Ioan. Mag. l. 20. D. Hieron. in Epist. & vita.

tæ Gothorum Reginæ, quantum ab eruditione decus! Marcella & Eustochium Romanæ, & hæc virgo quidem, latinis græcis hebraicisque eruditæ literis, quanta cum D. Hieronymo, ob doctrinam, consuetudo! In Italia Genebria, & Isota Veronenses doctæ juxta disertæque, Cassandra Alexandri Sfortiæ uxor, Victoria Columna Ferdinandi de Avala Caroli V. gloriosissimi Ducis uxor, oratione ac versibus promptæ floruêre, Cassandra Fidatis Veneta poësi ac philosophia cum præcipuis certare viris solita his jure accensetur. In Anglia, ut ceteras taceam, Thomas Morus tres filias, Margaritam, Elisabetham, & Cæciliam doctissimas iuxta castissimasque educavit. In Hispania Joanna Regina Caroli V. mater, Catharina soror, Henrici VIII. Angliæ Regis conjunx, & aliæ sorores duæ in Lusitania defunctæ, latinis omnes literis excelluêre. In Gallia hoc etiamnum seculo claruit Avenione Juliana Morella ordinis S. Dominici virgo orientalium quoque linguarum præter latinam perita, quod decus hodiedum superstiti Christianæ Suecorum Reginæ tribuitur, felici, quod hoc lumine scientiarum ad verum fidei lumen agnoscendum sit usa. In Germania Rosvidam sanctimonialem Hildesimensem, ijsdem instructam linguis, poësiosque ac Theologicarum rerum peritissimam quondam Saxones mirati sunt. Cuius vestigijs Elisabetha Schonaugiensis apud Treviros Abbatissa, & Hildegardis Moguntinæ Diœcesi-

Ludov. Vives de Chr. femina l. 1.

Crant. l. 6. c. 20. metr. Beÿer. in Theat. D. 393.

os virgo institêre, paremque cum eruditione vitæ sanctitatem junxêre. Plura non memero, nisi ut viros horter, excitemq; : ne se in capescenda eruditione, & à brutis animantibus solertia, & à feminis discendi studio ac felicitate superari patiantur.

CAPUT VIII.

An melancholicæ complexionis homines ceteris ad studia bonas artes, & virtutem ineptiores sint, minusque felices?

I. Varietas ingeniorum morumq; ex temperamento cerebri diverso.

INgeniorum in homine varietatem, ac morum diversitatem nō aliunde quam ex vario illorum temperamento, quod cum reliquo corpore cerebrum sortitur, consentiente penè Philosophorum Medicorumq; sensu tenemus. Hoc enim ubi vel frigidius, humidius, etiam sicciusve fuerit, pro naturæ suæ conditione spiritus sibi cōformes generat, quibus ingenia moresq; reguntur unde non levis illorū, vel diversorum hominum similitudo, vel in officio & vitæ genere similium diversitas oritur. Nam ut rectè à Rejesio observatur: *quibus calidius à natura datū est cerebrum, alacriores habent & exquisitiores sensus. quibus frigidius torpidiores sunt, & segnius animæ opera exercent: utriusque autem temperamentum intenditur, aut acuitur humiditate & siccitate acccedente. Sicquibus calidum & humidum est cerebrum, ingenij promp-*

A Reies in Campo. q. 73. n. 10.

promptitudine quidem, & sensibus integrioribus, sed nequaquam profunditoribus & acutioribus praeditos esse cernimus; quia spirituum humiditas exuperans illorum agilitatem quodammodo habitat, & tenuitatem infringit sicque ad cogitationes profundas transitum intercludit: qui vero calidi & sicci sunt cerebri, sicuti per cholericorum, & biliosorum naturam obtinent, hi quidem spiritus generant tenuissimos & subtilissimos, unde subditi & acuto etiam ingenio praediti sunt, ac judicio valent ad omnium rerum actiones expeditissimo & promptissimo: verum cum ob nimiam suam tenuitatem spiritus hi facile dissipentur, & ob insignem etiam, quam obtinent, agilitatem & mobilitatem rerum species firmiter non retineant, & objectorum varietate facile ac citius commoveantur, parumque etiam profundis contemplationibus & cogitationibus ideo immorentur, imo vago varioque sensuum impetu velociter ad diversa rapiantur. acuti quidem sed parum constantis ac profundi ingenij sunt, & cogitationes suas non satis firmiter & alte in res defixas quiescere permittunt; sed statim aliarum specierum appulsu, commotis spiritibus, & ob tenuitatem dissipatis, à contemplationis serie retrahuntur. Econtra qui frigidum habent humidumque cerebrum, quale illorum est, qui phlegmaticam habent corporis constitutionem, hi spiritus progignunt crassos, & ad ingenij laborem ineptos. Vnde tardi sunt, segnes, stupidi, atque hebetes, judicio nullo valentes ad graviores animi occupationes.

Cete-

II. Melancholici plerumq; ingeniosiores & ad magnas virtutes aptiores.

Ceterum cum ex prædictis cerebri cõplexionibus (licet aliquæ suas utilitates habere videantur) nulla talis sit, quæ supremum illum prudentiæ, optimi discursus gradum perficiat, ad frigidam & siccam temperiem, qualis Melancholicorum est, accedamus, demonstremusque, quo pacto ea, quæ ad virtutum excellentiam comparandam, unà cum ingenij claritudine & acumine, ex necessitate, requiruntur, â bile atra mediocriter calida proveniant. Dum enim in Melancholicis, prævalẽte siccitate nullo pacto excedit frigiditas, & modicus calor mediocritatis quendam gradum constituit, aliquantulum crassi, sed limpidi & clari spiritus producuntur, qui nec ob caliditatem excedentem inconstantes nimium moventur, neque objectorum impetu ita prompte agitantur, aut hinc inde trahuntur, nec ob nimiam humiditatem torpent, nec ob nimiam subtilitatem citius absumuntur, & dissipantur, sed firmi sunt ac stabiles, atque ideo profundis, acutis, & continuatis ingenij laboribus subeundis peridonei existunt. Hinc tales ingeniosi maxime sunt, acuti, sagaces, prudentes, & ad gravissimas res, & omnis generis scientias capessendas habiles.

Denique subjicit: *Non loquor de illis melancholicis, qui, cum huiusmodi sint propter aliorũ humorum commixtionem, & aliarum qualitatum excessum, ab illo perfectionis gradu, ad prudentiam definito, multum deflectunt. Vnde alij morosi, tristes, solitarij, invidi, avari, & aliquando iracundi fiunt. Sed illos tantum intelligo, qui multam bilem atram mediocriter calidam in se continent, calore non admodum prævalente: quandoquidem qui prævalentem habent, ad temeritatem pronos esse*

III. Magnis tamen quidã melancholici affligũtur malis.

se determinavit Galenus, præ nimia enim caliditate hi aduruntur. Vnde præcipites, in furores inflămatos, insaniasque deveniunt horribiles, tragici illius Orestis, aut Athamantis similes. Et haud multò post. *Quod si ex adversum ad frigidum multum deflexerint, timidi manifeste conspiciuntur, mœsti præterea & obscuri, ac tenebricosi, nullisque ad heroicas virtutes stimulis aut motibus excitantur, ut fere Timoni Atheniensi Misanthropo, vel Homerico illi Thersitæ, aut Bellerophonti similes evadant.* Subscribit deinde : quænam hypocondriacis cura adhibenda sit : qua in re ad illum remitto : cum ego ex Philosophia malim , quam medicina , & animi, quam corporis sanitatem remedia depromere. Interea in supradictis experientiam doctissimi viri illius verbis , quam judicium meum depromere malui. Illud tamen , quod hac ætate praxi novâ exploratum esse didici , ut læti agilisque , vel adolescentis , vel , si is haberi nequeat , animalis cujuspiam vegetioris sanguis, pro exhausto , invenas per tubulos refundatur, ab eius suffectionis perite , non improbavero ; dum hepatis simul stomachique, ut licet, vitia corriguntur. Siquidem praxi illud alteri , quâ , eiusmodi in potu sanguinem exhibent. jure præferam, cum hic nova digestione ad sumendis naturam , vitiis utique viscerum contractis , sit transformandus.

III. Magnis tamen quidam melancholici affliguntur malis.

IV. Remedium huius ævi insolens, sed potens.

His tamen de causis potissimum quæ diffi-

ciles curata sunt, melancholicam plerique exosi sunt, & ferè ceteris, quæ ex sanguine, cholera, & phlegmate prædominante nascuntur, complexionibus postponunt. Verum suas quæque complexio quemadmodum utilitates ita & vitia complectitur sanguinea agiles quidem lætosque atque expeditos; sed & leves simplices vanosque reddit. Cholerica fortes animososque; sed & temerarios præcipitesque efficit. Phlegmatica moderatos pacificosque; sed & remissos abjectosque animos fovet. Melancholica prudentes constantesque; sed & mœstos afflictosque varijs phantasmatibus homines possidet. Nullius adeò naturæ complectio felix est, quæ non aliqua infelicitate prematur: nec tam cuiusquam infelix, quin aliquâ felicitate sublevetur. Et ut quisque ferè præstantissima naturæ dona nactus est, ita gravioribus vicissim incommodis aut periculis objicitur.

V. Melācholia plerisque ingrata, sed cuique cōplexioni sua ut commoda, ita ut sunt incommoda.

Melancholicæ complexionis affectiones, nisi vel in calorem nimium, vel in frigus inclinentur, præstantiores ferè, uti vidimus, reliquis censendæ sunt: ut melancholici infeliciores suæ naturæ sorte non debeant existimari. Hinc supremo cœlorum præfecerunt veteres melancholiæ favens astrum Saturnum, quem sic Pontanus describit.

VI. Melancholici in quibusve fere artibus officiisque præstantissimi.

Nigra seni facies, tardus gradus, horrida barba
Et cani crines, & membra effœta senectâ.
Ingenio tamen ipse bonus, nec inutile pectus
Consilijs, constansque animi, prudensq; futuri.

Aristo-

Aristoteles certe huic tantum complexioni tribuit, ut in quacunque arte excellentissimos melancholicæ naturæ fuisse statuat: sive philosophiæ studijs operâ dederint, carminisq; aut orationis artifices fuerint; sive mechanicis addicti artibus, sive reip. aut regni gubernationi admoti. Faveritne in hac sententia naturæ suæ Aristoteles, incertum est; rem tamen in præstantissimis ingenijs satis tradit exploratam.

Sect. 30. probl. 1.

VII. Studium immoderatum ex melancholicis plures ad insaniam redigit.

Sed ut hæc Melancholicorum felicitas magna sit, multorum tamen, vel ex studio immoderato, vel deliris aliis apprehensionibus mente aberrantium sors infelix satis videtur. Novi hominem, in juvenili ætatis flore, melancholiæ tamen afflatum spiritu, qui anno MDCXXVII. trium linguarum professor; historiæ præterea, cum arte memoriæ, & Jurisprudentiæ cognitionem, brevi singula tempore, se auditores suos docturum recepit. Sed Coloniæ Ubiorum, postquam non paucos eâ spe discipulos collegisset, impar studiorum promissorumque, insanire palam ac furere cœpit, inclususque S. Gereonis, ad urbis muros, turri, humanæ calamitatis exemplum factus est, docuitque moderationem ubique, etiam in studiis adhibendam; ne studeo, in supino faciat stultum, denique tamen medicamentis adhibitis redijsse ad mentem fertur, capitis utique caloribus, & intemperie mitigata, uti nonnunquam conspexi delirantem à medico repentè ad mentem ratio-

nemq; revocari, postquã Gallinam medio scissam corpore, ut erat, calentem, madentemq; sanguine, capiti tegminis instar applicuisset, verum hæc temporia tantùm sanitas, perpetuà illi non fuit, deditque solum de origine vesaniæ occasionem inquirendi, quæ eidem, nobilitate & forma præstanti, ex amatorio philtro, junctoque melancholiæ vitio obvenisse visa est; cum non nisi certis imaginibus animum affixum haberet, quod melancholicorum est proprium.

VIII Ridiculi errores phantasticorũ ridicule per imaginationẽ etiam correcti. *Majolus in dieb. Canic. Beyer. in theat. melan. p. 198.*

Repertus fuit in Belgio studiosus adolescens, qui nasum sibi ceu Elephantis proboscidem excrevisse immensum ratus, obvios quosque, ne offenderent, obsecrabatur, quem nulla arte corrigibilem medicus hac tandem curavit industriâ: apprehensi naso impegit cultrum simulque farcimen reconditum, tanquam præputatum extulit, vitiumque melancholicæ imaginationis correxit. Alius nolam sese in capite circumferre persuasus, ubi medicus fodicato syncipite, nolulam quam secũ tulerat, deciduam velut ex capite in terram collisisset, phantasiam abstulit. Et illius decantata historia est, qui cum sese destitutum capite esse juraret, ferreâ plumboque onustâ galeâ in caput inpacta, denique cum sensu doloris, premi se questus, utraq; manu caput se habere deprehendit. Thomas Rotarius Hispanus, multæ scientiæ eruditionisque homo, inque omnibus consilijs responsisque integer, vitreum tamen sese tam valida imagi-

natio

ratione apprehenderat, ut quemcumque accedentem propius vetaret adesse, ne attactu collideretur, nec transferri uspiam se passus est, nisi prius, tanquam vitreus probè illigatus stramini, munitusque adversus collisionem esset: Nec minus ridiculum, quod senensi, ex nobilitate, viro phantasma hærebat, tantam sese corpore aquam complexum esse, ut silotium redderet, urbs tota submergenda foret. Cujus timore mali, cum urinam non sine vitæ discrimine premeret, ignis vicinæ domui injectus, metuentem impulsumque ab implorantibus opera accivit, ut accurreret, lotio abs se fuso, extincturus. Neque levior illius, de quo Levinus meminit, insania fuit, qui se mortuum esse adeo tenaciter persuasum habeat, ut nullius consilio impulsuque cibum admitteret, quod negaret mortuis edendum. Quocirca in conclavia mortali omnia ritu adornata sunt, inductæq; mortuorum larvæ, quibus lautè instructa mensa, cui assidentes strenuè epulati sunt, attonito adhæc omnia ægro, atque ex vicino quærente; Etiamne mortui edunt? quid ni, respondet alter, nisi approperes, nihil pro te relicturi sunt, qua voce excitus lecto, & ipse in mensam epulasque advolat, ac lethiferam famem abstergit.

Lib. 2. c. 6.

IX.
Phantasia melancholicorum multos felices sua opinione facit.

Hæc videlicet quædam est, ad certarum rerum insanam apprehensionem affectio, quâ plerumq; melancholici præ reliquis affliguntur. Evenit tamen non rarò, ut hac imaginatione sua felices sese esse, etiam in me-

dia calamitate fingant, dulci grataque phantasiæ aberratione. Ita reperti, qui se Principes, Cardinales, Reges, Pontificesque, circumfluere delitijs honoribusque jactitarent, mandata atque imperia vulgarent. Romanum aliquando morocomium celebratæ famæ Theologus Gabriel Vasquez subijt. Occurris illi, officiumque humanitatis præstitit hospiti, præcipuus eius loci Morosophus, tanquam sapientissimus ceterorum præses, perque omnia stultorum receptacula circumduxit, errores morbosque singulorum diserta & non vacillante oratione exponens, ut ab alio, quam mente sano duci sese Gabriel ignoraret: donec tandem amentium nonnemo occurrit, quem intento digito signans Patri: En ait, insanum hominē, qui Gabrielem sese Archangelum esse comminiscitur allusione, ut videbatur, ad nomen hospitis excogitata; at inquit, manifestè delirat. Nam cum ego Deus Pater sim, certâ veritate teneo, nunquam illum à me ad Deiperam missum fuisse. Ita ad cœlos usque melancholia homines effert, interque, ac supra ætherias beatasque mentes hic etiam in terra, collocat, ut suis varij deliramentis felices censeri possint, & gravem mortalis vitæ sortem benignius sentire, cum plerique hominum tales sint, quales sibi esse imaginatione firmiter defixa, videntur.

X. Phantastica apprehēsio plures à morbis despe ratis liberat.

Reperias sola imaginationis vi à desperatis morbis sanitati redditos. Novi hominem Coloniæ ex ardenti malignaque febri

si

sibi restitutum, cum post medicamēta omnia irrita, cucumeres in domum inferri cōspexit, quorum desiderio tactus, existimavit illorum e usu restitui posse. Igitur lecto enixus, raptoque ingenti cucumere, acetoq; , ut mihi ipse retulit, quam potuit subitò dissecat, misscetque, atque in stomachum repentè, nequis domesticorum interveniens præpediret, conjicit, lectumque repetens haud multo post, febrilem sese noxam dispulisse sensit. Alios esu halecum, vinique aut lactis ad satietatem ingurgitato potu, valetudinem recepisse intelleximus, non quidem naturâ cibi potusque, ad roborandum potius malum comparati, sed phantasiæ in humanum corpus dominantis potestate. Quo in genere rarum est, quod *Thomas à Vega* recenset; quendam ex suis decumbentem delirante sæpius mente obtestatum medicos esse, sibi ut natandi in vicino stagno (quale cubiculi pavimentum esse apprehenderet) facerent potestatem, ita enim reddendum sanitati. Ergo, ut facultas data est, sese pavimento intulit, jactavitque, ceu natando, in omnem partem, lætus verò; jam, exclamat, ad genua pertingunt aquæ, jam immergor tenus peccatore, jam ad guttur usque pervenerūt, an mox, jam toto corpore sanitatē recepi. Nec fefellit imaginatio, sanꝰ deinde, atq; ex imaginario hoc æquore emersit incolumis. Plerosq; autē taliū melācholicis ad tam delira phantasmata humoribus impelli, Medicis visum est.

 Quod

XI. Phantasia multis ad animæ salutẽ prodest. *In vita Borgiæ.*

Quod si verò phantasia objectis affligatur animæ salutaribus, mirificè etiam valet impellendo ad omnem pietatem animo. Ita in S. Francisci Borgiæ Gandiæ Ducis historia legimus, aliquando hunc de inferni cruciatibus medidatum, Deique admiratum bonitatem, qui illos sibi jam olim merenti (quando plures alij in peccatis extincti æternùm periêre) non irrogasset. Quod cum ingens censeret beneficium tanquam si unus ex numero illorum damnatorum, jam ab inferno redivivus emergeret plenus gaudio & ardore pœnitenti succensus exultabat adeoque viva hæc imagine phantasiæ impresserat, ut haud secus quam homo ab inferis reversus, in omnem sese, cum stupore intuentium oculis crederet versari: atque iccirco parem tali homine, tam mirabiliter restituto, à se pœnitentiam, vitamque exigeret.

Expende, mi Christiane, si & talem esse te in conscientia deprehendas, mortaliumque peccatorum aliquando reum fuisse sentias, aut fortasse etiamnum sis, ita ut quovis momento æternùm perire queas: expende, inquam, an non obvenire illud tibi, quod alijs inter hæc delicta mortuis, supplicium potuerit? Et si Deus talem quempiam ex horrendis hisce pœnis revocatum, tuo in loco officioq; constitueret; quid meditaturus facturusque ejusmodi homo esset, ne in locum eorundem tormentorum, ubi dives frustra guttulam aquæ pro refrigeratione exspectat, miser recideret?

deret? quanta severitate pœnitentiæ, atque emendatione correcturus vitam sit, & quod talem acturum sentis, hoc in te, qui majori beneficio redemptionis, quod præcipitatus in scelere non sis, jure gaudes, noli desidiosâ ingratâq; resipiscentiæ cunctatione negligere. Mille hominum millia tam salutaris consilij negligentes Diabolus sustulit, & quomodo tibi, vel ad horam parciturum, audes confidere?

Audisti, opinor, Christianæ illius admirabilis, in Hasbania natæ, vitam, quæ, sive in corpore, sive extra illud, purgantium tantum animarum flammas pœnasque intuita, adeò illarum sibi gravitatem imaginatione viva impresserat, ut quidquid illa suppliciorum in tenero corpusculo, pro illorum tormentis sublevandis perpeteretur, id perleve ac ludicrum censeret esse, tamen quidquid dirum, horrendumque in pœnis cogitari poterat, eò sese ingerebat; canes, ut se nudam lacerarent, provocabat; in molendinorum rotas, ut minutatim carnes ossaque infringerentur, se ingerebat; aquas hieme congelatas subibat, ardentesque ac succensas insiliebat fornaces, hoc à Deo impetrato beneficio, ut post dilacerationes, & tormenta exanlata, rursum integra ad novas pœnas, & mille propemodum mortes, inaudito spectaculo, superesset. quæ si illa pro redimendis temporalibus purgatorij ignis pœnis, quid putares facturum quempiam illorum ab inferno revocatum, qui, cum tu peccares impunè (quantum Dei beneficium.)

Surius at lijque ad 24. Iulij.

præci-

præcipitatus est. Expende, an non idem tibi evenire potuisset? Quis obsecro, qualisque esses? quod non evenerit, quod supersis ad pœnitentiam, quod felicior quovis ab inferis revocato sis, cui debes? quo in discrimine versaris, si te negligas? Vide, cave, sape.

CAPUT IX.

Quales in bene ordinata rep. Iurisperiti esse debeant, qui quibusque officijs consultò à Principe adhibendi.

QUod plerisque ad indagandam veritatem in eruditis disceptationibus videtur certissimum, ipsique sibi licere volunt Jurisperiti; ut adversarum partium argumenta, non minus, quàm propriæ assertionis susceptæ excutiantur: id nobis quoque de Jurisperitorum in rep. necessitate officijsque pro felici illius regimine constituendo inquirentibus non erit negligendum: ne, dum justitiæ æquitatisque in rebusp. stabiliendæ rationem optimam vestigamus, quod in hac tractatione potissimum est, præterijsse videamur. Siquidem prisca Jurisprudentum lex est:

Quod quisque statuit, parte inauditâ alterâ:
Æquum licet statuerit, haud æquum fuit. Sen.

De

De Jurisperitis igitur, quid non paucis illorum vitio detur, id primum videbimus: tum quæ vertantur laudi honorique; ut ab illis ad hæc, digno Juris-Consultorum nomine ac titulo, traducamus. Nam quod ipsa statim nuncupatione observandi nobis occurant, Jurisprudentiæ, quam profitentur, Justitiæque, quam sectari se perhibent, venerandum nomen testatur. Cujus cùm in omni rep. summa esse, ad pacem felicitatemque tuendam, cura debeat, facilè patet, quanta in æstimatione eius professores custodesque esse deceat. Hanc Romanæ eloquentiæ princeps, disertissimusque Justitiæ in Rostris propugnator, Cicero, *omnium virtutum Dominam Reginamque*, non est veritus appellare. Quocirca, inquit, *nihil est in civitate tam diligenter, quam ius civile conservandum. Etenim hoc sublato, nihil est, quare exploratum cuique possit esse, quid suũ aut quid alienum sit, nihil quod æquabile inter omnes, atque unum omnibus esse possit.* Nullus incumbere major urbi hostis, nulla gravior vastitas poterit, quam si inibi dominetur injustitia, hic enim intestinus domesticusque inimicus brevi subvertet universa, cunctaque seditionibus ac cædibus miscebit. Agesilaus fortissimus Laconum Dux quondam rogatus: *utra virtus præstantior esset, fortitudo an iustitia?* respondit: *fortitudinis nullum esse usum, nisi adsit justitia: Et si omnes justi essent, nibil fore opus fortitudine.* At quâ viâ Justitiam assequemur? Disce ab homine gentili. *Quisquis*, ait Seneca,

I. Iustitiam jurisperiti præcipuã virtutum politicarũ sectari tenentur.

lib.3.offic.

Pro Cæcin.

Strob. serm. 7.

De 4. virtutibus.

II. Iustitiæ sectatores Deũ ante omnia timere & venerari debent.

Ezech. 18.

neca, *Iustitiam sectari desideras, prius Deum time & ama ut ameris à Deo. Amabis enim Deum, si in hoc illum imitaberis ut velis omnibus prodesse, nulli nocere.* Et *tunc te virum justum appellabunt omnes, sequentur, vanerabuntur, diligent.* Vis ex divinâ hæc diphtherâ confirmem? *Qui ab iniquitate averterit manum suam, & judicium verum fecerit inter virum & virum, & in præceptis meis ambulaverit, & judicia mea custodierit, ut faciat veritatem, hic justus est, vita vivet, ait Dominus*: Vis brevius? Tribue cuiq; suũ: homini quæ sunt hominis, quæ Dei Deo. Nam catenata erga Deum hominemque justitia est, quisquis alteram negligit, alteram non præstabit. Unde & Israelitæ olim, & Ægyptij, judicia sua in obortis controversijs ad Pontificum suorum, ac Sacerdotum tribunalia detulêre; quòd alios, quam Dei ministerijs sacrisq; autoratos, erga homines æquiores futuros non crederent. Nunc judicia hæc ferè ad profanos translata homines, utinam non sæpius iniquitate profanentur!

Deut. 17.

III. Multitudo legum parum ad justitiæ observationẽ facit, sed lites potius fovet, ac producit.

Graves multorum querelæ sunt, multitudine legum invectarum, earumque diversis, & pugnantibus non rarò interpretationibus litium judiciorumque iniquitatem plurimùm crevisse. Cum Romana olim vigeret resp. duodecim legum tabulis regebatur, demum auctis in immensum legibus crevere diffidia; ut C. Cæsar rerum jam potitus ad meliorem Justitiæ administrationem, eas in compendium ordinemq; redigendas esse constituerit; sed

sed utile consilium mors intercepit. Justinianus demum Imperator, peritissimorum Juris doctorum operâ, collectum à Theodosio Augusto Codicem juris, anno salutis DXXIX vulgavit, & Institutiones ac Digesta seu Pandectas legum addidit, quæ postquam brevitate, sua obscuritatem multis locis adferrent, à Bartolo ac Baldo Juris interpretibus, contrariis non rarò sententijs expositæ, immensum scribendi litigandique campum aperuêre posteris, tanta utrimque pugnantium assectarum copiâ, ut vasta à nonnullis volumina impleantur judiciis contradictoriis, & repertus sit, qui ingenti tomo sententias communes contra communes dederit. Quod quid est aliud, quam non solum justitiæ, sed & iniquitatis patronos, & eversores juris publica jam luce exponi celebrarique cum lex eadẽ opposita continere non queat, & damnare quod astruit, adstruereque quod condemnat. Unde effectum deuique est, ut vix quicquam, quo quidem speciem aliquam æquitatis præ se fert, hoc tempore ad tribunalia Judicum non traducatur, omnique arte ventiletur, quâ in provocatione tam incertus causarum exitus est, ut si quis parum exercitatum, aut certè desidem quemque minus scitè ac lautè inungat, Advocatum nanciscatur, is plerumque seu iniquum, seu æquum tueatur, succumbat, parte adversa, etiam in male occupatis, triũphante. Audi quales sui temporis Advocatos Cassiodorus describat: *Hi*

IV. Advocatorũ, in litibus producendis, abusus, & corruptela.

In psal. 73. *Hi sunt*, inquit, *qui causas protendunt adhibiti, impediunt prætermissi, fastidiunt admoniti, obliviscuntur locupletati. Hi sunt, qui emunt lites, vendunt intercessiones deputant arbitros, iudicanda dictant, dictata convellunt, attrahunt litigaturos, protrahunt audiendos, retrahunt transigentes.* Demostheni olim Græciæ Advocatorum disertissimo hoc vitio datum est: quod auro tam ad silendum, quam loquendum induci, pro, & adversus reos, posset. Hinc cum Attalus thesaurorũ Alexandri depeculator ab illo accusatus in judicio periclitaretur, aureo calice & XX talentis donatus, conticuit, collumq; obligatus fasce prodijt, tanquam anginâ fauces obstrictus, quò minus loqui posset at populꝰ fraude animadversa, non anginâ sed argentinginâ laborare Demosthenẽ haud inscitè pronuntiavit. Alias melius ad loquendum inunctus, cum populus dormituriens rei causam exciperet: fabulam repentè auspicatus: Rem novam se habere asservit: Adolescens inquit, ab Agasone Megaram conduxit asinum, sub meridiem flagrante sole uterque quietem sub asini captabat umbra, mutuoq; se repellebant: se enim adolescens conduxisse asinum, ideoq; & deberi umbram: alter, solum se elocasse asinum cõtendebat, nullum oblatum pro umbra pretium, contentionemque hanc ad judicem delatam. Quibus dictis cum abitu pararet Demosthenes, instabat populus, scire avidus, cui lis adjudicata esset? Ergo, excepit Demostenes, *de asini umbra audire libet, de vita ac salutẽ homi-*

Plut. in Demosth.

hominis in discrimen vocata, non libet? pervicitque hac arte, ut audita rei causa felici exitu terminaretur. Ita Demostenes silentium juxta ac eloquentiam venalem habuit. Ipsi porrò ab Harpalo corrupto lis indicta, æstimataque talentis quinquaginta est, quæ cum noluisset pendere, exilium præelegit, tantò faciliùs est alijs jus dicere, quā exequi. Ceterū quod de eodem Demosthene Valerius narrat, ingenio & arte non caret patrocinium. Duo hospites eidem Ancillæ eâ lege pecuniam tradiderant: ne alteri illorum sine altero numeraretur. Verùm evenit, ut alter horum squalore lucitaque deformis, ceu lugens socium jam defunctum, ad Ancillam veniens, fraude pecuniam extorserit, post quem cum adesset alter, sublata jam pecunia, litem indixit miseræ, quod conditione neglecta restituisset pecuniam alteri. Demosthenem igitur patronum sollicitat, qui paucis Ancillam tuitus. *Parata* inquit, *illa est, pecuniam reddere: modo ex pacto socium adducas alterum.* Quo responso litem expedivit, ficta tamen magis, quam vera sententia. Qua nonnulli Advocati subtilitate, quamvis cum fraude conjuncta, sibi plaudunt.

lib. 7. c. 3.

V. Principis Advocatū infidum corrig tis integritas.

Quâ in re laudo integerrimi factum Principis, qui cum inter Justitiæ suæ administros quendam ad quælibet propugnanda idoneum se habere intellexisset, accersitum sciscitatus est: num ex debito quodam ingenti, quo teneretur, expedire se, citra expensas,

posset,

posset, habiturum dignam facti gratiam. Exponit debitum, Advocatus se liberaturum Principem profitetur; & die Creditori dicto, jubet nomina crediti exponere, controvertit, evertitque denique postulata: ut jam impar resistendo Creditor foro cederet. Princeps re cognita, utrumque accersit, Creditori jam desperanti solvit pecuniam, Advocatum aula totoque principatu proscribit: nec aliam se mercedē habere digniorē quam rependat, asserit, quod ministros quærat, qui tueantur, non evertant æquitatem. Sed non omnes ejusmodi dimachos, pro, & contra æquitatem decertare promptos, Petrus Blesensis proscriptos sensit: *Officium*, ait, *Officialium hodie est, iura confundere, lites suscitare, transactiones rescindere, dilationes innectere, supprimere veritatem, fovere mendacium, quæstum sequi, æquitatem vendere, inhiare actionibus, versutias concinnare.* Audivi Jurisperitum dicentem, nisi æquitatis majorem habere rationem, quam interpretandi juris, vix reor testamentum morientis adeo circumspectum solidumque reperiri posse, in quo controvertendo occasionem litis repertúrus non essem. Et quæ res magis in judicijs exagitatu, quam illorum, qui loqui nobis amplius non possunt, ultimæ voluntatis cum tamen his nihil deberet nobis in vita sanctius inviolatiusque haberi?

VI. Iniquæ quorundam leges rebusp. exitiosæ.

Ipsæ leges, quam aliquando iniquæ! Cajus caligula legem tulit, ut quotquot Cæsarem

rem non scripsissent heredem, eorum testamenta essent irrita: Denique jactavit omnem sese aboliturum cum legibus Jurisconsultorum contentionem atque ad unum Principis arbitrium reducturum omnia; ut aliud responderi pro tribunali non possit, præter, *Ecce cum*, hoc est: Ecce Princ pem, in quo *lex & æquum*. Nimirum, si similes illi plures tulisset orbis Principes, brevi cum legibus æquitas omnis eversa fuisset. In Italia anno salutis MCCLIII, cum Urbanus IV Pont. Carolum Divi Ludovici Gall. Regis fratrem contra Manfredum Siciliæ Tyrannum accerseret, omnia istic factionibus Guelforum, quibus Galli, & Gibellinorum, quibus Germani favebant, scissa erãt. Quorũ hi nobilitate excellebant, sed iniqua lege dominabantur plebi; ex qua siquem interfecissent, paucis assibus redimebãt pœnam. His tamẽ ipsis Facinus Canis, Gibellinæ factionis operâ Ticinum receptus, egregiè illusit. Nam postquam Guelforum bona dirupuisset, denique & Gibellinorum invasit, quibus querentibus respondit, *non se illos, sed Guelforum apud eos bona insectari.*

Conrang. l. 1. c. 15.

Iovius in Othone.

Poggius in Facet.

Polonorum nobilitatem haud dissimili lege niti ferunt: sed nec alias istic deesse satis insolẽtes. Illud sub Uladislao factum Dubravius memorat. Civẽ istic Uratislaviensem ne-negotiorũ gratiâ ad quoddam divertisse oppidũ. Cui hospes ad quem diverterat, quingẽtos aureos sustulit. Re ad judicẽ delata, crimẽ fassꝰ

lib. 23. hist.

reddere ablata jubetur, civique imperatur, ut ex lege patria hominem suspendio enecet. Tum civis deprecari infamiã cœpit, ac lictoris officium detestari. Ergo inquiunt, fas esto furi te suspendere; sic enim lex jubet. Nec fur detrectabat. Hospes itaque pecuniæ renuntiare sese malle asserens, Cracoviam ad Uladislaum Regem profugit, causæq; & legis iniquitatẽ questus est. Quam Rex agnovit, sed frustraneo mandato abrogare contendit. Unde civis & pecuniâ & famâ spoliatus, honore etiam inter suos Uratislaviẽses destitutus, abijt.

Tantum improbæ leges, semel in usum plebis receptæ, possunt. Quid, quod his subinde publici boni titulus honorque Dei prætenditur. Lex Turcarum Mahumetana est: tot quisque uxores ducito, quot libet, ac honestè potest alere. Bonum illi prætẽditur publicum. Visne alterã legem, magis etiam iniquam? *O viri boni*, ait Mahomet, *mercaturam, vos à maximo malo defensuram, patefaciam. Videlicet in Deũ atque Prophetam credite, & prædatum atq; expugnatum in Dei nomine, cum vestris animabus atque pecunijs, tendite. Deus ob hoc vestra peccata dimittet, & in paradiso habitationes amœnas domosq; pulchras tribuet.* De Tartaris Guagninus ait: Nullã apud Tartaros servari justitiam; sed quemque, cum re aliqua indiget rapere nec damnari à judice, modo se eguisse probare queat. Tum verò judicem hac sentẽtia accusatorem solari: *Vade & cũ egueris, tu quoq; alijs eripe.* Pœnorum perfidia in proverbium abijt, &, Græca

Azoara 37. & 71.

In descrip. Tartariæ.

ca fide mercari, furari est. *Parthis*, inquit Alexander, *nulla fides, nisi quantum expedit, cum utilitas sit semper fide sanctior*. Cavendum itaq; jurisperitis, ne perversa legum interpretatiõe, aut etiam iniquarum approbatione barbaris hisce nationibus æquentur, quæ utilitatem justitiæ præferunt. Difficilis res est, jurisconsultorum inter maxima offendendi pericula, æquitas. Habendi ardor cupiditasque, oblata etiam cum precibus munera, quot qualesque à recto devios avertunt! Trebonianus sub Justiniano Imp. præcipuus juriscõsultus, legũque, & collector, & conditor, corruptela munerũ quam legibus proscribebat, infamis fuit. Nam cum ut imperij præfectus administraret universa, leges & ferebat, & abrogabat indies, auri pretio sollicitatus. Ita & collegæ ipsius, quin & Justinianus ipse nil in vita penè legibus, quas ferebant, conforme ostẽdebãt, adeò diversa est res æquum cognoscere, & præstare. Nec corrumpi solùm, sed & corrumpere alios, ut legũ æquitas solvatur, in vitio est. Nota est Caroli IV Imp. Romani in bulla aurea legibusq; bonæ electionis condendis sapientia & æquitas, quam si imperij Electores sequantur, optimi cuiusque è Germanis eligendi Imperatoris spes nobis relicta est, verum is, qui legem tulit, violavit primus: utque filium suum Wenceslaum, quamvis ineptum, Electorum suffragio Imperatorem constitueret, maximis effecit privilegiis, donisque in eos collatis, quibus Imperatorem

Alex. ab Al. l. 5. c. 10.

VII Coruptela munerũ judicia & æquitatem maxime subvertit.

Cuspin. in Iustin.

spoliavit, ut Imperatorem faceret; sed infelici planè eventu, quo collatum homini ignavo imperium post mortem Caroli, publica degradatione & ignominia, in suggestu hodiedum ad Rhenum juxta Confluentiam superstite, ablatum est. Et hunc plerique suorum consiliorum sortiuntur exitum, qui æquitatem, seu acceptis, seu oblatis muneribus corrumpunt.

VIII. In principibus illa turpissima à magnis semper viris devitata.

Nihil turpius, quam in ipsos viros Principes hanc corruptelæ accusationem cadere, quam non solum à se arcere procul; verùm in aliis quoq; tenentur corrigere. Regum apud Ægyptios tanta olim æquitatis cura fuit, cum ob hanc præcipuè tuendám reip. se præfectos scirent, ut Judices dicundo juri præponendos ad juramentum vocarent, quo statuebatur: adeò eis justitiæ commissam rationem fore; ut siquid Rex ipse minus æquum imperaturus sit, illi obsequentes futuri non sint. Magni animi Princeps erat, qui subdito gladium exhibens, dicebat: *accipe hunc ensem, quo si æqua exigam, pro me; si iniqua contra, me utere.* Bono Jurisconsulto, Consiliarioque Principis convenit, non solum non flecti muneribus, sed nec amicitia hominum, nec sanguine junctorum favore, nec gratia, aut voluntate Principum. Talis fuit Paulus Æmilius Papinianus prætorij Præfectus & juris æquitatisque rectè consultus, à quo cum Imperator Antonius, post commissum in fratrem, Getam parricidium exigeret, ut tanquam bonus facti inter-

Avent. l. 2. An. Boior.

pres,

pres, hoc ipsum jure patratum oratione publica tueretur, constantissimè recusavit, asserens, *non perinde facile parricidium excusari, quam patrari.* Talis est Thomas Morus, qui licet Angliæ Cancellariatus honore à Rege Henrico VIII ornatus, maximisque primùm provocatus muneribus, deinde & carcere ac morte propositâ, totiusque familiæ excidio territus, induci tamen non potuit, ut divortium Regis cum Catharina eius conjuge, legibus humanis divinisque, vel neglectis, vel secius expositis, (ut à plurimis Anglis factum) probaret. Cuius viri tanta fuit in cognoscendo perspicacia, & in judicādo æquitas; ut dudum Londini Judex, summum integritatis nomen assecutus sit. In re ancipiti solitus componendi suppeditare consilia, suo licet & Advocatorum detrimento; minus ancipites causas repentè expediebat, tantū à muneribus captandis remotus, ut & pecuniam, ex præscripto debitam, egentioribus remitteret, nec quicqaam supra sex drachmas, Judici pendi solitas, acceptaret. Volsæi verò Cardinalis & Cancellarii regni, ut summa post Regem potestas fuit, ita æterna ex assensu in Regis divortium ignominia hæsit, quam amissa etiam pòst Regis gratiâ, & vita propria, nec in morte quidem diluere potuit. Nimirum ut solet: **Consilium malum consultori pessimum est.**

Erasmus in vita.

Quocirca cum tot ad evertendam in judicijs & repub. æquitatem à Jurisconsultis iuxta ac Principibus occasiones sese inferant,

quo & jurisprudentiæ nomen, & tribunalia passim infamantur, videndum nobis est, qua potissimum via hi æquitatis scopuli queant evitari, suaque veritati ac justitiæ defendendæ constare patrocinia, ut sua in jure tuendo reip. constet felicitas.

IX. Principi ad regendam feliciter rep. ante omnia justitiæ habenda estratio.

Principio ipse reip. Princeps cum ob administrandam justè remp. à Deo hominibusque præfectus sit, sui adeò officij memor esse tenetur, ut noverit hoc solo indignum se atque inutile reip. caput esse, si in administratione justitiam negligat, cuius gratia præfectus est. Quorsum enim navarchus in navi, nisi clavum, ut par est teneat, eamque recto cursu moderetur? Hinc D. Gregorius ad Theodoricum & Theodebertum Francorum Reges. *Summum in Regibus bonum est justitiam colere, ac sua cuique iura servare: & subiectis non sinere quod potestatis est fieri, sed quod æquum est, custodire.* Nec opus erit hos juramento cum Ægyptiis adstringere, ut etiam prævaricanti sibi adversentur: cum Christiana omnibus lege præceptum, *obediendum magis esse Deo, quam hominibus*, & legi potius, quam Regi. Tali igitur debet esse animo Princeps, ut erroris correctionem non minus in seipso, quam subditis sustinere paratus sit. Quæ olim Deus Principibus per Moysen sanxit, etiamnum tenent: *quod justum est judicate sive civis ille sit, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis, ut magnum; nec accipietis cuiusquam personam; quia*

Epist. 130. lib. 7.

Deut. 1. 16.

Dei iudicium est. Quæ lex & Principem, & quotquot ab eo constituti sunt judices, obligatos habet. Justitiam si suo Princeps exemplo negligat, se suamque remp. evertit, quis enim ignorat Justitiam potissimum esse regnorum & publicæ quietis stabilimentum? *Iustitia Regis*, ait Cyprianus, *pax est populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, solatium pauperum, hereditas filiorum.* Contra : *ubi non est pudor,*

In 12 Abusionibus.

Nec cura iuris, sanctitas, pietas, fides,
Instabile regnum est. Sen. in Thyest.

Id saltem ipsimet veritati credendum erit : *Dissipabitur terra, & direptione prædabitur; quia transgressi sunt leges, mutaverunt ius, dissipaverunt fedus sempiternum.* Mille exemplis hæc stabiliri queant. Spectentur tantum celeberrima orbis imperia, Assyriorum Persarumque, Græcorum, Romanorum, & videbitur regnandi potestate in tyrannidem ubique, legumque contemptum versa, intercidisse.

Isa. 24.

Violenta nemo imperia continuit diu. Sen. in Troade.

Unde, licet ipse Princeps impius contemptorq; legum ac justitiæ sit; tamen, si regnum suum amet, laborandum ei pro viribus erit, ut hanc curet in subditis: adeò necessaria in rep. res est Justitia.

X. Iuris non solum peritos, sed amantes viros, justis studiis Princeps sibi & æquitati obstringat.

Alterum igitur officium navi prudentisque est Principis, ut ex Dei consilio Moysi dato, de viris æquitatis non minus jurisque peritis, quam amantibus, sibi suisque tribu-

tribunalibus prospiceat. *Provide*, ait, *de omni plebe, viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore.* Hic magno inprimis delectu opus; nec parcendum opibus impensisque, ut habeas qui digni sint, cum decēplici instauretur, ex rebus bene administratis, lucro, quod simplici impendio comparatur. Justa non numerare viris magnis, & servituris pro æquitate curanda ministris stipendia, est manifestam aperire corruptelis viam. Cum enim se suisque alendis necessaria Princeps denegat; obstare non potest, quin aliunde, quod deest, ultro sibi delatum admittant. Hoc igitur iniquitati ostium à Principe obstruendum est. Tribuant ministris justitiæ, quod æquum est, ut possit vindicare, quod in munerum corruptelis iniquum est. De Emanuele Lusitaniæ Rege literis mandatum est: Judices illum per regnum constituisse; & ne (quod factum compererat) inopiâ ab æquitate cogerentur discedere, majoribus omnes auxisse stipendiis, severâ deinde in prævaricatores animadversione usus. Florentini in Italia, ut Philippo Decio Jurisconsulto, tam in scholis, quam judiciis uti possent, annuo illum MD aureorum stipendio sibi devinxerunt. Mediolani Professoribus CC aut CCC fuêre constituti aurei; at Jason Maynus non nisi millenis à Ludovico Sphortia potuit teneri, qui denique à Rege Francorum

Osorius. in Emanuele.

Alciat. Parerg. juris l. 5. c. 26.

rum Ludovico duodena obtinuit millia: nec tamen parcus, in defensione reorum, liberale poscebat stipendium; sed eâ lege, ut amissâ, quam suscipiebat, causa, obtineret nihil. Unde cautus, quæ tueri jure non poterat, recusabat. Quo exemplo, & opes sibi, & famam integritatis, licet avaritiæ conspersam maculis, comparavit. Rarum inter Jurisperitos exemplum est Ivonis presbyteri minoris Britanniæ, qui spretis opibus, cum esset Theologicis juxta Juridicisq; scientiis clarissimus, totum se gratuitâ operâ, ad viduarum, pupillorum, & pauperum causas impendit, maluitque à Deo, quam hominibus suorum exspectare laborum mercedem, ut unicus ille sit, quem Jurisperitorum facultas in suis Beatum numeret. Adeò magnum discrimen est inter perfectam juris notitiam, & sanctam eiusdem administrationem. Magna igitur solertia providendum est Principi; ut consiliarios legumq; administros, non tantùm scientia facundiaque potentes; sed & *timentes Deum, in quibus sit veritas* ad rectè judicandum, & *qui oderint avaritiam*, judiciorum omnium corruptricem, sibi suisque subditis deligati, nisi enim Deum timeant, & fœdam hanc cupiditatem aversentur, nihil ab ijs constans in tuenda æquitate poterit exspectari. Quare sedulò providendum, quos qualesque viros ad consilia & judicia, tam publica, quam privata adhibeat: nec facilè admittendi sunt, nisi quorum scientia virtusque ac pietas jam usu probata, multo-

XI. Duo potissimum in jurisconsultis suis Princeps spectet, ut sint timētes Dei, & fugientes avaritiæ.

rumque testimonijs explorata sit: præstabitq; ubi ceteri omnibus dotibus absoluti defuerint, minus doctum, quam parum pium admittere; cum plerumque minora sint delicta ignorantium, quam perversorum. Sed nec ipsismet, qui nimia se habendi cupiditate obstrictos sentiunt, consultum fuerit, in eiusmodi sese officia immittere, *qui* enim *amat periculum peribit in illo*. Unde Ecclesiasticus tales commonefacit: *Noli*, ait, *quærere fieri Iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimescas faciē potentis, & ponas scandalum in æquitate tua*. Multi inter privatas functiones invenêre salutem, qui in publicis malè usurpatis perierunt. Alios propria cupiditas ad auri splendorem à veritate abduxit: alios potentum gratia, aut perversus affectus; cum hisce plus deferre, quàm æquitati sunt visi. Lex cuiq; pro regula esse debet, non Principum gratia, aut volūtas. Qui ab his scopulis nō potest deflectere, ad clavum in rep. judiciis tenendum idoneus non est.

Eccl. 7. v. 6.

XII Iurisprudentiæ studiū, at restrictè ad dociles paucosq; foveat: ne evertat magis quā profit seip.

Tertiò hoc agendum Principi est, ut Jurisprudentiæ studium, sed sub accurata disciplinæ ratione, sua in repub. foveat: minus idoneos dissolutosque arcendo, idoneos probatosque sensim per gradus, ut est doctio, advocatio, consultatio, ac demum judicatio, promovendo. Nec tolerandum facilè, ut otiosis Jurisconsultis, qui quarumlibet fautores litium, & illas accendunt, & in patrocinium se obtrudunt, respublica impleatur;

pleatur; ne quod in Pannonia olim factum eveniat. Illic etenim, ut Ludovicus vives memorat, vivebant olim suis Hungari legibus, juxta quas patrii juris gnari, res ex æquo, citraque dilationem, decidebant, causa, ut erat, utrimque statim exposità. Beatrix verò Ferdinandi Neapolitani Regis filia Matthiæ Corvino Hungariæ Regi nupta, aliquot secum Jurisperitos intulit. Qui, inspectis patriæ moribus, solidiorem pro æquitate administranda viam polliciti, doctrinæ opinione spem magnam judiciorum rectè constituendorum fecêre. Jus commune igitur in scholis traditum, formulæ caussarum agendarum præscriptæ: quibus esset petendum, quibus excipiendum, & respondendum. Procuratores, Causidici, Advocatique ac Judices constituti. Dies legitimi, temporaque dilationi & responsioni assignata, sua etiam cuique nuncupata stipendia. Quid post tantum rerum apparatum exspectas? Ingens brevi litigantium turba: fores administratorum juris nec ferè vacuis rusticorum manibus (ut quisque prensabat favorem) ubique videbantur stipatæ: curia & litigantibus, & litium arbitris nunquam non referta, nec apparebat cuiquam exitus: Menses & anni trahebantur proponendis, exponendis, disceptandisque controversijs. Ratio una post alteram in longam disquisitionem, per tot anfractus causarum sententiarumque in Juris interpretibus circũducta, finem reperire nõ poterat.

De causis corrup. art. lib. 7.

Cum-

Cumque jam finem sortita crederetur, repetitionibus, exceptionibus, comperendinationibus, in labyrinthum non explicabilem dandi exspectandiq; afflictissimos litigantes conjiciebat; ut Mathias Rex indignitate rei explorata, Jurisconsultos omnes regno, maximamque cum illis Judiciorum confusionem proscripserit. Quo in facto, licet proscriptionem laudare nolim, quod Jurisconsultorum bene in rep. collocari posse operam existimem; tamen sapienter de minuendis ab eo litibus, causisque brevi periodo finiendis cogitatum est. Rectè Plato negat, *concordes unquam, aut amantes invicem cives fore, ubi multæ sunt lites judiciales.* Tum demum everti Romana cœpit resp. cum indies litigantium vocibus rostra perstreperent, probiq; ab improbis maximè infestarentur. M. Cato Major, quantumvis castigatæ vitæ senator, quadragies sexties in jus vocatus, semper, non alio, quàm se Defensore, victor extitit. Laudatissimum Ausonij parentis encomium fuit, quem hoc disticho loquentem inducit:

lib. 5. de legibus.

Edyll. 1.

Litibus abstinui, non auxi, non minui rem:
Judice me nullus; sed neque teste perit.

XIII. Lites bonis modis restringat.

Sed cum tales inveniri rarum sit; neq; illis jurisperiti, aut Judices pascantur; adlaborandum saltem Principi erit, ut breviorem lites, quam hodiedum passim solent, exitum sortiantur. Carolus IX Gall. Rex ut huic litigandi prurigini remedium inveniret, ab omnibus litem auspicaturis duos exigebat au-

reos

reos in fiscum regium eâ lege inferendos; ut si justitiâ causæ fretus eam vicisset, depositum reciperet, aliter unà cum lite amittendum. Lex ea circumspectiores reddidit, & cautiùs ad litigia provocantes. Maluissem tamen pauperum Xenodochiis hoc tributum fuisse assignatum, idque pro causarum & personarum qualitatibus majus minusve. Deinde præfigendus Accusatoribus Rationum & Testium pro se adducendorum terminus, cum Advocatis solenne sit, ita per ambages rem aggredi, & nonnunquam Accusatoribus malè sibi fidentibus, ut mora adversarios ducant fallantque, idque magnis expensis, & æquitatis offensione. Statuendum igitur, ut in causis minus gravibus, altera statim probatione, in gravioribus tertia producãtur omnia. Nec alijs deinde producendis ad firmandam causam (nisi ad elisionem fortasse in oppositum adducti argumenti) locus relinquatur. Ita minimum ad quintam Accusatoris instantiam causæ poterit definitio à Judice exspectari, in levioribus etiam causis ad tertiam.

XIV. Advocatorũ & litigantiũ temeritatem ratione certa coerceat.

Advocatorum deinde habendus quoque delectus, nec nisi post examen reip. tam de scientia, quàm moribus, admittendi essent. Ne verò passim quaslibet causas, etiam parum æquas probabilesque, susciperent; post compertam illorum, vel fallaciam, vel imperitiam, aut etiam suscipiendi temeritatem, quæ in causarum exitu cognoscetur, omni stipendio fraudandi essent, idque in bonum Accusato-

ris,

ris, aut Rei; vel certe pauperum, si & hi temerè egisse deprehendantur. Ita Jurisperiti, & instructiores deinde, & cautiores ad lites ducendas accederent. Cogendi præterea, & jure quidem essent; ut si quod damnum pars litigans illorum temeritate persuasuq; incurrit, hoc universum refundant. Cum ex vera justitiæ & conscientiæ lege ad hoc teneantur.

Neq; enim aliam nisi manifesta juris probabilitate fretam in judicio sustinere causam possunt. Id ni fecerint, damnis obnoxii sunt: nisi comperta litis fragilitate, nondum definitâ controversiâ, obnuntient. Quin nonnunquam, cum Jacobo Aragonum Rege, (qui Semenum Radam, ingeniosum magis, quàm probum Jurisconsultum, argutiæ, temeritatisque compertum, regno proscripsit) in prævaricatores exemplum justæ animadversionis edendum est.

Pruritus quoque temerè suis in causis litigantium advocantiumque compescendus est. Cum nonnulli hoc nomine infames, dubias etiam suspectasque causas parvo ære ad se traducant, ut quod desperatum erat, solertiâ argutiaque litigandi sibi vendicent. Quorum certè temeritas si impunitatem habeat, non admodum probatæ in repub. justitiæ est argumentum.

Platin in vita. Pius II Pontifex ita jocari de hoc genere hominum auditus est: Litigantes aves esse dicebat pabuli avidas; forum aream, quam

quam peterent; judicium rete, quod subirent; Jurisconsultos aucupes, qui captarent. De hoc verò aucupio, ne temere instituatur, Magistratibus providendum est,

XV De Iudicibus, prudentibus. æquis & pijs prospiceat, qui citò lites expediant.

De judicibus quoque idoneis constituendis haud obiter curandum erit. Prudentia hi, æquitate, ac pietate erga Deum hominesq; jam longo rerum usu experientiaq; debent esse conspicui. Non quales illi Susannæ senes, inveteratæ malitiæ perversitatisq; viri, nec quales Heli, aut Samuelis filii, temerarij audacesq; juvenes. Senio tamen, quàm iuventæ propriores sint, ut ingenio vegeti exercitatique, rationes & pondera causarum complecti animo ac trutinare pro merito queāt. Tales Mahometani magnâ legere curâ solent, qui publico stipendio locupletes, citra partium dona precesque, causas quascunq; expeditè decidunt. Hic enim, quisquis alium lite petit, ipse Adversariū coram testibus ad Dei justitiā (sic loquuntur) vocat. Qui nec verbo refragari ausus, statim unà ad judicem sequitur quē in certa porticu semper ante ædes paratū ad causas excipiendas habent. Tum sine causidico Actor controversiam exponit, testesq; si opus adhibet: Reus è diverso respōdet, suosq; adstipulatores producit. Ubi ab utrisq; peroratum, Judex expensa rei æquitate, quod justū censet, latâ sententiâ statuit. A qua deflectere, aut excipere nulli fas est. Ita eodem die gravissima lis nasci, cognosci decidique, & majori plerumque synceritate, quàm

1. Reg. 8.

Lips. in exemp. polític. c. 10.

quam decennalis inter Christianos potest. Quæ exempla si à nobis remota sunt, utamur quorundam cis ultraque Rhenum Rusticorum consuetudine, ubi certis locis annuus, vel in sylva, vel in villa conventus instituitur, perque delectos quosdam arbitros aut Judices audiuntur, in reliquorum consessu, diversorum lites, sententiæque omnium per ordinem dicuntur, ac tum denique re secum expensa judices, causas, juxta receptas inter se leges, definiunt. Quorum definitioni accedentibus reliquorum suffragiis, acquiescendum est. Ita sine altioris tribunalis aditu, variæ brevi tempore lites definiuntur. Si Turcas imitari pigeat, cur simplicem hanc rusticorum æquitatis statuendæ rationem pigebit? Minui saltem, si non tolli Jurisconsultorum Judicumque principalium labor poterit, causisque gravioribus diligentius studium impendi. Porrò & Judicibus suus esse Judex, vel ipse Princeps, vel aliquis Procerum æquissimus perspicacissimusque debebit: ne quis ex his æquitatis ministris impunè possit ad iniquitatem deflectere. Tennes olim Tenedorum Rex spiculatorem à tergo exertâ in caput Judicis securi constituit: ut intelligeret mortem sibi à Justitia discedenti jam esse paratam, unde *Tenedia securis* in proverbium abiit. Cambyses Persarum Rex Sisanni judici iniquitatis comperto, pellem detrahi jussit, eaque tribunal judicantis vestiri, ut successor filius, exemplo pœnæ ante oculos relicto, æquiora

XVI Et judices suo sunt à judice observandi, ac sese verè delinquentes puniendi. *Amm. Marcel. l. 23.*

æquiora sentiret. Areopagitarum inter Græcos celebrata Judicum æquitas fuit: quæ raro inter gentiles spectaculo, inviolata consisteret, & nos de illa Christiani tam sollicitè inquiramus? Hoc illos sapientis affatum judicis ponderare fas erit: *Data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra & cogitationes scrutabitur; quoniã cũ ministri essetis regni illius, nõ recte judicastis.* Et hic valebit, *quod uni ex meis minimis fecistis, mihi fecistis.* Non tantum sui Principis, sed & Dei vices Judex sustinet, in utrumque, cum delinquit, peccat, utrumque habiturus vindicem, & si illũ quidem fallat, hunc nunquam poterit.

Sap. 6.

XVII
Iudex & munera vitare tenetur, & semper pro veritate probabiliori definire.

A muneribus purissimas hunc gerere manus necesse est; cum publici officij administer non nisi à rep. exspectare stipendium possit. Nec par illi, quæ causidicis, probabile tantum jus sequendi, atque ex illo definiendi potestas est; sed probabiliori ubique veritati est insistendum: cum aliàs falsa ipsius sententia futura sit; quâ causam alteri, præ altero, statuit deberi. Quod si verò is sese casus offerat, ut quæ pars majori æquitate nitatur, definire non possit: aut litigantes ad compositionem inducendi sunt, aut si id nequeat, sententia suspendenda: nisi forte boni communis intersit, pro altero causam definiri, tale enim bonum privato erit anteponendum. Hæc igitur Judici lex esto sanæ definitionis, quam si neglexerit, damnorum hinc emergentium obnoxius restitutor manebit.

XVIII Idonei Cõsiliarij Principis aulæ curiæq; adhibendi sunt.

Consiliariis denique bonis aula ac curia Principis, tam in Ecclesiasticis, quàm in civilibus, & militaribus rebus administrandis, erit instruenda, quos in humanis divinisque, prout cuiusque forum requiret, convenit esse promptissimos, & sensim per minora officia probatos: ut & audire Princeps cum sua instructione possit, & cum laude justitiæ sectari. Sine his enim res magnas Principem aggredi, nec decet, nec expedit: Sapientissimi Regis oraculum est: *qui sapiens est, audit consilia*. Plerumque nemo magis consiliis indiget, quàm qui indigere se non existimat. In bono autem Consiliario duos potissimum requiro oculos, scientiæ & prudentiæ, quibus agenda rectè prospiciat, dirigatque, nasum sagacitatis, quâ aliorum consilia fraudesque exploret; os veracitatis, quâ syncerè, & frontem libertatis, quâ, citra cuiusquam, etiam Principis, respectum, imperterritè sententiam pronuntiet; pectus deniq; fidelitatis, quâ Deo Principiq; fidẽ datã nũquã fallat. Sed in qua ætate hunc Princeps reperiet: Ecclesiasticus respõdet? *quã speciosa veteranis sapientia, & gloriosus intellectus & cõsiliũ? corona senum multa peritia, & gloria illorum timor Dei. Beatus qui invenit amicum verum, & qui enarrat justitiam auri audienti, sed non est super timentem Dominum.* Magna certè Principum & rerump. felicitas, bonos reperisse & timentes Deum Consiliarios.

Eccl. 25.

Quid Absalonem perdidit, nisi pessim Architofelis consilium? contra, quid servavi

2. Reg. 16. 27.

Fra-

Fratres Josephi, nisi pium Rubeni & Judæ monitum? perierant, si Joseph perijsset. Audiendi semper Principi Consiliarij; sed spernendi ubi à & pietate recedunt. Friderico III Rom. Imp. Ladislaum Hungariæ Regem adhuc puerum sua in aula educanti, politici quidam ex Consiliariis adulatores (qui utinam hodie deessent) suadebant; ut sublato puero, regnorum ad se possessionem transferret. *Ergone*, inquit, ***me divitem potius, quam pium vultis? perfidiâ non emam opes & regna.*** Othocaro tamen Bohemiæ Regi, cum Germaniæ Principes offerrent imperium, obfuit suorum id suadentium consilia repudiasse; siquidem aulæ ipsius Præfectus Rudolphus comes Hapsburgicus Austracorum primus admisso Imperio, rebellantem postea Othocarum sibi imperioque subjecit. Adeò & in bono felicique Principe mens perspicax æqui bonique, consiliumque sanum requiritur; ut quando, quibusque Consiliariis obsequendum, id haud gravatè perspiciat: aut, sic ubi incertus hæreat, ad illum confugiat, ***qui apprehendit sapientes in astutia sua, & consilia pravorum dissipat.*** Aliter conclusisse, Israelitis noxium fuit, quibus ex ore Prophetæ Deus minatur. ***Væ filij desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, & non ex me!***

Boni consilij, & autor, & promotor, & finis Deus est.

Gen. 37.

Æn. Sylvius l. 3. Com. in gesta Alphonsi.

Dubr. l. 17.

Iob. 5.

Isa. 30.

CAPVT X.

Quales, quibusque dotibus cum naturæ tum gratiæ præditos esse, felicium Principum & rerump. Consiliarios, esse deceat.

CUm maximè Principum ac reip. intersit, ad hujus futuræque vitæ felicitatem obtinendam conservandamque, lectis, ad omnem scientiam virtutemque formatis Consiliariis uti: neque his ipsis quicquam esse salubrius possit; quàm requisitas sui muneris partes implevisse, quod præcipua huius vitæ felicitas in probatis cuiusque moribus consistat, disertius aliquanto horum nobis officium, eorumque præcipuæ dotes prosequendæ sunt, ut & Principes intelligant, quinam illis potissimum deligendi sint; & Consiliarii ante sui dotes animi ingenijque expendant, quàm munus capessant, cuius administrationi sint impares, rei damnorum futuri, quæ ex hoc fonte in remp. derivantur.

1 Bonorum Consiliariorum necessariæ dotes expenduntur.

Multum sanè referre, quos qualesque resp. quævis Consiliarios possideat, communi sapientum consensu, eventibusque rerum administratarum, per omnium ætatum historias, compertum est, nihilque magis probatum, quam ex ipso reip. corpore tales assumi posse, qui & idonei sint, & cum sui capitis for-

tuna-

tunarumque periculo consulta depromunt. Nam quorum sors extra hunc casum est, hi corruptioni magis temeritatique obnoxij sunt, cum de alieno tantùm discrimine, non proprio consultetur. Si tamen periti rerum defuerint, tunc extraneus imperito est præferendus. Imò, si & virtus fidesque magis explorata sit, hunc statuo anteponendum: quod hæc ad officium boni Consultoris necessaria sint; indigenatus certis tantum in causis fulcire hoc munus queat.

Quando incolæ extraneis, & hi illis præferendi.

Athenienſium, & Romana olim resp. ac Venetorum (quos Hollandi, minus tamen firmo pede ob religionem pessũdatam, æmulantur) gravissimis potissimum integerrimisq; stetêre consiliis; quando & cum suis, & de suis consultatum est. Et Athenis quidem adeò consiliorum integritas, quæ honestatem utilitati jure præfert, visa placere est: ut, cum Themistocles pro concione dixisset, consilium sibi ad emolumentum reip. egregium in mentem venisse; sed in publico id minime vulgandum; Aristiti æquissimo Atheniensium manifestare sit jussus. Cumque ostendisset, succensa navali Græcorum statione, tota Athenienses Græcia potiri posse: Aristides ad concionem reversus: *nihil* inquit, *utilius reip. Themistoclis consilio fore; sed eodem viris fortibus nihil inhonestius*, qui virtute, quam fraude & perfidia mallent vincere. Quare populus negavit hac de re Themistoclem esse audiendum. Turpe sane consilium est, quod perfi-

II Atheniẽsis Romana & Veneta resp. quibus steterint Consultoribus.

Plut. in Aristide.

diam suadet. Ceterùm dolo hostem ac stratagemate circumvenire, laudem, salvâ fide, meretur. Unde Lacones, cum fraude hostem tenuissent, Marti bovem immolabant, cum pugna & sanguine fuso, tantummodo Gallum: quòd ingenio, quam armis superare, incruentaque victoriâ uti, longe esse gloriosius censerent. Dignumq; est ad huiusmodi prius Martis genus, quam ad sanguinolentum consilia adferre.

Plutar. in Lacon.

Romanis olim consultò omnia inter viros lectissimos agere usitatum fuit. Unde Curiam subituri, invocato Jove Dijsq; ceteris juramento se obligabant propalam: sententiam dicturos secundum leges, ac Rom. decreta, eamque boni publici gratia: *Neque* inquiebant, *gratiæ, neque odio, neque muneribus patiar servire judicium consultumque meum, neq; privato, addicam sententiam meam neque ulli me parti, aut homini adiungam, sed tantum communi utilitati, aucturus pro viribus remp. ita ut* Dii, *& boni viri volunt. Mihi quidem sanctè iurato bene sit & Dii atque* Dæmones *faveant*: Discant Christiani, vel ex gentilibus, quales in Consilijs esse teneantur.

Brisson. in form. & Camer. in horis succ. c. 82.

Laudatissima Venetorum consuetudo habet, ut Senatores ante vestibulum Curiæ, juxta ædem S. Marci, privatas simultates omnes se profiteantur deponere; ne ad publica consilia pravis affectibus studiisque obnoxij transeant. Idem Ratisbonensem ante Curiam leges Consultoribus in tabula marmo-

rea præſcribunt, his verſibus

Quiſquis Senator curiam officii cauſa ingrederis,
Ante hoc oſtium privatos affectus abjicito,
Iram, vim, odium, amicitiam, adulationem;
Reipublicæ perſonam & curam ſubjicito,
Nam ut alijs æquus, aut iniquus fueris,
Ita quoq; Dei judicium exſpectabis, & ſuſtinebis.

Hæc univerſe dicta, nunc ſigillatim magis ſunt exponenda.

III
Pro varietate rerũ etiam varios eſſe Conſiliarios neceſſe eſt.

Ut res variæ ſunt, quæ in conſultationem veniunt, ita & conſiliarij ſæpe Principi diverſi. Aliæ enim res civiles ac politicæ; aliæ œconomicæ, aliæ militares, aliæ Eccleſiaſticæ. Unde juxta has & conſilia, & rerum uſuſque, adeoq; & Conſiliarii, mutantur.

In Politicis non raró diſtinguitur Conſiliũ juriſprudentũ & legale, quo toti provinciæ, in juſtitia adminiſtranda cauſiſque dijudicandis, conſulitur; & criminale, quo de reis eorumq; fortunis & capite cõſtituitur: deniq; quæſtoriũ, quo de reditibus expenſiſq; Principis aut reip. cognoſcitur. In militaribus aliud conſiliũ de invadẽdo, aut declinando hoſte, de ſtipendijs aut exercitatione militum, de muniendis, aut ſubvertendis locis deliberat: aliud de annonâ commeatuque providendo agit. In Eccleſiaſticis, & de beneficiis diſtribuendis, & de officiis rectè exequendis, diſciplinâ & legibus, omnibuſq; ad Eccleſiã ſpectantibus, cõſultatur; idque diverſis non raró Conſiliis. Pro ſuo igitur quemq; munere Conſiliariũ, ut par eſt, inſtru-

instructum esse convenit, magno enim inter se discrimine militaria à civilibus, & ab utrisq; Ecclesiastici diffident: ut qui illis idoneus est, his ineptus esse possit. Non itaque eædem omnibus regulæ sigillatim convenient, generales solum leges præscribi possunt, quas ad suum quisque munus, pro rerum varietate, inflectere poterit.

IV. Naturæ artisque dotes in eis requisitæ.

Naturæ inprimis dotes non omnino vulgares postulantur, puta ingenium docile ac perspicax, quod penetrare rerum ardua possit, judicium limatum firmumque, quo inter ancipitia, æquumque ac iniquum, tempora ac personas, queat discernere: memoria fidelis rerum perceptarum: experientia haud vulgaris, ideoque & firmata jam annis ætas: persona minimè deformis, aut levis, moribusque dissoluta, humana & facilis conversatio, sermoque ad hanc expeditus. Quorum aliqua, si minus natura liberaliter suffecit, arte sunt expolienda. Paucos enim natura in his omnibus ad perfectionem formavit. Scientia rerum certè, quarum consilium posceris, apprimè necessaria est.

V. Mores virtutesq; postulatæ. *Lib. de Officijs c. 8. & 12.*

Jam de præcipuis illorum virtutibus paucis disseramus. Excultos ad honestatem mores in Consiliarijs requiri, quis neget? *Quis*, ait, D. Ambrosius, *è turbida aqua potum petat? quis in cœno fontem requirat? quis utilem alienæ causæ judicet, quem videt inutilem vitæ suæ? quonam modo potes judicare consilio superiorem, quem vides inferiorem moribus?* Rythmico idem versu decantatum est. O Con-

O Consultores, rectos assumite mores,
Publica privatis praeponite commota gratis,
Ne damnet vestras animas divina potestas:

Ipsis certè haec res Ethnicis adeò cordi fuerit, ut Gellius de Lacedaemonijs memoret; datum publicè utilissimum à facundo, sed turpis vitae homine, consilium acceptumque ab universis; tum verò ex Procerum ordine virum gravem perstrinxisse hanc vulgi facilitatem. Et *quomodo*, inquit, *viri Lacedaemonij, hanc stare diu posse remp. arbitrabimur, quae huiusmodi Consiliarijs innitatur?* simulque eandem sententiam, à laudato, quamvis minus diserto, recitari viro jussit: & *hunc* inquit, *autorem sequi, absque probro vestro, licebit.* Natura igitur felix Consiliarii boni fundamentum; sed virtus ornamentum est.

In Noctib. Attic lib. 18. c. 3.

At quam in virtutum choro faciemus Ducem? Utique *prudentiam*. *Haec*, ait Plato in Menone, *sola praeit, & ducit ad recte faciendum.* Illa gubernatrix est rerum agendarum. *Vbi* inquit Sapiens, *non est gubernator, populus corruet: salus autem ubi multa consilia.* Speculatrix est rerum praeteritarum, ac futurarum, ut ex his praesentia rectè ordinet, oculus est totius reipublicae. Cui jure illud Christi aptaveris: *si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, si autem nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Oculus & prudentia, malis juxta bonisque rebus adhiberi potest: cum ad fraudes quoque & flagitia traduci queant. Unde sola nulli prudentia, sine recti-

Prudentia

Prov. 11.

Luc. 11.

Veritatis amor.
Mat. 10.
De vita Contẽpl

reliquarum virtutum comitatu, proderit.

Prudentiæ *simplicitas*, quæ amore veritatis sinceritatisque dolum omnem excludit, jungenda est. *Estote*, ait Christus, & ex illo Prosper, *prudentes sicut serpentes, simplices sicut columbæ; quia nec simplices circumvenire alios possunt, nec prudentes se circumveniri permittunt.* In quam sententiam cum paria D. Hieronymus locutus esset, subjicit: *Prudentia absque bonitate malitia est, & simplicitas absque ratione stultitia nominatur*, mutuo igitur consortio fulciuntur.

Lib. 2. in c. 7.

Iustitiæ studium.
De offic. l. 2 & Arist. 6. Ethic. c. 3.

Sed & justitiæ amor ad hanc societatem spectat. Quia ut Cicero de officiis rectè animadvertit. *Prudentia nihil valet sine justitia ad faciendam fidem, quo enim quis versutior & callidior est, hoc invisior & suspectior, detracta opinione probitatis.* Prudentia Consiliario bono necessaria est, ut intelligat quid cuique debeatur, Justitia, ut suum cuique tribuendum suadeat. Verum tamen, ne hæc carnis solum prudentia sit, aut justitia, quæ quid Deo sit debitum vel ignoret, vel negligat, qua *filij huius seculi* quandoque *prudentiores sunt filijs lucis.* Tum enim rectè nobis aliisque consulimus, *cum non secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum. Prudentia enim carnis mors est. prudentia autem Spiritus vita & pax.* Cœlestia ante oculos, ut habeat necesse est, qui de terrenis rectè volet constituere. Prudens ultimum rerum finem considerat; justus, non

Rom. 8.

minus

minus Deo tribuit quæ Dei sunt, quàm Cæsaris, quæ sunt Cæsari.

Jam fidem, & erga suum Principem, & erga Deum, quis nesciat in bono Consiliario requiri? Utrumque jungo; quia in hunc perfidus, quis speret erga illum fore constanter fidelem? Religionis, in rep. etiam civili, ut prima esse cura debet; ita qui in hac à Deo ac veritate deflexerit; suis haud facilè Consiliis rectum ubique scopum assequetur. *Pietas*, inquit Ambrosius, *virtutum omnium fundamentum est, iuxta humanarum rerum, & cœlestium disciplinam. Pietas iustorum tribunal, egenorum portus, miserorum suffugium est.*

Fides erga Deum & Principem ac remp.

In psal. 118. serm. 18.

Accedit libertas in dicenda pro veritate sententia. *Monstrabo tibi*, ait Seneca, *cuius rei inopia laborent maxima fastigia quidque omnia possidentibus desit: scilicet ille, qui verum dicat. Non vides, quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, & fides in obsequium servile submissa, dum nemo ex animi sui sententia suadet, dissuadetque; sed adulandi certamen est, & unum amicorum officium.* Verum Consiliariorum aliud longè officium, nihil nisi ad veritatis æquitatisque leges suadere. In hoc conducti sunt, ut eorum pronuntiatis Princeps tutò salvaque possit conscientia acquiescere.

De benef. l. 6. c. 30.

Libertas in dicenda pro veritate sententia.

Quod si, aut propriis, aut alienis etiam Principis à vero aversi affectibus indulgentes negligant, se suumq; Dominum sce-

ſcelerate præcipitant. Et hic aularum ſcopulus eſt, in quem multi, ceterâ etiam præſtantes, viri impingunt, ut exemplis haud multò poſt cognoſces.

Denique conſtantia, in rectè conſultis, prædictis virtutibus addenda eſt. Peſſimi conſiliarii ſunt, licet ceteroquin boni, qui, ut Saluſtius ait, *ex aliena libidine huc illucque fluctuantes agitantur, interdum alia, deinde alia decernunt: uti eorum, qui dominantur, ſimultas atque arrogantia fert.* Quod ſi tamen dicta quiſquam ſententia, ex conſiliis rationibusque, vel aliorum, vel propriis, ſe aberraſſe cognoſcat, non erit conſtantia, ſed pertinacia ſuæ opinioni, ne aut victus, aut mutabilis videatur, inhæreſcere. *Non eſt levitas*, ait Seneca, *à cognito & damnato errore diſcedere. Hæc vero ſuperbæ ſtultitiæ perſeverantia eſt: quod ſemel dixi qualecunque eſt, ratum fixumque ſit. Non eſt turpe cum re mutare conſilium.*

Ad Cæſarem.

Conſtantia in tuenda veritate, etiã mutatâ quandoq; ſententia.

De benef. l. 4. c. 38.

VI Qui hæc negligunt cõſultores, ſe plerumque præcipitant.

Hæc inprimis, ut leviora prætercam, tam ad reip. ac Principis, quam ipſius Conſiliarii ſalutem requiruntur; ne perverſis affectionibus in præceps abeant. Pharaonem cupiditas Hebrææ gentis in ſervitio detinendæ; Goliathum vincendi ardor ac gloria; Suſannæ Judices libido; Amanum ſuperbia ad pernitioſa, ſuumque in caput averſa conſilia impulêre. Perillus in tauro æneo, quem hominum ſuppliciis crudeliter deſtinatum Phalaridi obtulit, primum mugire coactus eſt, Maxentius in fallaci ponte, quem Conſtanti-

no instruxerat, ipse perijt: venenum, aliis paratum, non semel autores ipsi biberunt. Plerumque *consilium malum consultori pessimum est.*

Horrendum sanè in paucis ac tristissimum exemplum est, quod superiori nobis seculo Anglia ex eiusdem ætatis historico Costero suppeditavit. Istic brevi tempore Anglia, diversis libidinum, & hæresum fluctibus jactata, denique in Elisabethæ astutæ audacisque feminæ manus incidit, quæ suorum procerum consiliis, suoque etiam genio obsecuta, novam rursus induxit Angliæ religionis faciem, ipsa se metamorphosi Christianis inauditâ, in supremum Ecclesiæ caput transformatâ, atque à suis Proceribus, tantæ protervię adstipulantibus, salutatâ. Ex his demum anno 1596 Baroni ab Honsdem, qui eidem à consiliis erat, morbus fatalis incubuit, quando eidem terrificum aliquot collegarum, haud pridem defunctorum, spectaculum objectum est; qui in Anglorum Senatu haud multò ante præsederant. Primus sese in conspectum, tanquam in scena, obtulit Robertus Dudlæus Comes Licestriæ, hostis quondam infensissimus Catholicorum, ac præcipuus Elisabethæ consiliorum administer simul autorque, Mariæ Scotorum Reginæ gravissimus persecutor, adversus Catholicos ab eadem Belgio præfectus, Hispanicæ classis profligator, & crudelissimi in orthodoxos decreti fabricator, ille, inquam, tot patrator facino-

rum

Horribilis malè consulentium interitus.

Francisc. Costerus in Compend. orth. fidei cap 17. poop. 3. Pædag. Christ. part. 1 c. 8. § 9. Engegr. in luce Evang. p. 2, Dom. 3. Adv.

rum, totus sulphureis ab orco immersus flammis adfuit, alio nunc, quã quondam vultu, terribilis. Hunc penè sequebatur Walsingamus Secretarius, eodem in habitu, ut quondam scelerum, ita flammarum nunc particeps. Tertius in hoc theatrum subijt Poukerinus Lord, supremus Angliæ Judex, qui extra ignes, nebuloso immersus frigori, tremensque, cum ægri, solo contactu, læsisset manum, pœnè exanimatum frigoris inclementiâ reliquit. Subinde igniti rursum inferorum candidati Hattonus regni quondam Cancellarius, Thomas Heddinge, & Franciscus Knoul Consiliarii, duobus sociorum sulphuratâ in flammâ collucentibus stipati, ejulatu omnes horribili in cubiculum irrupêre, & postquam miserè trepidantis lectum circumstetissent, formidandis his vocibus compellarunt. Infelix, te socium consiliorum perditorum habuimus in vita, eædem te exspectant, tuumque collegam Guilielmum Cæcilium, pœnæ. Idipsi nostris vocibus indicato, utrumque propediem nobiscum tartarus æternique ignes ac frigora, absorbebunt. Erat is Cæcilius Regni Thesauris præpositus, at cœlestis unà cum alijs Thesauri neglector, quem eodem cum Roberto mox tempore mors execrabilis sustulit, ad hujus historiæ veritatem indubio præsentibus argumento firmandam. Dudlæus se visentibus, tremens exclamansque desperatissimè, spectaculum adeò calamitosum exponebat, nec profuit hominem

nem ad ſpem Deumque erigere; cum de ſua ſalute conclamatum eſſe dictitaret, niſi Catholicus ſeſe alicubi Sacerdos offerret, quo apud hos perſecutores ignorato, ac nequicquam poſtulato, Dudlæus inter horrendas vociferationes, ad æternum ſuorum collegarum ſupplicium abſtractus eſt. Miſſique, qui de Cæcilio inveſtigarent, pari illum abreptum fato intellexerunt. O verè *horrendum eſt incidere in manus Dei viventis*! O lectores mei, voſq; inprimis Senatorii ordinis viri, conſiliis reip. Principumque addicti.

Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos. Timete eum, *qui poteſt & corpus & animam perdere in gehennam.* Jam diu minatus fuit. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima*, 80 ferè anni ſunt, ex quo, hi ad inferorum tormenta abrepti; & tamen, nec initium quidem pœnarum abſolverunt, qui poſt centũ, poſt mille, poſt myriadem etiam annorum, ſuo adhuc hærebunt in principio, quod nec medium, nec finis conſequetur. Quis è nobis vel unius horæ, ſolumque in digitis articulatim adurendis, flammas, æquo animo ſuſtineret? *Quis è vobis*, inquit Iſaias, *poterit habitare cum igne devorante, quis habitabit de vobis cum ardoribus ſempiternis.*

Deut. 32.

Iſa. 33.

VII. Optimi Conciliarij glorioſum exēplum.

Aliud in eadem Anglia longè illuſtrius exemplum Thomas Morus ſupremus regi Cancellarius, & conſiliorum præ-

fectus, reliquit. Henricus VIII, ob repudiatam Catharinam legitimam coniugem, Bolenamque lenam perditissimam, in thalamum substitutam, anathemate Ecclesiastico perstrictus, ipse anno 1534 vicissim Pontificem suo interdicendum regno, sibique, ut supremo Ecclesiæ capiti juratam fidem, decimasq; toto regno solvendas, edixit. Consilium hoc ab aliis probatum, ut Morus probaret, nec precibus promissisque, nec minis carceribusque, nec ipsa demum morte adduci potuit. Spoliatus dignitate, honore, opibus est: cognati, amici, liberi, uxor bonis omnibus fortunisque exuti; sed nihil ipse tantis calamitatibus motus duravit, adversus omnium preces lacrymasque postulantium, ut vel simulatè probaret, quod tueri non vellet, impedire non posset. Verùm ille fidem magis Deo, quam homini præstandam asserebat; cumque uxor ardentius impelleret: *quot*, rogat, *annis huius me vitæ, quæ ostentas bonis frui posse existimas?* cumque illa reponeret, *viginti annis posse*. *Ergone* ait, *stulta mercatrix, me pro annis viginti æternos in cœlo annos, bonorum omnium refertissimos, venundare velle autumas? Appage hoc consilio. Regis acta nunquam probabo.* Ita mortem invictus veritatis defensor excepit, gloriosa semper morte, & in terris celebrandus, & in cœlis honorandus: morte, quæ vitam non abstulit, sed dedit, mortalemque immortali felicitate pensavit.

Sanderus in schism. Stapletonus in vita

Utinam Henrico sub hoc tam fideli Consiliario mens illa Alphonsi Arragonum Regis

Panor. l. 2. de gestis Alphonsi.

Regis adhuc adolescentis placuisset, cui dum Catalauni septem Consiliarios sese, Dei justitiæque cultores, à pravis affectionibus & corruptela munerum alienos, ad regni administrationem juncturos assererent, laudavit consilium, & *si vel unum mihi talem dederitis*, inquit, *lubens illi regimen cessero*. Quam pauci Anglicorum Procerum cum Moro steterint, jure admiretur, quisquis illius regni ætatisque acta inspexerit. Adeò difficile est Consiliarios reperire, qui omnes Mori dotes colligant, ausintque suis Principibus contra æquitatem nitentibus, etiam cum vitæ discrimine resistere. Dudlæos, Honsdenosque facilius invenias, qui futura malint, quam præsenti felicitate excidere. Quæ ut quisque in hoc munere versatus pericula antevertat, exponere hoc loco visum est, *jacula* enim *prævisa minus feriunt*.

CAPUT XI.

Cum plures in rebusp. Medici sint, rari tamen qui eruditione excellant, quinam ex his optimi, & honore digni, proque Reip. salute fovendi.

NUllum est in orbe studium, quod plures mortalium affectent quàm Medicinæ, nullum quod suâ perfectione pauciores assequantur, vulgatum distichon est.

I Multi in rep. medicandi peritiam affectant.

Fingit se Medicum quivis idiota profanus,
Iudæus, Monachus, Histrio, Tonsor, Anus.

 Idem

Poggius in facet.

Idem Gonella Ferrarienſis Marchionis in Italia probaturus Morio, poſtquam in quæſtione ſupra menſam orta: cuiuſnam artis quamplurimi Ferrariæ profeſſores eſſent? & Gonella medicinæ hos eſſe contenderet, nec ſine depoſito victori præmio res ageretur, ſic denique evicit. Morbum finxit dentiumne, an febrium dolorem, neſcio. Certè pellibus involutus ad primariæ ædis fores conſedit. Cumque plerique tranſeuntium aliquod ſuggererent remedium, id, cum nomine, tabulis excipit. Quod cum alibi deinde, atq; in aulæ frequentia, ipſo etiam Marchione ſuum pro curatione ſymbolum afferẽte, factum eſſet, denique Gonella fabulam abſolvit, evolvitq; tabulas, cum nominibus omniũ medicinam profitentium, cauſamq; obtinuiſſe judicatus eſt. Idem ſuperioribus annis Ferdinando Electori Colonienſi à facetijs Weiswcilerus haud ſine riſu & applauſu omnium imitatus fertur. Nemo non vult haberi medicus, cum tamen qui artem hanc probe aſſecuti ſint:

Vix ſit de millibus unus.

XI
Medicina neq; ars, neq; ſciẽtia eſſe videtur.

Nonnullos invenias, qui neq; artis neq; ſcientiæ nomine hoc ſtudium dignũ iudicent: Non artis, quia *ars eſt quæ certis, & raro fallẽtibus principijs nititur*, quæ ſanè in medicina hactenus reperta non ſunt, cum fallere illã quam ſæpiſſime, innumeris exemplis compertum ſit. Nec ſcientiæ titulum merebitur: cum nulla demõſtratione, ſed probabilibus tantum argumen-

tis freta, nihil stabile perpetuumque, ut in scientijs opus, possideat. Hinc mille opinionibus, & contradictorijs etiam sententiis divisa, suis etiam sectis scinditur.

III Hinc in diversas sectas scinditur.

Præcipui ex his *Empirici*, qui Philino Coo, aut Creonte, vel Gorgia autoribus sola experientiâ Medicum erudiri posse sentiunt: alij *Methodici* qui Themisone Laodiceno autore certa ac brevi methodo medicam scientiam absolvi existimant. Tertij denique *Rationales*, autore Hippocrate, & Galeno exculto-re artis, ad rationis hanc leges juxta temporum, regionum, ægrotantiumq; naturam exploratam stabiliri volunt. Harum quælibet sectarum, ut alteram damnat, ita secum non satis convenit. Thessalus Trallianus sub Nerone vixit Methodicus, qui ut Empiricos à medicinæ professione arcendos statuit, ita nec Themisonis ferebat placita; sed reliquos omnes, præter unum se, hac palæstra indignos censebat, suoque in via Appia munumento se inscribi voluit Ἰατρονίκην, hoc est, medicorũ victorẽ. Hunc verò ceterosq; ab hoc ordine proscripsit, acerrimus Hippocratis propugnato rGalenus. Quin Thessalo, eâdem sub Nerone tempestate, æmulus non defuit Crinas Massiliensis, qui sidera horasque observando diætam ægris admetiebatur, longè aliis felicior ditiorque, ita ut moriens mœnibus patriæ extruendis reliquerit centies H.S. cum repentè Charmis ex eadem Massilia Romæ emersit, qui damnatis

IV Non solũ hæ sectæ inter se verũ cum suis etiam collegis. incertis rationib9 colliduntur & in his quisque sibi optimus videtur.

Plin. l. 22. c. 1. Medicis prioribus, media etiam hyeme gelidis lacubus ægros immerſit, adeò pugnantibus inter ſe opinionibus remediiſque Medici decertant: tantò liberius audaciuſque; quod de cute periculoque alieno diſceptetur, & quiſque, inter arbitros rerum incertarum ignaros, novitate ſeſe aliqua commendare cupiat; ut, ceterorum inventa transgreſſus, inveniendi ſubtilitate, aut felicitate ſuperaſſe videatur.

V. *Ob hanc inconſtātiā Romani olim eos urbe excludebant.* *Lib. 39. c. 1.*

Quare tanta Medicorum inconſtantiâ, & diſſenſione, utiq; ex ipſa veritatis ignoratione profecta, offenſi Romani, annis omnino ſexcentis Medicos, ut Plinius memorat, urbe excluſerunt, familiari Majorum perque experientiam acceptâ, & rarius multò aut fallēti, aut noxiâ medicina uſi. Medicorum ſanè nulla in priſcis ſeculis, cum diutiſſime mortalium vita ad nongenteſimum etiam annum propagata eſt, memoria viguit. Quod Adamus noverat, tradideratque à Deo acceptum poſteris, hoc per uſum traditionemque manavit ad ſeros nepotes, conſervatumque in mundo eſt, ad morbos propulſandos utique ſaluberrimum. Neque enim Deus, qui ſua quibuſque animantibus brutis etiam oſtendit reparandæ ſanitatis remedia, homini illa denegaſſe cenſendus eſt. Canis hauſto curatur ſanguine, felis calamintha ſibi medetur; urſus æger formicas devorat: cervus oleæ ramuſculos mandit, vel ſi phalangio percuſſus venenum traxerit, cancrorum eſu liberatur:

VI *Traditio Majorum & experientia hac in arte plurimū valet cum Deus & natura hoc, quod brutis dedit, homini non negavit.*

Apri

Apri hedera suam pellunt ægritudinem: Vulpes laricis, aut piceæ lachrymâ curatur. Caprea & cervus vulneratus dictamnum educendis etiam sagittis quærit; Leo æger simia gaudet. Platanum læsa adit Ciconia, Accipiter hieratium, Corvus arum, Upupa adianthum, Cornices verbenam, Turdi cicutam & myrthum, Perdices arundinem, Aquila gallitricum, Cygni urticam, alia animalia herbis aliis medelam hauriunt. Et quis neget homini omnium Domino hoc præsidium, naturâ ac ratione duce non esse cœlitus subministratum?

VII
Qui doctissimi Medicorũ visi sunt, plurimos occiderunt.

Quorundam audacia arrogantiaque, qui venditare hanc præ reliquis scientiam ausi sunt: & aliorum credulitate, ac simplicitate qui hanc in necessitate visi admittere, Medicorum in orbem turba, lucri cupiditate sese immisit, qui in quas Resp. penetrarunt, vix ullum istic aut morborum, aut mortalitatis præsidium majus compertum est, quin & multorum non rarò, quorum vita, citra Medicorum operam, sperari potuisset, mors est præcipitata. Quia eum efficacissima quævis remedia venenis temperentur, à temere adhibitis non leve discrimen ægri subeunt, & quod naturâ, seu vulgari remedio, vinci malum poterat, toxico exasperatur. Quod sanè à plerisque Medicorum, nisi cognitione plurima atq; experientia firmatis, metuendum est. Unde manasse non omnino vanum dicterium videtur: *optimos esse Medicorum, qui quam plurimos*

occiderunt. Quâ ratione motus Imperator Maximilianus ægritudine lecto defixus, cum plures sese medicorum ad curam offerrent, ordine illos accersiri jubet, singulosq; unà illâ quæstione aggressus est, *quot occidisti*? cumque adhæc plerique attoniti subsisterent, aut suos erubescerent lapsus fateri: nonnulli etiam hanc velut insaniam Cæsaris riderent, deniq; senex experientiâ magis, quam doctrina notus, conclave subijt: & sciscitanti Maximiliano, *quot occidisset*? Respondit, quod pace tua, Clementissime Cæsar, dixerim: *innumeri sunt*. Tum subridens Imperator: *ingenua*, ait, *confessio Medicum Te facit Cæsaris. Eis igitur quibus alios sustulisti ex erimentis, in me desines, & probatis ad sanitatem ex fide uteris*. Et verò Medicis quantumvis speculatione & scientia rerum præstantibus, nisi experientia multa in Hospitalibus & desperatis hominibus, aut mortis supplicium promeritis adhibita probatis, vix fidendum est. Quod ut Veteres Romanorum innuerent, Æsculapium Medicorum Deum prolixa barba spectabilem, verùm ante urbem templo eidem excitato coluêre; quòd mallent abesse urbe Medicos, & hos in necessitate, non nisi grandævos longæque experientiæ viros cuperent. Quanquam Dionysius Siciliæ Tyrannus, Epidauro occupatâ, barbam Æsculapij auream sustulerit, asserens: non decere filium esse barbatum, cum Apollo Pater eiusdem sine barbâ colatur. Fortè & censuit barbâ sapientis viri indignum

VIII Experientia Magistra optima, quæ in senibus fere est.

Val. Max. l. 1. c. 2.

dignum, qui medicorum Deus esset, tot ægros, subducto tantùm ære, sua spe frustantium.

IX Innumera perito Medico quæq; vix assequi potest, discēda sunt

Enimverò ad unius Medici necessariam eruditionem pelagus quoddam scientiarum artiumque requiritur, ut talis difficile fingi, nedum inveniri queat. Nam inprimis Romano Græcoq; hunc sermone, nec obiter imbui necesse est. Cum his præcipuè linguis, ut Hebræam prætercam, artis huius secreta contineantur. Tum deinde in Philosophia, quæ hominis, herbarum, metallorum, ac siderum naturā contēplatur & expendit, decet esse versatissimum. Mathesios, atq; inprimis topographiæ, & astrologiæ convenit esse peritū; ut cœli, locorumq; diversorum geniū, ortum occasusq; astrorū suo norit influxu distinguere. Unius cōstitutionis humanæ, tam pro ætate, natione, complexione, & affectibus diversissimorum morborū variæ, quam ampla, profundaq; & implicita materies, quæ totam medici discētis vitā facilius exhaurire possit, quā ipsa exhauriri! Jam herbarū sub hoc illove cœlo vis & operatio, quot libris adumbrata magis, quàm exhibita! postquam & homo, & herbæ, & morbus, & medicina cognita, nisi apto tempore modoq; exhibeatur, frustra est. Non inepte Vates:

Temporibus medicina valet, data tēpore prosunt
Et data non apto tempore vina nocent.

Ovid. de remed. Am.

Tantilla res, quæ & Medici artem, & ægri exspectationem potest fallere. Quid? quod

non herbarum tantum sed & omnium ciborum virtutem penetrare Medicum necesse sit, ut convenientem ex his ægro diætam ordinare queat; ne medicinæ vim reddat inutilem. Quin & Chymicæ artis gnarum esse convenit, ut exploratam herbarum, metallorum ciborumque vim educere suoque norit pondere & efficacia æstimare atque usurpare. Et quem mihi tandem hominem reperturus es, qui isthæc assequatur omnia, & illâ quidem perfectione, quæ vera à falsis, certa ab incertis discriminet, talem verò si dederis, tum Medicum exhibebis, cui, non quidem omnia, (nam & falli talem pronum est) sed multum possimus fidere, verùm an eiusmodi natus fuerit, jure queat controverti. Hippocratem claruisse inter Græcos Olympiadis LXXX anno 5 & Perdicæ Macedoniæ Regi gratum fuisse non nescio, qui & scripta reliquit eruditione plena, statuamque honoris gratiâ meruit, hunc Galenus, sub Commodo Imperatore, ex Pergamo, secutus, ingenio ac cognitione rerum vicit, in rhetoricis, dialecticis, mathematicis ac physicis disciplinisi ta exercitatus, ut inter Medicos eloquentissimus, inter eloquentes verò Medicus acutissimus habitus sit, ideoque, Cos Medicorum Averroes, hunc Medicorum antesignanum esse statuat. Avicenna tamen, Arabum Cicero, si non inventione, certè ordine & doctrinæ varietate eundem superavit, in Alchymia facilè princeps. Paracelsus hos secutus ingenio atq;

X Perfectus Medicus vix dari potest cũ optimi etiam falli comperiantur.

Plin. l. 29. c. 1. Sabel. l. 10. c. 8.

Rhod. l. 16. c. 40. Gesn. in vita.

atque arte se vincere posse credidit, arrogantia certè vicit, cum Mercurio sua arte præparato senectutis rugas canosque se abstergere, pristinæque senem juventutis flore vestire posse jactavit, qui tamen ipse, cum Avicenna, in virili ætate succumbente, vix hanc assecutus, post trigesimum vitæ annum defecit. Quem Gallorum quidam nuper, & Philosophus, & Medicus, Cartesius vanâ non minus jactantiâ, quàm vitæ sorte imitatus, cum XX sese annos humanæ vitæ curriculo adjicere posse venditaret, totidem facilè annis ante senium, ipse in Suecia novæ Philosophiæ principia (quæ non minus arroganter finxit) traditurus, occubuit. Hi illis Christi verbis monendi erant: *Medice cura teipsum*. Utrique horum, quod in Paracelsum Lotichius epigramma cudit, idoneum est.

In aurora Med l. 4. c. 4.

XI Infelices Medici, qui seipsos nequeūt curare, quātumvis eruditi.

Lib. 4. c. 9. obs.

> *Si præcox Medici mors scandala præbet, oportet*
> *Scandala præbuerit mors, Paracelse tua.*
> *Nam dum Nestoreum promittis pluribus ævum,*
> *Ipse prius letho præveniente cadis.*
> *Ridiculum Medicum! Si vis Panacæa senectam*
> *Conferat ut reliquis, ne moriare prius.*

Demus tamen quosdam, cum Galeno optimisque Medicorum, haustam studio ingeniique felicitate cognitionem experientia satis firmasse, ut morborum aliquod ætatisque devexæ levamentum adferre queant; Certè tantis, quos ad tam vastam cognitionem rerum exhaurire necesse fuit, laboribus digna vix usquiam præmia, honorque Medicis rependitur ple-

plerique ob aliorum imperitiam contemptim etiam traducuntur. Audias dicentem: quid obsecro aliud præstat afflictis, quàm quod tortor reorum, qui miseros in equuleo suspensos detinet: ut medicina ad pœnam potius, quàm subsidium adhiberi: optimusque is Medicorum videatur, qui suos quam citissimè morbo, cum vita absolvit.

XII Expertes ægrorum miseriam extendūt, à qua imperiti citius absolvunt

Nicocles Medicum quenquam laudaturus, eo extollebat nomine, quod *non sineret ægros suos computrescere.* In beneficio is habuit, citò absolvi morbis. Eosdem verò prædicabat felices, quod *errores illorum terra aperiret, successus in sole clarescerent.* Addit alius, quod supra Reges potestate excellant, ut quibus *solis impune liceat occidere.* Sed hoc nomine, apud Romanos viles contemptique ad servilem conditionem usque recidêre; cum honestiores hoc officium, his dicterijs infame detrectarent. Unde qui primò illic Medicum exercerent, servorum plerique in numero fuêre. Quare Martialis in Vespillonem, seu funerum curatorem quem nuper Medicum esse viderat, ita lusit:

Maxim. serm. 50.

XIII Romæ igitur fere viliū illud hominū officium fuit, ne à Vespillonibus differre visi.

Ante fuit Medicus, nunc est Vespillo Diaulus:
Quod Vespillo facit, fecerat & Medicus:

Nempe homines per medicam suam artem ad sepulchrum transferens. Sed & materies, circa quam versantur Medici, parum est gloriosa, scrutarique diligenter vix potest. Decantatus versus est:

Ster-

Stercus & urina Medicorum fercula prima.

XIV Sordidum illis munus, & vitijs sæpe junctum gravibus, ut diligẽs studium ad hoc male impendi credatur.

Qui sedulò morborum radices vestigare solent, horum inspectionem examenque non possunt aspernari, cum alios non habeant magis certos latentium malorum nuntios, quam domesticos hosce sordidatos. Taceo alia ab inspectione corporum, & secretorum participatione adhærentia Medicis mala. Quorũ non paucis imputata adulteria, cædesq; Principum, per venena pro remedijs exhibita, perpetratæ. Alij etiam ex humanorũ corporum, rerumq; naturalium cursu ac contẽplatione, istic, velut in primis rerum principijs fixi, in atheismũ degenerasse comperti sunt; ut unde ad sapientiã proficere poterant, ad extremam amentiam prolapsi sint, quibus satius fuerat, nunquã didicisse. Hæc quorundã, parum Medicis utentium, faventiumq; oratio est, qui vitia illorum magis, quam virtutes contẽplãtur. Quos si aliquot morborũ examina invaderẽt, repẽtè, opinor, stylũ verterent; aut nõ nisi in degeneres, & hoc nõine indignos exacuerẽt.

XV Criminatiões præcedentes, ab invidis vel ignorante vulgo in Medicos profectæ, eliduntur.

Non ignoro quidem multa esse quæ in optimos etiam medicorum detorquentur invidorũ hominũ spicula, quibus famã existimationemque illorum configant. Verùm tamen pleraque hæc incassum mitti, suosque in autores recidere observatum est. Inter vulgus hæ plerũq; & nascuntur, & occidunt calumniæ: quod illi rarum cum bonis medicis commercium sit; sed facilius circumforaneũ Jatraliptã aut rugosam Anum, quàm celebratæ peritiæ

Machao-

Machaonem consulat: qui vili pretio artem suam mercesque obtrudunt, & insperatis quandoque successibus commendantur, ubi experientiam Medicorum exspectatio fefellit ut nonnemo his Poëtarum exprobrat:

Nulla quidē vestri est tam regula firma Galeni,
Quam non interdum curva refellat Anus.

Nimirum eiusmodi est vulgi ingenium, ut cum Medicus afflictis sanitatem reddit, tum suo censeatur functus munere, neque ullam habeat admirationem; cum verò desperatis in rebus eventus fallit; tum omnium reprehensionem, ceu ignarus medendi, incurrat; cùm tamen aliquem morborum in mortalibus ultimum esse necesse sit, cui medicina non queat opitulari. Contra, siquæ Medea herbas Jasonis Patri sanando opportunas suggerat, hæc repentè, tanquam inexspectata in re, supremis in cœlum laudibus efferatur. Sola, ut Plato rectè, *peritiam ars, imperitiam quoque fortuna sequitur*: hæc verò quis ex vulgo satis distinguat? Cautum tamen legibus prudenter olim fuit: *Imperito Medico, si ægros curandos suscepit, capitale esto, quamvis forte curaverit.* Votum sapientis viri est: *A Medico indocto, à cibo bis cocto, & à mala muliere, libera nos Domine.*

Lib. 4. §. sed improbari.

XVI Imperitia quorundã Medicorũ alios infamat.

Quod igitur à nonnullis infamentur Medici, quasi illorum sit, *strenue mentiri, & officiose, pretio etiam accepto, occidere*: hoc dedecus ab imperitis & ignorantibus est qui (quod nostræ ætatis est probrum) venalem Docto-

ris

ris titulum alicubi in Universitate quapiam mercati circumferunt, reversique ad suos, repentè ex Asinis Equi, in prima sese Doctorum subsellia illic inferunt, ubi superiorem æmulumque non reformidant. His illusuri superioribus annis, Avenione in Gallia, tempore Bacchanaliorum, solennissimam promovendi Doctoris pompam adornarunt; in qua, præcinentibus tubis, magnoque Doctorum ordine in equis ornatissimis præcedentium, denique cum magnum quippiam à spectatore populo exspectaretur, Asinus bene auritus, hederaq; coronatꝰ in curru sequebatur, ante quē decumanus in curru liber explicatus erat, ipse verò grandibus nasū præmunitus conspicilijs, ceu lecturus, librum intuebatur: ponè applaudentium sequebatur juvenum multitudo. Vulgatum carmen est, quod forte hoc spectaculo exponebant.

Parisios stolidum siquis transmittat Asellum:
Qui fuit hic Asinus, non ibi fiet equus.

Et Avenionenses experti sunt, Asinum se domum revexisse, quem eduxerant. Tales igitur nonnunquam reperiri, qui ceteris Medicorum expertissimis haud levem ignominiæ & contemptus notam; sed immeritò, affigant, non dolendum solum, verùm & justis esset pœnis vindicandum. Sed & resp. quædam tenaciores, qui tenuia adeò Medicis stipendia constituunt; ut pauci reperiantur, quibus hæc studia cordi sint, jure est querendum. Honore & stipendijs ali artes novimus: qui ista

XVII Tenuitas quoq; stipendiorū Medicos negligentes facit.

ista subtrahit, has enervat. Unde dubium, in quos hæc culpa justius derivetur; an in urbes ipsas, quibus exiguæ opes, quàm suorum civium sanitas potiores videntur: an in Medicos, qui peritiæ suæ existimatione, ad digna Medicis salaria constituenda, non provocant? Vt pauci hodie reperiuntur Menecrates Syracusani, qui gratis medeantur, solâ contenti gloria, quâ Joves terreni nuncupentur; ita pauci Ptolomæi Reges inveniuntur, qui uni alicui Erasistrato Medico centum talenta largiantur; aut cum Romanis Principibus ducenta quinquaginta sestertiûm millia. Quare mirum non est, si Hippocrates, Galeni, & Hugones Senēses non reperiantur amplius: quorū hic, sub Eugenio IV Pontif. doctissimis inter Græcos Latinosque ad convivium invitatis, Ferrariæ in concilio generali, de quacunque re, ut olim Gorgias, se responsurum, professus est. Rectè dictum

Cælius lib. 6. c. 36.

Plin. l. 29. c. 1.

Sint Mecænates, non deerunt, Flacce, Marones.

Nec malè Latinogallicè

Ordonner Medicos; ægros or donner oportet.

Nobis certè Medicos, citra verbi Dei injuriam, contemnere non licet *Honora,* inquit illud, *Medicum propter necessitatem Etenim illum creavit altissimus A Deo enim est omnis medela.* Ne verò gratuitam ipsius operam fore credas, subjungit: *Et à Rege accipiet donationem. Disciplina Medici exaltabit caput illius, & in conspectu Magnatorum collaudabitur.* Quin & Deus ipse spreto Medico se suaque dona sper-

Eccli. 38.

XVIII. Medicos honorare ex divina præceptione tenemur.

rii arbitratur. Nam *altißimus* ait, *creavit de terra medicamenta: & vir prudens non abhorrebit illa.* Parum igitur prudentis, ne dicam religiosi est, invectivas adversos Medicos adornare. Quæ enim obsecro ars, aut scientia hanc à Deo laudem commendationemque tulit? Et gentilium sanè hominum par de medicina existimatio, cuius inventori Apollini & Æsculapio inter Deos locum fecêre. Nos versus Christo honorem tribuimus, qui *circuibat sanans omnem languorem & omnem infirmitatem in populo.* Ut post verbi divini prædicatoris ac Theologi munus, nullum Christus magis suo nobis usu commendasse videatur. Et meritò quidem, si ab ipsa etiam rei natura, & scientiarum objecto, ut jure debet, æstimatio petenda sit. Quid enim post animæ sanitatem virtutemque quam spectat Theologus, præ corporis sanitate viribusque, quas Medicus tuetur, in hac vita habendum est? Philosophia naturam hominis investiget; sed ut medicinæ alijsque scientijs ancilletur, ceteroquin futura inutilis. Jurisperitus de opibus, possessionibus, earumque jure litiget; & quanto hæc intervallo sanitati sunt postponenda? Ceteras inferiores artes non comparo, quia pleraque solis opum facultatibus augendis laborant.

Christus fuit Medicus.
Mat. 4.

XIX
Medicina ex suo objecto, post Theologiã scientia est præstantissima.

Quare, cum de Medicorum præstantia dubitandum nõ sit; ut eorum contemptores, sive ex ignoratiõe rerum, sive ex invidia malitiaq;

cæcè judicent, meritò sunt contemnendi; ita nec paucorum inscitia erroresque in omne illorum genus derivandi sunt. Unde non tam de objectis adversariorum confutandis, quòd spontè ruant, evanescantque, quàm de munere atque officio illorum exponendo, acturus sum.

Principio igitur, siquis Medici nomen dignitatē quæ tueri desiderat, eam sibi, quæ huic muneri necessaria est scientiam, studio atque industriâ, vendicare conabitur: ne honestissimum ceterà officium, suis ipse erroribus, aliorum obtrectationi exponat.

XX. Quid Medico ex officii sui ratione ac dignitate præstandū sit.

Hæc verò scientia non in sola cognitione morborum, naturæque humanæ, ac herbarum aliarumque rerum ad vim medicam facientium; sed etiam in praxi, diversis illam morbis feliciter applicante, consistit. Porrò ad speculationem quod attinet, hæc accuratam Philosophiæ, inprimisque Physicæ, notitiam supponit, ex quâ sua petit Medicinandi ars principia, quin ut Aristoteles ait, ***ubi desinit Philosophus naturalis, ibi Medicus incipit.*** Ut enim plantæ radices suas habent, per quas alimenta suscipiunt; ita ex philosophicis disciplinis Medicina animam viresque ducit, non tamen, uti illa, in sola contemplatione consistit; sed cognitione percepta ad rectè operandi præcepta transfert, &, otiosam alioquin, physicam dignâ praxi coronat. In homine igitur elementorum, humorum, spirituumque, temperamentum, excessumque aut defectum, in

Quæ rerū cognitio desideretur.

quo

quolibet etiam particulari corpore, expendit: herbarum verò, mineralium, aliarumque, vi medica præditarum, rerum qualitates explorat: ſiderum etiam, ætatum, regionumque diverſitatem inſpicit, quæ uno phyſiologiæ nomine comprehenduntur. Tum deinde Pathologica, hoc eſt, extraordinarios humani corporis morborum affectus, & ſymptomata expendit, qualia Galenus in morborum differentijs proſequitur. Quæ cum ex certis dignoſcenda, in quovis ægro, ſignis ſint, & illam, quam vocant, Semioticam, hoc eſt, ſignorum ex pulſu, ſudore, urina, excrementis, intervallis paroxyſmi, cognitionem eoſdem tenere neceſſe eſt, poſt quæ denique ſequitur curationis & diætæ præſcribendæ notitia, ex qualitate morbi, medicinæ, cibique ac potus perſpecta. Ante omnia verò de evacuantibus remedijs, quæ materiam & fomenta morbi tollant, cogitandum eſt, cum ſanitas corpori redire priſtina nequeat, niſi hæc ante ſentina exhauriatur, quâ ſubmotâ, de curantibus erit providendum. Ad hæc verò rectè uſurpanda, vix ſecurè accedet medicus, qui non ante practicam in alterius periti Doctoris conſortio, ut Romæ in hoſpitalibus aſſolet, ſedulò pertractarit. Qui ſe temerè à ſcholis & doctorali gradu ad praxin transfundunt; his primum in manus incidere periculoſum eſt: nec facilè ad eiuſmodi ſunt curam, publicâ autoritate, admittendi. *Nec Medici*, ait Cicero, *nec Imperatores, nec Oratores, quamvis artis præcepta*

Quis uſus qualiſque neceſſarius.

Lib. 4. offic.

perceperint, quicquam magnâ laude dignum, sine usu & exercitatione consequi possunt. Et Plinius *Medicinæ*, inquit, *efficacissimus magister usus.*

Lib. 23. c. 1.

Medicina suo tẽpore adhibẽda.

Alterum est, ut morbo explorato, non differat medicinam spe majoris lucri; ut improbi causarum Advocati, ita negotium susceptum agunt, ut agant diu: nec temere rursum, fervente jam febri remedia præstet, quæ non ad tollendum, sed proferendum longius malum, aut in aliud genus morbi periculosius commutandum, faciunt. *Medendi periti* ait, D. Ambrosius, *cum vident notas ægritudines, medicinæ tempus exspectant.* Siquidem

Epist. 44. ad const. l. 7.

Eripit interdum, modo dat medicina salutem.

Morbi temporis, ægri ratio habenda est, quin ætatis etiam, sic D. Augustinus memorat, medicinam à Vindiciano præscriptam restituisse hominem sanitati, quam tamen post annos aliquot eodem in malo nihil sibi prodesse expertus æger, accersito medico, sciscitatur causam: ut quid adhibita nunc sibi medicina non prosit? quia, excepit Vindicianus, *ego non jussi.* Nempe aliam nunc esse eius ætatem, tempusque adeò & curandi aliam requiriri rationem significavit.

Epist. 5 ad Marcellin.

Cuius æger admonendus.

Tertiò ægrum moneat, præsertim ubi periculum aliquod instare viderit, sanitatem esse donum Dei, ideoq; se illi per Conscientiæ expiationem debere conciliare, quod si impetrare consilio nequeat, minitari suum etiam discessum convenit; cùm Pius V. Pontifex

tifex-Medicis sub excommunicationis Ecclesiasticæ pœna hoc ipsum præscribat. Mortem quoque immitentem denuntiare poterit (quod alioquin ferè dissimulandum in mori timidis ne terrore malum crescat) si hoc pacto impellendus speretur: animæ enim salus saluti corporis est anteferenda.

Quid eidẽ indulgendum.

Quartò nullam licebit adhibere medicinam corpori, quæ in animæ vergat detrimentum; nec abstinentia, jejuniaque Ecclesiastica, citra præsentem necessitatem, ut personis eorumq; desiderijs gratificetur, laxanda erunt. Hoc enim delictum, non tam ægrum, nisi erroris conscium, quàm medicum gravabit. Nec personæ dignitas excusabit, nisi talis sit, cuius plurimum reip. intersit, ne in valetudine periclitetur.

Quæ debeant esse medicamenta.

Quintò medicamenta non præscribat pretiosiora, ut pharmacopolam ditet; sed pro cuiusque statu & conditione: quantum tamen licet, maximè efficacia. Dubijs, ad experimentum sumendum, uti, sine gravi noxa, nunquã poterit; cum periculo alterius vitam sciens exponat. In desperatæ vitæ hominibus aliquando periclitari licebit: quòd nonnunquam hac via sanitas recepta sit. Pauperibus, ut eleemosyna, sic medicina largienda est. Cùm à ditioribus spes sit, lautiora honoraria esse refundenda.

Quomodo cõsortes Medici tractandi.

Sextò caveat, ne, ex invidia atque æmulatione, aliorum Medicorum scientiæ artique deroget: Nam & *figulus figulo male invidet.*

Quomodo cōsortes Medici tractandi.

Si tamen errores deprehenderet manifestos, ad multorum detrimentum valituros, aut Medicus aut resp. commonenda erit; cum publica salus privatæ sit præferēda. Aliàs regula hæc cuique fixa est: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

Quid in pharmacopoliis providendum.

Septimo Pharmacopolij rationem cognitionemque habeat, ut exploret, ne intermortuæ, aut suppositiæ medicinæ pro vivis verisque adhibeantur, sibique, ex illorum defectu, irrogetur malè præscriptorum medicamentorum infamia,. Unde facilè intelligit, quàm & se in his probè dignoscendis oculatum esse conveniat: ne, quod aiunt, *Cæcus de coloribus judicet.*

Quid Medico apud ægros præstandū ne eis suspect9 aut gravis sit.

Postremò talis debet esse Medicus, qui & factorū suorū rationē queat reddere, præterita etiam sæpe ex præsentibus, ac futura nō ineptè insciteq; colligere, quod causæ non minus, quam effectus morborū cognoscēdi sint. Ex his de sua peritia maximā apud ægros opinionē relinquet: quos & appositis solari orationibus conveniet, & ad spē valetudinis erigere: cū medicinæ instar sit magno animo sanitatē sperare. Nec asperioribus remedijs, cū leniora suppetunt, alienādi ægri, ut ad Medici ingressū, tanquam captivus ad carnificis intuitū cohorrescāt. Cum tamen acerbiora adhibere necesse est; verbis illa, & certiori valetudinis spe leniātur. Ingeratur illud Hieronymi: *omnis medicina habet ad tempus amaritudinē, sed postea fructus doloris sanitate ministratur* Deniq; ubi

In Ier. l. 2.

ubi valetudine optata fruetur, doceat imposterũ sapienti diætæ præscriptione cavenda: *Ante languorem*, monet Syracides, *adhibe medicinã*. Ita Medicus christiana charitate alienæ se magis salutis, quam lucri sui sollicitũ esse demonstrabit. Tales si multæ resp. medicos nactæ essent, & feliciores illæ & medici honoratiores existerent.

CAPUT XII

Quantum felicis vitæ bonum sanitas, & quomodo conservandum, &, num infelices qui sanitate destituuntur?

SAnitati corporis multum in hac vita tribuendum, nemo, qui quidem vitam valetudinemque ante opes honoresque habendam esse duxerit, jure negabit. Unde cum auro redimibilis sanitas est, auro, quam sanitate carere malumus. Et Albertus Austriæ ac Belgarum Dux rogatus, cuiusnam rei jucundissima possessio esset? respondit, sanitatis. Nec olim ablusit Horatius

Si ventri bene, si lateri, pedibusque tuis, nil
Divitiæ poterunt regales addere maius.

1 Sanitatis bonũ ingẽs, quomodo cõservandũ.

Hujus conservandæ studium apud omnes est. Sunt qui opes ac dignitates aspernari visi; sanitatem vix quisquam. Pro hac servanda restituendave tot præcepta medicorum, tot vasa & thecæ pharmacopolarum sunt, ut integra his describendis bibliotheca vix sufficiat. Hippocrates tamen, de sanitate tuenda consilium

lium rogatus, brevi responsione expedivit multa. *Cibi*, inquit, *potus, somnus, Venus, omnia moderata sint.* Et mirum videri queat, quod tamen frequentissimum, ut cibus potusque unde vita sanitasque alitur, eandem quoque, cum immoderata sunt potissimum evertant. Democritus illorum ridebat stultitiam hominum, qui à Dijs sanitatem rogarent, quam ipsi immoderatè vivendo destruerent. Socrates valetudinis studioso abstinendum à cibis monuit, qui non esurientes ad edendum, & potibus, qui non sitientes ad bibendum provocarent. Vinum dulcis illecebra, sed immoderatè sumptum vertitur in venenum. Unde Sapiens monuit. *Ne intuearis vinum quando flavescit, & splenduerit in vitio color eius, ingreditur blande, & in novissimo mordebit, ut coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Vino igitur sanitatis amatori non nisi ad necessitatem, quandoque etiam ad jucunditatem, dum ita hilarior dies, conviviaque nonnunquam instituta exigent, uti licebit. Idque Germanis inprimis & borealis oræ hominibus, quorum natura frigidior hoc caloris fomento excitatur, ingeniaque ad consilia usumque perspicaciorem exacuuntur. Unde & priscis Germanis usitatum consultare inter pocula. Et memini audire me, à Fabio Chisio, legato Apostolico ad pacem Monasteriensem, postea Alexandro Pontifice, Germanis in potu aliquid indulgendum, quòd post libera-

Stob. ser. 99. de sanit.

Max. serm. 27.

II. Ebrietas magnopere officit.

Prov. 23.

Moperatus vini haustus conducit Germanis maxime.

beralem haustum maximè sint homines. Syracides rem universe definit: *Amaritudo,* inquit, *animæ vinum multum potatum: æqua vita vinum hominibus. Si bibas illud moderate sobrius eris. In jucunditate creatum est, non in ebrietate. Sobrius potus sanitas est animæ & corporis. Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit.* Cavendum itaque ne aliorum toties sanitatem (uti in convivijs assolet) bibas, ut amittas propriam, & dum amicitiæ indulges, contentiones excites: ne, dum corpus recreas, animam conscientiamque pessundes. *Luxuriosa res vinum, tumultuosa ebrietas.* Verum inconsultius sanitatem prodigunt, qui Zytho cerevisiâque, potu ex aqua frugibusque decocto, sese ingurgitant, crassisque humoribus ventrem caputque, ad vertiginem usque pleni, non nisi vacillantes domum lectumque quærunt. Hic potus, alibi dulcis ac turbidus; alibi pellucidus vinaceusque; alibi tumentes ventris folles implet, alibi facile solubilis diffluit, nusquam, aut jucunditati, aut sanitati magnopere favet. Henricus Abrinsis Poëta Anglus hoc illum carmine detestatur.

Eccli, 13.

Prov. 21

III Cerevisiæ immoderate sumpta maximè sanitati noxia.

Nescio quod stygiæ est monstrum deforme paludis,
Cervisiam plerique vocant. Nil spissius illâ
Dum bibitur, nil clarius est, dum mingitur. Vnde
Constat, quod multas fæces in ventre relinquat.

Quare Germani rustici operariique, ubi vini copia deest, hoc plerumque Zytho, idque feriatis maximè diebus, sese implent, adeoque nonnulli, ut insequenti vix die, turbato etiamnum capite, laboribus idonei sint, non levi sanitatis detrimento, quod octiduanda utcunque abstinentiâ instaurant. Opulentiores igitur vinum, ut salubrius ad Rheni præsertim Mosellæque natum fines, præferunt, quo minori valetudinis, non tamen animæ, noxâ exceditur. Turcæ vinum, ut vitiorum & seditionis fomentum lege sua proscripserunt, quanquam tam suarum legum reverentes non sint, quin subinde pocula hoc liquore plena exosculentur. Ut Busbequius se Constantinopoli vidisse senem memorat: qui vini calice manibus prehenso, ingenti sese clamore ad hauriendum accingebat. Rogati ejus facti causam amici, respondebant: Illum his clamoribus commonere animam, ut subducat tantisper sese, ne, dum hoc pro sanitate corporis hauriret vinum, ipsa pollueretur. Ceterùm, hoc ritu, senili ætati vinum, tanquam lac & alimentum senectutis, indulgendum putabant. Rectius illi, qui optima Dei dona non proscribunt lege sua, sed nec iis immodicè abutuntur.

Vinum apud Turcas non nisi raro bibitur. *In suo Itiner.*

IV. Gula sanitati inimica, cui Angli Scotique obnoxij: *Eccli*, 37.

Jam verò ciborum alimenta, ut humanæ vitæ sanitatique conservandæ necessaria sunt, ita sua quoque abundantiâ eandem obruunt. Ecclesiastici rursum prudens monitum est, *Noli avidus esse in omni epulatione, & non te effundas*

dās super omnem escam: In multis enim escis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adjiciet vitam, Non leviter hinc Anglorum Scotorumque dissolvi mores Jovius atque Hector Boëthius autores sunt. *Universa gens Anglica,* inquit ille, *supra ceteros mortales conviviorum studiosissima. Ea enim per varias & exquisitas dapes, interpositis Musicis atque joculatoribus, in multas saepe horas extrahunt.* Hic verò, *Scotos,* ait, *sensim Anglorum imitatione tanta incessit voracitas, tanta ingerendi cibi delicatioris aviditas, ut nullis escis plerique expleri queant, quoad venter adeò sit distentus, ut difficulter etiam anhelitum remittat.* Cetera his absurdiora praetereo. Illud compertum, hinc variam ingentemque morborum vim, sub temperato licet coelo, utrique genti incumbere & quosq; provectissimae aetatis inter agrestes, tenuique victu contentos reperiri. Germani nostri multis locis eandem ex immoderatis conviviis cladem referunt. Divertebat non ita pridem nobilis ad urbem vir, quam olim incoluerat: Et, *quam hic paucos, olim mihi notos familiaresque collegas,* inquit, *reperio! quot ex eis ante diem crapula sustulit* ! Alias non excipio gentes. Vibius Crispus cum Vitellij Imperatoris, bibonis & epulonis fortissimi, coenis morbo impeditus adesse non potuisset; excessu deinde aliorum cognito, *perieram,* inquit, *nisi aegrotassem.* Ita & nobili huic visum, qui per aemulationem exclusus orbe & officio fu-

lib. 2. hist.

lib. 17.

Nec Germani quis dam, aliique ab hac innoxii.

Caelius lib. 13. Antiq. c. 25.

Athenæus l.10.c.11. Plut. in Alex.

erat: *periturum se fuisse, nisi periisset.* Alexandrum Magnum firmatissimæ valetudinis Regem, quem nullus hostium frangere poterat, familiares convivæ Proteas Macedo, aliique robustissimi potatores fregêre, immaturoque, inflorente ætate, fato sustulêre.

V

Venus sanitatem enervat.

Nullum valetudinis robur est, quod ut à moderato cibo potuque alitur, ab eorundem immoderato usu non infringatur. De Venere quid dicere attinet? sanguisuga est, nervos viresque corporis infringit. Quare & Athletis hac olim interdictum fuit: nec illorum diu in bello præliisque virtus stetit, qui libidini succubuerunt. Hinc Stiliconi fortissimo militi Claudianus accinit:

Lib. 2.

Nec te jucunda fronte fefellit
Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper
corporis arbitriis hebetat caligine sensus,
Membraque Circæis effeminat acrius herbis.

Nimirum Circe non alio, quam libidinis Philtro Ulyssis socios in porcos fingitur commutasse. Ita hæc fascinatrix hominem, à sua natura & viribus degenerem, ad bestias abjicit. *O extrema libidinis turpitudo*, exclamat Hugo, *quæ non solum mentem effeminat, sed corpus enervat: non solum maculat animam, sed & fœdat personam.* Invictus hanibalis contra Romanos, tot gentium victores, exercitus, postquam Campani agri deliciis enervatus esset, felicitate ac successu pristino excidit, seque

Hugo de S. Vict.

Roma-

Romanorum virtute inferiorem sensit.

Et somnus ad sanitatem tuendam suis quoque temporibus cum moderatione definiendus est, neque enim, si negetur, postulante cum natura ad animalium spirituum refectionem, oeque si eidem ad torporem usque indulgeatur, valetudini conducit. De temporis mensura universe statuitur:

VI Sõnus ad sanitatem moderatꝰ facit, immoderatus officit.

Septem horis dormisse sat est juvenique senique.

Singulorum tamen videnda complexio, nam quibus natura humidior, horam adjicere, quibus siccior detrahere unam poterunt. Sed & laboris ac fatigationis præteritæ, tum cibi potusque aut tenuioris, aut largioris habenda ratio est. Nox etiam humidior tenebræque luci præferendæ. Si post prandium somnus aliquis premat, excludique vix possit, admittendus post alteram à mensa horam videtur, idque brevi tempore juxta Salernitanæ scholæ præceptum.

Aut brevis, aut nullus sit somnus meridianus.

Naturæ legem ordinemque violant, qui medias vigilando noctes transigunt, & optimam matutinæ lucis partem somno consumunt, quos, tanquam apud Antipodes versantes, reprehendit Seneca. Qui divinæ se parum dispositioni conformant, *divisit* enim *Deus lucem à tenebris*, &, ut illa uteremur, concessit oculos, ac *luminare magnum*

Lib. 22. Epist 123. Gen. 1.

in

in cælo accendit. Illi Dei opus corrigunt, *vertuntque noctem in diem, & lucem in tenebras.* vigilant, dum alii dormiunt, & dormiunt, cum vigilant, quâ rerum metaphorâ, Heliogabulum Rom. Imp. hominis monstrum delectatum esse memorant. Ita somno diuturniori addictos Æschines potiori vitæ tempore mortuis accensendos putavit. Et Plato tales, cum dormiunt, nullius esse pretii censuit; ut qui nihil vivente dignum agerent. Unde & Epaminundas belli Dux, dum quendam in excubiis obdormientem militem confodisset, severæ nimium correctionis reprehensus, factum excusavit; quòd eum *talem reliquisset, qualem invenerat*, vitæ officiis non fungentem. Nimium igitur somnum, inordinatumque, Principes Medicorum Hippocrates & Averroes, à sanitatis cupido proscribunt: ut, qui *membra laxet, calorem nativum hebetet, gravet caput, stupidos, socordes, obliviosos, ad vitia proclives reddat, ad labores verò, ingenuo dignos homine, segnes atque inutiles.* Porrò moderatus *somnus* Tertulliano judice, *est recreator corporum, redintegrator virium, probator valetudinum, pacator operum, medicus laborum, cui legitimè fruendo dies cedit, nox legem facit, auferens rerum etiam colorem. Collecta* enim (anima) *ad internas functiones animalium spirituum dispendia resarcit; Vitalis potētia in lævo cordis sinu, spiritus vitales exactius elaborat; facultas naturalis in alimenti decoctionem impensius incumbit.* Nec igitur fugiendus sanitatis studioso somnus erit, nec nimium

Max. ser. de somno.

lib. 7. de legib.

Brason. l. 6. c. 8.

Hip. 2. Aphor. 3. Aver. 6 collig. c. 4.

lib. de anima cap. 43.

mium amandus : solâ mediocritate salutaris est.

VII. Infirmitas tamen non minus Dei bonum est, quam sanitas.

Hanc proinde sanitatis adhibere curam, ut justum honestumque, atque ad humanam felicitatem obtinendam ingens adjumentum; ita; ubi erepta nobis sanitas culpâ nostra, vel divina providentia non fuerit concessa; tamē de summa felicitatis non erit desperandum, nam infirmitas non minus, quàm sanitas; mors juxta & vita, de manu Dei sunt. Sæpe etiam *melior est mors, quam amara vita, & requies æterna, quàm languor perseverans*; sed & infirmitas quandoque sanitate optabilior est, revocatq; vel invitos ab incontinenti vita ad temperantiam, & mortis novissimorumque memoriam ingerit; quorum valentes, vix cum sensu pœnitentiæ meminêre. Rectè Syracides: *Infirmitas gravis sobriam facit animam.* Cui adstipulatur Apostolus: *Virtus*, inquit, *in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis &c cum enim infirmor, tum potens sum.* Tria valetudinis afflictæ mala censet Romanus Philosophus, *Mortis metum, dolorem corporis*, *intermissionem voluptatum.*

Eccli. 30.

Eccli. 31.

2. Cor. 12.

Seneca Ep. 78.

XI. Mala, infirmitatis Christianæ animus in bona convertit.

Sed cum mortis timor, Christiano sæpe, intermissio voluptatum semper sit salutaris; ut animæ sua constet sanitas, dum corpus affligitur: non est, cur hæc malis accenseamus. Et doloris acerbitas, sive affligentem spectes, *qui quos amat, castigat*, sive animæ

tran-

tranquillitatem & commoda jure est sustinendus. Si peccasti justa est pœna; si vulneratus es conscientia, aptabilis medicina; si innocens es, habes amoris divini, & præmiorum in cœlo depositorum ingens solatium: habes & illud quod Apostolus suggerit. Bonum *licet*, inquit, *is, qui foris est noster homo corrumpitur; tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem.* Si vita mortalis periclitatur, jam æterna est proprior: *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis.*

2. Cor. 4.

2. Cor. 5.

Ingentia unius mali bona sunt. Quot mortalium animæ salutisque suæ negligentes, ad illius curam Deique timorem ac amorem per ægritudinem revocati sunt! Illustrium duorum Ecclesiæ Dei virorum admirabilis vitæ conversio exempli nobis loco futura est S. Franciscus Assisias, non ante à mundi vanitate, ad perfectiorem Christianæ vitæ statum animi cogitationes transtulit, quàm ut Bonaventura vir sanctus de sancto memorat, gravissimam corporis valetudinem XX ætatis suæ anno incurrisset, tum ille à negotiationis, aurique & argenti cumulandi studio, ad serviendum, majori emolumento rerum cœlestium, quàm terrenarum Deo, animum convertit, ac fundamenta jecit pietatis tam latè per Ecclesiam triplici nunc Religiosorum ordi-

X Multi per ægritudinē à vanitate ad Deum & sanctitatē conversi sunt.

In vita c. 1

ne propagatæ. Et S. Ignatij, Lojolæ instituti nostri autoris non possum non meminisse cuius & ipse, & nos, quotquot beneficio instructionis ipsius fruimur, ægritudini plurimum debemus. Militaris ille vitæ, gloriæque non obscurus sectator, Pampelonensi in arce, quam, dux ipse propugnatorum, defendendam adversus Gallos susceperat, graviter secundum tibiam læsus, ab ægritudine corporis, ad mentis sanandæ, vitæque ad Dei gloriam sanctius instituendæ curam versus, Societatem illam sub JESU nomine auspicatus est, quæ toto nunc orbe sparsa, gloriosi Ducis sui vestigia æmulatur. Multos seduxit valetudo integer, quos profligata restituit. Dunstanum Cantuariensem Archiepiscopum adhuc profanum vanitatibusque mundi immersum, nulla Elphegi Ventani Episcopi persuasio, ad castigatam religiosæ vitæ disciplinam traducere poterat; Deus febrim immisit, ultroque is convalescens, religioni se, & sanctitati (quâ postea eminebat) dedidit. Et Sergius Senogalliæ Princeps, suâ ebrius fortunâ, postquam elephantiasis illum deformasset, cœlitus sanitati restitutus, altiora meditari cœpit, terrenisque in pauperes & Ecclesiam erogatis bonis, Deo humilem; sed gloriosam servitutem servivit. Infirmitas multorum in anima malorum non rarò est medicina, felix cura, quando in ægro corpore mens convalescit.

Sur. tom. 3.

Non

XI Valetudi-nẽ afflictã multi in-tegræ præ-tulêre.

Non paucis valetudo magis afflicta, quàm integra placuit, & deforme, læsumque corpus, prætulerunt incolumitati. Pigmenius Rōanus presbyter captus oculis occurrebat fortè Juliano Imp. Apostatæ sibi olim noto: Cumque Julianus his eum salutaret vocibus, quibus cœcitatem exprobrabat: *Gratias ago Dijs, quod te videam Pigmeni.* Excepit ille, at *ego Deo, quod te non videam.* Martyrio subinde coronatus videre cœpit, *quæ oculus non vidit.* Non dissimilis illi Petrus Claræ vallensis Abbas, cum gravi in morbo alterius oculi jacturam passus esset: gaudere se dixit, quod *ex duobus animæ suæ inimicis, alter sublatus esset.* Mirum, quod de Benjamino Scetim sub Valentiniano Imp. vivente Nicephorus refert. Hunc intercutis malo afflictim adeò laborantem ut in lecto non posset quiescere, nullâ tamen suæ valetudinis curâ diversos aliorum morbos curasse, de suo dicere corpore solitus: *validum sibi nihil profuisse, ægrum nihil nocuisse.* Par Majoli Cluniacensis Monachi ægritudinis amor. Cœcus ipse aliorum cæcitatem, surdosque ac claudos sanabat, plusque se emolumenti ex cœcitate, quam in se curatam noluit, capere affirmabat. Et Ubaldus, sanctus Eugubinæ urbis Episcopus, cœco impense à se sanitatem flagitanti respondit: *restituti oculi animæ tuæ perniciem adferent,* ideoquedum ceteris visum redderet, hunc incuratum demisit. Ita multorum in ægritudine preces consultò amanterque à Deo rejiciuntur;

Sabel l. 5. c. 7. & Beda in Mart.

Lib. 10. hist. Eccl. c. 35.

Sur. tom. 5.

Steph. Cremon.

ciuntur; cum feliciores illâ fiant quam sanitate recuperata. Proditum in vita Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi memoriæ est: Quendam, pro valetudine ad sepulchrum deprecantem, exauditum fuisse. Verum dum in reditu versaret animo; sanitas ne recepta ad salutem æternam profutura sit? redijsse orasseque, ne aliud sibi, quam animæ foret salutare largitum vellet atque eodem repentè morbo correptum. Quod idem Audomaro cuidam cæco in Belgio, ad S. Vedasti Atrebatensis Episcopi monumentum, evenisse legimus. Rectè D. Ambrosius *Infirmitas corporis sobrietas mentis est. Infirmitas virtutum officina.* Quare Paulus ait: *pro me autem nihil gloriabor nisi in infirmitatibus meis.* Hæc quisquis constitutus in infirmitate cum Apostolo fecerit, haud minus se adversâ, quàm secundâ valetudine felicem sentiet, carmen Jobi semper recitaturus: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.*

Iac. de Vorag.

Sigebert. 358.

Serm. 74.

CAPUT XIII.

An laudabile & cum felicitate humana coniunctum sit propagandæ vitæ studium, & num aliquo naturæ vel artis beneficio extendi vita queat?

DUlcis vita plerisque mortalium, nisi quos desperatio præcipites agat, semper est visa, neque in minima felicitatis parte habita illius conservatio est. Invenies senectâ jam ulti-

I
Amor vitæ longioris mortalibus insitus.

mâ, ejusq; incomodis conflictantes, quibus tamē mortis gravis sit memoria, videbis calamitatibus obrutos, vinculis carceribusq; depressos, quos tamē inter hæc delectet vivere, & ad solū mortis nuntiū expallescant. Gravissimis afflictos morbis reperies, quibus tamen si inter hæc medicus spem vitæ faciat, & dolores levius ferent, & amara quæque pharmaca, quantumvis obluctante stomacho, sorde-bunt. *Mors terribilium omnium terribilissimum* esse vetus Philosophia censuit: Ex nova sic etiam Augustinus differit: *Mortis*, inquit, *diem omnes affuturum sciunt: cum tamen omnes, aut pœne omnes, differre conentur, etiam qui post mortem se beatius credunt esse victuros. Tantam vim habet carnis & animæ dulce solatium.* Quæ res licet quotidianis prope exemplis constet: non tamen facilè reperias tantâ cupiditate vivendi quenquam, etiam medios inter morbi inexpugnabilis, dolores, arsisse, quantâ Ludovicus XI Galliarum Rex arsit jam sexagenarius, ideoque morti proximus (quod nemo Regum Franciæ à Carolo Magno, eiusque filio Ludovico, hanc superasse ætatem existimetur) omnia cum humana, tum divina exploravit remedia, quibus vitam hanc mortalem extenderet cautumq; in aulâ voluit; ne quis mortis vocem, memoriamq; Regi ingereret, ad quā exhorrescente animo deliquium verebatur.

Dei gratia novi Test.

Memorabile studium propagandæ vitæ in Ludovico Gall Rege.

Lubet ex Comminio Spondanoque hæc paulo disertius adjicere. Gravi tenebatur

Commin. l. 6. c. Spond. ad An. 1482, n. 3. & 1483. n. 3.

batur Ludovicus morbo, frequentibus animi deliquijs, ob fractum exhaustumq; corporis robur, obnoxius. Quocirca ad mortem avertendam, neque expensis, quarum cetera profusus non erat, neque Medicis, artibusque diversis abstinebat. Musicam quâ excitari animus, vegetarique ad corporis sustentationem posset, exquisitissimam omni instrumentorum genere comparavit. Medicorum excellentissimum, ut rebatur, Jacobum Cocterium, eâ lege servandæ valetudini præfixerat, ut quot vitam prolongaret mensibus, toties decem aureorum millia eidem numerarentur, ut unicus huic annus, centena viginti peperërit aureorum millia. Nec satis id muneris: ingentes, & ipsi, & amicis terrarum possessiones largiebatur, Nepoti Ambianensem Episcopatum tribuit ac præterea sibi haud leviter insultantem passus est: ut sive exemplo aliorum tam lautæ fortunæ suæ vereri doctus medicus, sive avertendo per comminationem casu, Regi dixerit: animadvertere se, quod brevi expellendus cum amicis ceteris aulâ sit, id tamen affirmare, ultra octavum deinde Regem diem amplius non fore superstitem, quo Ludovicum metu in sui observantiâ continebat, qui cum medico vitam sese amissurum credebat. Ne tamen aversis ad hanc spem Superis etiam uteretur nec vota, nec munera templis impendenda, nec Sanctorum deniq; hominũ cõsiliũ opemq; negligebat. Supplicationes indictæ

publicæ; donaria ad varias miſſa Eccleſias: peregrinationes ad D. Virginem Cleriacam, & S. Claudium auxiliares ſuſceptæ: homines ſanctitate id ætatis clari ad Regem convocati, in quorum numero excelluit Franciſcus de Paula Ordinis Minimorum inſtitutor jam miraculis latè cogniti, quem ex Calabria rogatus Pontifex ſubmiſit, quem in genua provolutus Rex excepit. Sacræ præterea Reliquiæ Regi admotæ. Unde & Rhemis cœleſtis olei ampulla Regibus conſecrandis uſurpata, cupienti delata eſt, Linteumque Euchariſticum, quo D. Petrus in ſacrificij liturgia uſus fuit, Româ à Pontifice ſubmiſſum eſt, & ex ſacello palatij virga Aaronis tot miraculorum patratrix, Crux etiam victoriæ, Carolo Magno divinitus, ut ferunt, oblata, ad profligandam mortem adhibita. Denique Haguinus memorat, tanto vivendi deſiderio inſaniſſe; ut humano, ac præcipue infantum potus ſanguine ſalutem quæſierit. Tantùm verò ad cavendas inſidiantium ſuæ vitæ artes adhibuiſſe ferunt ſolicitudinis; ut juxta Pleſſiacum, cū paucis fidiſſimorum ſatellitum, ſe incluſerit, eumque omni ope munierit, ſpiculis etiam ferreis foſſas ſepſerit, validiſſimo cinxerit præſidio, neminemque nec propinquorum quidem, niſi exploratum, nunquid armorum ferret, admiſerit. Ne verò ægrotare cuiquam foris videretur, ſedulò omnia ſuo per regnum imperio, adminiſtrari curabat, plures ſontium plecti, Officiorum miniſtros præfectóſque move-

moveri loco, axautorari militem, peregrina, velut ad delicias venationemq; curari animalia: veritus ne per morbi opinionem cuiquam vilesceret. Ita valetudine ab octogesimo seculi anno ad 83 producta, denique vulgare carmen verum comperit:

Contra vim mortis non est medicamen in hortis.

II Variæ hujus amoris causæ.

Si quæramus, quid sapientem Regem, neque leges mortalitatis nostræ ignorantem, ad tantum horrorem mortis impulerit, plures se fortasse causæ offerent. Unam tangit Syracides: *O mors, ait, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis!* alteram producit idem: *Cum morietur homo, hereditabit serpentes, bestias, & vermes.* Illa ex amore præsentium, hæc ex horrore futurorum procedit: utraque valde potens. Illa Evangelicus ille dives tenebatur, qui dicebat animæ suæ: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Verùm tamen deceptum se miser reperit, cum audire coactus à Judice est: *Stulte, hac nocte repetam animam tuam & quæ parasti, cuius erunt?* Quis non miretur quorundam senum stultitiam, qui spe vitæ propagandæ lactati, quantò propiores sepulchro sunt, tantò cupidius opes cumulãt, ceu æternum victuri. Quorum plerosque repentina mors obruit, exemplis tam frequentibus, ut dum hæc scribo Treviris, memorabile senecionis ante oculos versetur, cuius vita tenuis, mors locuples atque intestata, & nec sacris quidem consuetis munita

Eccli. 41.

cap. 10.

Luc. 12. 19.

 depre-

deprehenditur; cum sola spes vitæ hominem in ultimo licet senio, delusisset; Sapientem in paucis, sed hic in multis desipientem. Altera causa plus habet terroris; at simul etiam emolumenti. Nam salubrium aliquando parens consiliorum est. Dum enim expendit, etiam hanc, quam fugit, mortem deniq; obeundam, exituq; tam fœdo corporis exculti esse, minus huic vermium escæ censet indulgendum. Memorat P. Cottonus Regis Henrici IV apud Gallos Confessarius, Domicellam quandam vitæ liberiori assuetam, sua quondam ipsi delicta confessam, sed à durioribus quæ proponebat pœnitentiæ operibus aversam, denique admisisse hanc legem : ut dum imposterum lavaret manus, tacitè apud se diceret: *hæc caro esca vermium futura est* : nec multò post, hac sæpius cogititatione in animum admissâ, insperatâ metamorphosi, ex dissoluta in continentem, ex vana in modestam speciem, præclaro exemplo transmigrasse. Nota mundo est admirabilis Francisci Borgiæ, Sanctorum nuper Catalogo asserti ex aulico in Religiosũ hominem commutatio, quam ex Isabellæ Reginæ Hispaniarum & Carolo V. conjugis funere duxit. Erat illa mulierum formosissima, aulæ decus & gratia; sed improvisa mors falce pulcherrimum hunc florem demessuit. Et licet per fusum balsamo aromatibusque corpus sarcophago inclusum ad regium sepulchrum transferretur, Francisco deducente; tamen cum juxta monumentum, resecato

In serm. de Morte.

rato

rato sarculo, testimonium de ea, tanquam vera Regina, dicturus esset, adeò deformis, sibique dissimilis ac teterrimo odore plena reperta est; ut Franciscus hoc spectaculo attonitus defigeretur ; non professurus eandem hanc Isabellam esse, nisi suæ magis custodiæ, quàm alienæ formæ certus fuisset. Tum verò ut salubri horrore, ita meditatione subeundæ paris aliquando sortis perculsus, aliam sibi deinde vitæ rationem ineundam decrevit, quâ ad illam, quam postea assecutus est , sanctitatem morum emersit.

Atque hoc optimum est leniendæ mortis remedium; quam sibi quisque tantò sentit duriorem, quantò molliori vitæ insuevit? quæ tertia gravissimaque mortis fugiendæ causa est, quàm depravatis sibi quisque moribus instruit. *Vix* enim, inquit, D. Augustinus *bene moritur, qui malè vixit.* Quæ fortè inprimis Ludovicum causa, à metuendo terribilique mortis conspectu, retro ad vitæ amorem impulit. *Cuius*, ut Spondanus ait, *vitam ac mores, qui breviter referre voluerunt, dicunt fuisse publicè Principem sapientem, felicem, ac severum; bonum Dominum ac liberalem; diffidentem amicum; crudelem inimicum; terribilem vicinum: privatim malum filium, ob rebellionem in Patrem; malum maritum, ob contemptam uxorem quamvis pudicam; malum patrem, ob neglectam filij educationem; malum fratrem, quod Carolum Aquitaniæ Ducem veneno sustulisse accusetur, deniq; Reges emancipasse, ob apertum ostium ad absolutissimam Dominationē, qui*

De doctr. Christ.

Ad an. 1483. n. 3.

qui primus pressam nobilitatem servire coegerit, & populum tributis oppresserit. Hæc ille quæ certè eiusmodi pleraque sunt, ut ex mortis horrore, vitæ illi longioris desiderium, etiam medias inter morbi calamitates, jure injecerint. Haud leve rationum pondus est, quod magnorum procerum, coram supremo Judice, cervicibus incumbit. Facilius in humili casâ quam aulâ mors excipitur.

Attamen, ut hæ omnes causæ mortis, fugiendæ desint: habet ipsa in se vita quod amore dignum est, cùm præstantissimum quoddam sit divinæ munificentiæ donum, quo proximè ipsi Deo assimilamur. Et si opes, honores, deliciæque, quæ propter ipsam vitam, vel alendam, vel exorandam desiderantur, aliquo in pretio habendæ sint; quid ni omnibus huius mundi bonis vita ipsa præstet? ut parum consulti mihi videantur, qui ob exiguam sæpe terrarum portionem, inimicitijs, bellisque collisi, vitam ipsam prodigunt; aut qui victus potusque, quæ ad vitæ sustentationem adhibentur, intemperantiâ, hoc est, vitæ alimentis vitam ipsam obruunt, illoque pereunt, quo essent munere conservandi. Quare qui in his actionibus ita versatur; ut vitæ, quàm ceterarum rerum, potiorem curam gerat, is mihi inprimis sapere, vitaque ac ratione, ut par est, uti videtur, neque Regem Ludovicum, etiam in ista profusione opum, quæ utique vitæ bono longè erant inferiores, culpavero; si non alio mortem intuitu, nisi præ-

sentis

sentis vitæ pretio atque amore subterfugerit. Cui opinor nihil gratius accidere potuisset, quàm cum Aquila senectutem suam innovare posse, aut illo frui beneficio, quo ante diluvium majores nostri frui leguntur, vel certè reparandarum aliquod in senio virium remedium occupasse. Quod cum plures dari non inutili disceptatione inquirant, mihi etiam hoc loco, in gratiam huius vitæ amatorum lubet investigare.

III Humanā vitam arte propagari diu, aut innovari poss. quidā negāt.

Mendozam Hispanum Philosophum, in suo florum Viridario, has vitæ propagandæ vires tam naturæ, quam ingenio humano denegasse reperio, aitque, hoc nonnullos contendere argumento ex Genesi, ubi Deus improbitatem hominum immisso per orbem vindicaturus diluvio: *Non permanebit*, inquit, *Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, eruntque dies illius* 120. *annorum.* Hos igitur cum fixerit humanæ vitæ terminos, non est quod illos vivendo reparata ætate quisquam se prætervehi posse existimet. Idemque ex Moyse stabilitur, querente: *centum viginti annorum sum hodie, non possum ultra egredi & ingredi.* Verum in hac sententia sese invicem illa destruerent. Nam cum Moyses se jam 120. implesse annos fateatur, & post idem tempus, licet senio debilis superfuerit, non fuisse hanc fixam à Deo homini vivendi metam, satis exploratum est. Et Mendoza agnoscit, hanc fallere rationem, quod exemplis contrarijs refellatur, & S. Romoldus 130.

Lib. 4. Probl.17.

Gen. 6.

Deut. 31.

vitæ

vitæ annis, pluribusque alij hunc limitem prætervecti sint: adeoque cum D. Hieronymo atque Augustino hos in Genesi 120. annos à Deo ad pœnitentiam, & diluvium avertendum oblatos fuisse hominibus asserit quod beneficium, cum à Noe moniti aspernarentur, & ipse Deus contracto ad centum annos tempore pœnam deproperavit. Hac ergo probatione cum deficere Mendoza alios sentiat: ipse alijs refutandam hanc ætatis innovationem argumentis insistit; sed minus etiam roboris adferentibus.

Primum est, quia, si industria humana, aut angelica etiam restitui senibus inventa posset; nihil impediret, quò minus vita alicuius in omne retro ævum propagaretur, fieretque, his remedijs semper adhibitis imortalis, quod à peccato Adami divinæ ordinationi repugnat. Verùm huic facilè objectioni respondetur: non ita vires pristinas in senibus instaurari, ut præteritæ juventæ vigor ex integro redeat, manere aliquam nativi caloris humidique radicalis jacturam, quæ, ceteris licet impedimentis senij ablatis, nequeat reparari. Exemplum nobis Deus in Aquilis *juventutem suam reparantibus* exhibet. Hæ enim licet fontis, quo se abluunt, solisque in cuius se radios efferunt beneficio, veteres excutiant plumas alasque, corpusq; novo perfusum robore vegetent, rostri aduncitatem petræ illisam corrigant, adeoque pristinum iuventæ decus, excusso senij languore recipere aliquoties videantur;

antur;sensim tamen calore humidoque naturali ex mutuâ repugnantiâ consumpto,succũbunt communique mortalitatis lege consumuntur.Hoc igitur & tali eventurum homini jure existimamus.Instaurare sæpius vires poterit,perpetuò illibatas nunquam tueri.

Qua responsione & alteram,quo Mendoza nititur,argumentum enervatur ; cum vim nutritivam sensim in homine deteri,ob elementorum in illo pugnam asserit quod affirmanti nos facilè indulgemus;ut tamen eidem externis adjumentis subveniri nequeat,quibus & tollantur impedimenta , & digerendi vis facilitatur,id haud poterit à naturalium rerum gnaro inficiari,aliàs nec læsam quidem in morbis valetudinem ars & remedia medicorum,ut sentimus , repararent. Paradisiaca vitæ arbor eandem pristinis etiam viribus ex nativa vi insita restituere poterat : quid ni igitur herbæ fontesq; dari queant,quibus detrimenta quædam illius sarciantur.

Suar. de opere 6 dier. l.3.c.15. n.2.

Sed quid pugnamus rationibus , quando pluribus certissimisque historijs compertum est,hoc ipsum,de quo disceptamus,evenisse. Quis enim neget fieri posse,quod factum fuisse evincimus ?

IV Affirmãtis sentẽtis fundamentum & veritas.

Et si nulla sufficiens nobis suppeteret ratio(ut multarũ sanè quæ fiunt rerum ignoramus)imprudẽtis tamen sit,omniũ,quorũ causas non assequitur , factorũ mirabiliũ eventus negare.*Naturæ* ait Eusebius Nierẽbergius miracula,*si ingenio nostro examinentur fide carent.*

hist. nat. l. 8.c.9.

An

Naturæ vires ingeniū noſtrū ſuperant.

Vis fontium.

An aſſequeris, quod indies vides, quemadmodum ex grano ſpica, ex bulbo flos, ex glande altiſſima quercus emergat? Minus certè, ſi naturæ vim ſpectemus, admirationis habet, quod de Indiano fonte Bonicæ inſulæ referunt, adeò ſalubribus eum ſcaturire aquis, ut epotæ reſloreſcere velut novâ juventâ ſenes faciant. Paracelſus inter Medicos venditare auſus eſt, vitæ ſe Mercurium reperiſſe (ſic enim pharmacum longævitatis appellare lubuit) quo amiſſas ætatis vires reſtitueret. Et ſi quotannis reviviſcere extinctas hieme arborum frondes videmus, floribus graminibuſque redivivis prata veſtiri, aves, boves, equoſque ex meliore pabulo, vires reſumere ipſis ſerpentibus maledicto ſubjectis vegetam ætatem reſtitui; hominiſne, ſeu ingenio, ſeu arti id negemus, quod his omnibus indultum eſt? Quercetanus apud Rejéſium, ex terræ quodam balſamo ſerpentes vim novandi ætatem, exutâ pelle, judicat attrahere. Ita Ficinus plantas dari quas Mirabolanos vocat, de longa vita tradit, quibus à ſenectutis ſqualore multo queat homo tempore præſervari. Rhaſis amicum ſeſe habuiſſe ſcribit, qui pota chalcanthi drachma, unicâ nocte ſenectutis canos abſterſit, ex Cygno repentè corvus. Petrus de Oſma, Epiſtolâ ad Monardū, ſcribit: Indum ſe vidiſſe, qui cuiuſdam herbæ ſucco, laborantes quovis morbo Hiſpanos, alioſque Indos, non fallente remedio, perſanarit, poſtquam corporis juncturis illo perunctis, ſanguineum

Mendoz. loc cit. ſupra.

Paracel. l. 4. aur. Med. c. 4.

Multa animalia ætatē reparant.

Reies in Campo q. 36.

Herbarum vis.

lib. 23. cont c. 24.

guineum copiosè ſudorem extraxiſſet ; eo-demque ſenes illitos,reparato corporis ro-bore habituque viſos repubeſcere. Ve-rùm nec precibus,nec pretio,nec demum intentatis minis potuiſſe adduci,ut alicui her-bam patefaceret.

lib. 1. c. 8.

Deodatus in Pantheo ſuo Hygiaſtico de inſigni archiſpargyrico Joanne Montano re-fert,quod Elixere quodam,à ſe confecto,ſe-nectam depoſuerit,caniſque deciduis, quen-dam florem habitumque inventæ reſumpſe-rit. Evonymus in ſuo theſauro aquam tantæ virtutis deſcribit,ut ſenij tædium moleſtiaſq; inſtauratâ ætate,abſtergat.

Medicinæ compòſitæ vis ad ætatē reparandā.

lib. 1. de ſecretis

Pedemontanus ſimilem geminâ deſcri-ptione exhibet,quæ licet magno labore (& poſterior etiam ſumptu) præparetur tamen inſigni ſanitatis & vigoris reparandi emo-lumento præſcripta videtur; ut quorum vita pretioſa eſt,ac reip. perquam utilis,hoc im-pendio non ſit negligenda.

Poſterioris deſcriptionem vitæ quibuſ-dam amatoribus, cum ſalubri admonitione, communicare in fine huius capitis non grava-bor. Prior ab ipſo autore requiri poterit.

Nunc hiſtoriis nonnullis veritatem aſſer-tam tueamur. Quarum ſiquæ forſan ſuſpe-ctæ eſſent, univerſarum tamen autoritatem elidere , vix prudens æſtimator audebit. Priſcorum ſcriptorum Valerius Maximus in rebus Memorabilibus recenſet de lon-gævis iſta, verbis ſuis : *Alexander*,inquit,*in eo*

lib.8.c.13.

volu-

Aliquot seculorũ senes.

volumine, quod de Illyrico tractu composuit, affirmat Dandonem quendam, ad quingentesimum usq; annũ, nullâ ex parte senescẽtem, processisse, sed multo liberalius Xenophon, cuius περὶ γήρως legitur. Is enim Latinorum Regem octingentis vitæ annis donavit, ac ne pater eius parum benignè acceptus videretur, ei quoq; sexcentos assignavit annos. Sed cum hæc à nostris nimium remota temporibus ægrè apud parum credulos fidem repertura sint, propiora nostro seculo, & ab oculatis pleraq; testibus excepta daturus sum. Eusebius Nierẽbergius, *a* Melchior Fonseca, Castaneda, ac Maffæus in historia Indica *b* rem narrant multorum præsentium testimoniis compertam: Rem, inquit Maffæus, *dicam quæ omnium hominum fidem excedat, tot tamen testibus, omni exceptione majoribus, probatam; ut non adhibere fidem turpius sit, quàm decipi. Vir est Cradezani, qui quartam nunc hominum vivit ætatem, in optima valetudine trecentos & quadraginta annos vixit, ter senuit, tertioque rediit ad florentem ætatem, tres uxores senio confectas sepelivit, filiam, nepotesq; habet nonagenarios. Eius regni* (Bengalæ) *octodecim Reges sibi succedentes vidit* Nierembergius alia quædam addit. *Quidam* ait, *è Gangaridum gente, hodie Bengala dicitur, Prætorem Nunnium Acunam adiit. Natus erat annos 335. Seniores enim, qui tum erant de hoc eodem grandævo se accepisse ajebant à Majoribus. Ipse filium nonagenarium habebat, & cum literam nullam nosset, quæ referebantur ab eo de veterum rebus gestis ad fidem Annalium congruebant. Aliquoties illi deciderant dentes, aliis continuò subnascentibus. Barba ubi*

a *hist. nat. l.3.c.8.*
b *lib.11.*

Reparata quorundã sæpius ætas fuit.

ſæpius incanuiſſet in atrum deniq; colorem ſemetipſa vertebat. Ante centeſimum annum Idola coluerat, inde æquè miſerabili errore ad nefariam Mahometis tranſierat ſectam. Is *propter miraculi novitatem, Regis Cambaiæ ſtipendiis ali conſuevit. Idē vitæ ſubſidiū à Nuñio petit. Nuñius haud gravatè aſſignavit.* Hæc Nierēbergius, qui deinde ſubjicit. *In montanis*, ait, *Iucatan, longævitas communior eſt. Plurimi ibi ſenes, nec mirum, ibi Ioañem Na centum & quadraginta añorum ſupereſſe Inventus eſt, qui trecenteſimū uſq; vixerat.* Et infra capite inſequenti: *Petrus Martyr ſcribit Indum ſenem cuiuſdam fontis lotione & potione omnino adoleviſſe, repetita iuventute. Tarenti fuit centenarius ſenex capularis, qui pilis, cute, unguibus, & ſitu ac ſqualore ætatis decitentibus, de ſeue iuvenis factus eſt, & quinquaginta poſt añis ſupervixit. Apud nos quoq; in Rioxa Caſtellæ, par fors alteri viro accidit. Vulgi fama id notum, & ab Caſtellæ Amiralio exploratum. Valeſius Tarenta ſuis ſcribit, ſe viro Monviedri (oppidum eſt Valentini regni, olim Saguntus) fuiſſe Monialium Abbatiſſam vetulam, cui ſubitò menſtruis floribus revocatis, dentes renati, comæ denigratæ, rugæ & ſulci cutis adæquati, & mammæ pendulæ, & pannoſæ inſtar virgunculæ ſororiarunt: ſic denique vulta, facie, toto corporis habitu juvenculam ſe exhibuit; ſed præ verecundia inſolentis eventus omnium oculis ſe ſubtrahebat.*

c. 9.

Qui-

VI. Quibus tot exemplis adducor, ut & illi historiæ fidem habeam, quæ de Joanne quodam Gallo ob longævitatem *de Temporibus* dicto, circumfertur, multorum monumentis consignata, de quo Bussierius in flosculis Historiarum: *Gallia*, ait, *suo privilegio visenda quæ per annos 361, aluit hominem. Is Ioannes à Stampis, sive à Temporibus dictus quasi temporum Dominus vitâ tam longævâ, sub Carolo Mag. stipendia meruerat, obijtque tandem sub Crassi filio anno Christi* 1128.

Bussiers ad an. Christi 1128.

Quam deinde historiam epiphonemate idoneo concludit, quæritque: *Felicem putas? Ego diu miserum. Nam præter communia tempestatum belli & morborum mala, quanta miseria per tot annos in momenta exspectare fatum, & subire mortem, quoties fugis: si mali metus malo gravior est?*

An felices habendi qui diu vivunt.

Quare præter Plinium, Solinum, Crinitum, Delrium, Nierenbergium ac Villalpandum, Paræum, Aldrovandum, aliosque bona Medicorum pars, quos novissimè citat, sequiturque in Campo suo Elysio à Rejes, sentit: innovari suis viribus atque ætate hominem, vel natura, vel arte posse, idque variis exemplis compertissimum haberi. Sapienter vereque Plinius naturalium rerum investigator solertissimus: *Naturæ vis, & majestas in omnibus momentis fide caret. Quid non miraculo est, cum primũ in notitiam venit? quam multa fieri non posse, antequam sint facta, judicantur.*

quæst. 26.

lib. 7. c. 1.

VII. Verùm inter illa naturæ artisque miracula longè illud à S. Gregorio traditum præstare sentio: *quòd homo in juniorem ætatem per Iustitiam reformetur, & quamvis fessus senio, rursus*

Serm 54. Quæ sit optima facillimaq; vitæ inno-

in puerum innocentiæ moribus renascatur; ita, ut interveniente mysterio ex vetulis iterum videamus infantes. De hoc mysterio Christus apud Nicodemum disseruit. *Nisi quis*, inquit, *natus fuerit denovo, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: quomodo potest homo nasci cum sit senex? nunquid potest in ventrem matris suæ iterum introire & nasci? Respondit Iesus: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua,* (baptismi aut pœnitentiæ) *& Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.* En novitas vitæ omnibus in peccato consenescentibus ad salutem ac felicitatem prorsus necessaria. De hac profectò studiosius peccatori homini, quàm de illa temporalis & corporeæ vitæ, cum imortalem spectet animam, inquirendum est. Hæc sat longa, si bene acta sit, & quantumvis longa, si malè transacta sit, brevis erit censenda: illa si negligatur ab homine, is non tam diu vivere, quam mori erit existimandus. Novam ætatem hominemque Paulus induit, qui de persecutore factus Apostolus, seriò nos secum invitat: ut *expoliantes veterem hominem cum actibus suis, induamus eum, qui renovatur in agnitiõe secũdum imaginem eius, qui creavit illum.* Et novam, ex prisco corruptoque homine, D. Augustinus Hipponensis Præsul auspicatus vitã, suo nos exemplo provocat, à carne ad spiritũ, à mundo ad Deum, generoso innovationis conatu, transgressus: *In Christo*, ait, *renovabitur, ut aquila juventus nostra. Etenim inveteravimus inter omnes inimicos nostros. Vnde inveteravimus? Carne mortali, carne ista fœnea; & ideo*

vandæ ratio, & ad nostram felicitatẽ accomodata:

Ioan. 3.

Ad Colos. 3

In Ps. 102.

percussum est sicut fœnum, & aruit cor meum. Cum his igitur, imo cum Christo in novitate vitæ ambulemus, ut cum Paulo dicere liceat: *vivo ego iam non ego, vivit verò in me Christus.* Quid ergo faciendum? Quæris? quod Augustinus, quod Paulus, quod mille alij & aliæ, etiã tenellæ Virgines & adolescentes fecêre, deserenda est lata mundi carnisq; via, & angusta Christi semita terẽda est cum serpente, ut vetus detrahatur pellis, angustiæ subeundæ sunt. Nam *lata*, quâ superbi & ambitiosi, carnales & ventri gulæque dediti, quâ cupidi avarique, quã invidi & vindicativi, quâ iniuriosi & oppressores pauperũ incedunt *via, ducit ad perditionem. Angusta autẽ est via, quæ ducit ad vitam, & quã pauci intrant per eam?* Difficile est in his angustiis, pellẽ exuere veterem, hominemq; cũ actibus suis exspoliare, carni & mundo emori, ut renascaris cum Christo. Tamen novũ te esse, & spiritualem hominem necesse est, qui non sapias, nisi quæ Dei sunt. *Si consurrexistis cũ Christo* (renovatis dicitur) *quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Et quam pauci sunt, qui ita innoventur, hominemq; totũ ac sensus mutent; ut non sapiant amplius terrena, sed tantum cœlestia! In his tamen nisi te denique inveneris, non es verè renatus, nec aptus regno Dei. Longè nihilominus hæc renovandi vitam ratio, & facilior, & utilio, honestiorque, imo & jucundior illâ, quâ corporis vetustas juvenili vigore atque ætate reparatur.

Colos. 3.

Ut

Ut siquis ad hanc aspiret, & quis tam suam est pertæsus vitam, nisi desperatus, qui remedium hoc respuat?) demens habendus sit, si illam novitatem aversetur. Facilior illa spiritualis innovatio est, quia tuo in arbitrio sita est, & si tantum serio velis ac cum David animosè pronunties: *dixi, nunc cœpi*, jam es assecutus. Ite lubrica, brevia, fallacia mundi bona; vobis renuntio: certa, æterna, nunquam fallentia cœli bona ambio amplectorque. Ite, ite; *dixi, nunc cœpi*. Ite impuræ ventris gulæque ac carnis deliciæ; longè aliam cælestium bonorum voluptatem, hic in familiaritate, olim in fruitione Dei sitam, præfero. Ite vos, ite: *dixi, nunc cœpi*. Ite dignitatum mortalium umbræ, famæ, & honorum fumi: amicum Dei esse in ultima servitute, quam mundi, in suprema majestate præstat. Ite, vanissimæ vanitates, ite: ad Deum, & cœlestia, & infinita, & perpetuum duratura me bona, opes, delicias, honoresque convertam, ite. Jam, quod utilius vitæ lucrum sit, quis non videat? Nunquid animam à vitijs, à morte, ab extremo discrimine exitioque, quam corpus revocare præstat? Illius lapsum mors consequitur, & quidem inter supplicia, sempiterna nec solùm illa moritur, sed corpus in eandē secum abstrahit ruinam. At huius jactura vitæ temporalis est, multisq; hominem absolvit molestiis, animæque, si renata sit, ad infinita cœlorum gaudia, & nunquam terminandam vitam, aditum pandit, ut

amari magnopere non possit, nisi à melioris vitæ exspectatione, & certâ spe, destitutis. Porrò gloriam desideras? *magna est gloria sequi Dominum.* Jucunditatem & gaudium quæris? *Iusti epulantur & exultant in conspectu Dei, & delectantur in lætitia.* Nec magna solum hæc bona sunt sed & perpetua; *At laus impiorum brevis, gaudium autem hypocritæ instar puncti.*

Ps. 67.

Iob. 20.

Ad illam igitur spiritualis vitæ novitatem, si sapis, si felicitatem animamque tuam non odisti, aspira. Quæ si ardua tibi (ut solet principio in affixis nimium carni & sanguini) res visa fuerit, tantum aude, non tuâ; sed Dei Christique te invitantis confisus virtute; & assequeris. Nam *qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, ut aquilæ* (juventutem innovantes) *ac requiescent.* Quam omnibus lectoribus beatitudinem in hac vita & æternam simul in futura, ex animo faveo precorque.

Isa. 40.

VIII. Remediū à Pedemōtano pro instauratione sanitatis & vitæ suppeditatū.

Reliquum nunc est, ut promissam ex Pedemontano viro expertissimo Medicinam exhibeam, quâ etiam hujus vitæ salus propagetur. Geminam, ut dixi, exhibet; prolixioré unam, & multa præparatione egentem, minus tamen impensarum, ex rerum adhibitarum pretio, requirentem. Cui talem præfigit titulum. *Liquor, seu potiu pretiosissima, & inæstimabilis virtutis, quæ conservat, & restituit calorem innatum, & humidum radicale, retinetque tū sanguinem, tum ventriculum purum ab humoribus omnibus noxijs, ac postremò custodit, & in statum pristi-*

lib. 1. de Secretis cap. 2.

pristinum reducit sanitatem, & juventutem, producitque vitam. Hoc quia prolixius, variasque diversatum herbarum decoctiones ac distillationes requirit prætereo animique causa minus operosam auri potabilis conficiendi rationem adjicio, quod eiusdem statuit esse virtutis. Sic habet eodem in libro capite 5.

„ *Modus conficiendi aurum potabile, ad „ conservandam sanitatem & juventutem, sive per „ se sive cum ea potione, cuius in cap. 1. lib. 2. men- „ tionem fecimus. Præterea sanat omnem morbum „ incurabilem, septem ad summum diebus.*

„ ℞. Succi malorum limoniorum men- „ suram unam, quam ad ignem donec penè e- „ bulliat, sines: deinde primò ter aut quater per „ linteum, denique per pannum laneum cole- „ tur, addanturque,

„ Mellis non despumati lib. II. Salis „ communis in pulverem redacti libræ S. co- „ quantur omnia lento igne, donec mel opti- „ mè despumatum fuerit. Atque hæc omnia „ distillare convenit, primò quidem igne per- „ quam lento, deinde majori, postremò maxi- „ mo. Materiâ autem refrigeratâ, alembicum „ simul cum aqua recipientium vasorum tolla- „ tur, colloceturque in phialam vitream, atque „ ita, ne aliquo modo exhalare possit. Quo „ facto, fæces, in cucurbitæ fundo relictæ, ex- „ imantur, atque in ollam coopertam, & luto „ involutam, ut igni resistatur, imponantur, „ atque, vel in figuli, vel in vitriarij fornace col- „ locentur per dies tres. Hanc ergo materiam

„ fumito, atque fubtiliter pulverizato, quæ fi
„ fuerit libra una, quatuor uncias mannæ, &
„ duas facchari candidi adjungito, fi minus ap-
„ penderit, minus addito, ita ut cum proporti-
„ one refpondeat, omniaq; in cucurbitam vi-
„ tream bene lutatam, unà cum aqua fuperius
„ in phiala confervata injicito, bifque tantum
„ aquæ vitæ efficaciffimæ addito, quantum di-
„ cta aqua fuerit. Deinde alembico fuperim-
„ pofito, primò igne lento diftilletur, quoniã
„ afcendit facilè: deinde cũ diftillare ferè defi-
„ nat, ignis augeatur, quo omnia diftillatione
„ eximantur. Hâc denique cucurbitâ, reci-
„ pientiumque vaforum aquâ relictâ, ac mini-
„ mè commotâ, ufque ad ufum.

„ Adhæc fumas foliorum auri puriffimi
„ XXIV characterum, & cum cæmento, vel
„ antimonio purgati, eo pondere, quo uti vo-
„ luerit, atque in catino vitreato, cum julap-
„ pio rofaceo & violaceo conteras, eo mo-
„ do, quo colorum materiæ ad fcribendum
„ conteruntur. Quare auro optimè trito,
„ atque melle aqua calida abluto, ut infe-
„ rius docebitur, in vitream cucurbitam con-
„ jiciendum erit.

„ Quibus factis, alembicum fuperius in
„ fornace, unà cum vaforum recipientium
„ aqua relictum, auferas, atque in phialam
„ vitream angufti oris reponas, ne ullo modo
„ exfpiret. Itaque prædicto auro tantum huius
„ aquæ fuper infundas donec ad 5. digitos emi-
„ neat: deinde alembico fuperimpofito, ita ut
refpi-

,,respirare nequeat,igne admodum lento di-
,,stilletur,donec aqua supra aurum posita om-
,,nis exigerit. Neque in fine ignis est augen-
,,dus,neque etiam mirandum,si aurum ex to-
,,to non exiccatum fuerit. Aqua autem om-
,,ni detracta alembicum unà cum vase recipi-
,,ente elevetur,atque rursus aqua,superius in
,,vitrea phiala angusti oris servata, superin-
,,fundatur usque ad quinque digitorum altitu-
,,dinem. Quo facto,alembicum cucurbitæ
,,imponatur, obtureturque optimè,ne quo
,,modo exspirare queat, deinde distilletur
,,igne lento,ut prius. Aquâ autem omni ex-
,,tractâ,rursum unus alembicum attollat,alter
,,verò novam aquam infundat usque ad 5 di-
,,gitos; deinde distilletur,ut prius,atque hoc
,,toties iteretur, quoad omnis aqua auro su-
,,perinfusa distillata fuerit.

,, Postremò aurum à cucurbita eximito,
,,atq; in aliam cucurbitam vitream non valde
,,magnam ponito,superinfundendo omnem
,,aquã sæpius distillatã.Deinde alẽbico super-
,,addito,in balneo Mariæ tepido,& nõ fervẽti
,,relinquatur per 15 aut 20 dies,ita ut nequa-
,,quã distillet.Deniq; aucto igne distilletur in
,,dicto balneo Mariæ bulliẽdo,donec totus fu-
,,mus exierit, atque sic in cucurbitæ fundo ,,
,,aurum in liquorem pretiosissimum dissolu-
,,tum videre licet,quod in vase vitreo bene
,,obturato servetur.

,, Quod si quis subtilius atq; efficacius para-
,,re volet,is sæpius distillationes iteret,eoque
,,modo procedat,ut superius, nempe tantum

„aquæ ipſius ante diſtillatæ rurſus ſuperim-
„ponat,ut ad quinque digitos accedat, hoc-
„que toties faciat, quoties volet. Atque ſic
„verum phyſicum,& perfectiſſimum aurum
„potabile habebis. Quo ſiquis ſemel, aut bis,
„in menſe utatur,conſervat juventutem,ſani-
„tatem omnemque incurabilem ægritudinem
„paucis diebus perſanat.

„Hac etiam via ac ratione argentum in
„folia redactum parari poteſt, quo Anglum
„quendam vidi ſanare ægritudines corporis
„humani graviſſimas. Hæc ille:quibus ad ſa-
nitatem corporis uti licebit.

IX Salutare conſilium remedii certiſſimi.

Quod ſi verò ad ſanitatem animæ aurum aliquod potabile requiras,parabilius multò ſimul & præſtantius ab Apoſtolis Chriſtoque nobis remedium oblatum eſt Charitatis. Nam quod in metallis aurum,in virtutibus Charitas eſt,quæ remedium univerſale omnium morborum eſt;quia *operit multitudinem peccatorum*,uti Magdalenæ,*dimiſſa ſunt peccata multa,quia dilexit multum*. Imò hæc ſola & unicum remedium eſt:quia *qui non diligit manet in morte*.Hæc ſola in omnibus ſufficit,quia *plenitudo legis dilectio*. Sine hac nihil ſunt cetera.Nam,*ſi Charitatem non habuero,nihil ſum*.

1.Pet.4. Luc.7.48. 1.Ioa.3. Rom.13. 1.Cor.13.

Imo hæc eſt,quæ veram nobis largitur vitam: *nos ſcimus*,ait ille Charitatis præco Joannes,*quia translati ſumus de morte ad vitam, quoniã diligimus fratres*. Neq; hæc temporalis ſolum vita animæ eſt,quæ in Dei amore gratiaque conſiſtit; ſed etiam ſecum trahit felicitatem

1.Ioan.3.

citatem vitæ æternæ. Unde quærenti legisperito : *Magister , quid faciendo vitam æternam posidebo ?* respondet Christus : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Hic dilectionis ardor, *ipse est spiritus, qui reddit testimonium spiritui nostro quod sumus filij Dei si autem filij & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Quo major, neque huius, neque alterius vitæ felicitas potest exspectari ; quandoquidem , in uno Dei amore, omnium bonorum possessionem , re, aut spe certâ, obtinemus.

Mat. 22.

Rom. 8. 16.

X
Amare bonū homini non est difficile.

Et hæc sanè Charitas longè facilius auro illo potabili comparatur. Cui enim difficilè videri debeat, amare illum, à quo summè amatur, vitæ suæ, bonorumque omnium largitorem , fontemque diligere ? D. Bernardi voces sunt : *Inexcusabilis est omnis etiam infidelis , si non diligit Dominum Deum suum , toto corde, totâ animâ, tota virtute suâ. Clamat nempe intus ei innatâ & non ignotâ ratione iustitia , quia ex toto illum diligere debeat , cui se totum debere non ignorat.* Nos Christiani , quid obsecro , in turpi illo nostro Charitatis frigore dicturi sumus, qui inflammatos illos divini Charitatis ignes, in assumpta à Deo fragilitate naturæ nostræ, in redemptione tam admirabili Servatoris nostri, in tam horrenda morte pro nobis obita , experti sumus ? Cum si omnino nihil neque tribuisset nobis Deus , neque nostri causâ sustinuisset , neque in

Tract. de dilig. Deo.

futura

futura cœlorum eiuſque gloriæ poſſeſſione deferret:tamen cum verâ à nobis fide,ut ſummum maximumque bonum, omnique in ſe amore digniſſimum cognoſcatur,jure ſummâ dilectione eſſet amplectendus. Nam ſi omne bonum amore dignum ſit,quid ni ſummo ſummum? Memorant Alphonſum illum magnum Arragonum Regem adeò incredibili amore exarſiſſe in unam Virginem Neapolitanam Lucretiam,eius ſolùm captus pulchritudine;ut ea præſente conſpectaque,nemi nem præter unicam illam audire,ac cernere viſus ſit,toto in illam animo ſenſibuſque translatus. Hæc illi præ mortalibus omnibus credita ſapere,huius verba,tanquam ex oraculo prolata excepit,nihil illi negabat,nec quicquam alijs niſi illa probante largiebatur. Nec tamen illicitis eius complexibus,plures ſentiunt,potuiſſe eum potiri: quod diceret Lucretia: Virginitatem ſibi volenti Regem nunquam ablaturum,& ſi tentaret,non imitaturam ſe Lucretiam Romanam Collatini conjugem,quæ admiſſo ſcelere ſibi mortem conſcivit; ſed facinus morte præventuram. Rarus amor in Rege,ſed in Virgine,ſi verus eſt,rarior,quæ Regem ita amaret,ut magis Deum,neque ullis in ſcelera præmijs ab hoc divelli poſſet. Non leviori eodem tempore Carolus VII Galliarum Rex Agnetem bellam,ſeu Dominam pulchritudinis dictam, puellã Franciam, complectebatur.Illius enim cum præter formæ excellentiam ſermoface-

tus

Spondanus ad an.1456 n.8.ex Gobellino in Comment. Pij II.l.1.

XI
Amor mortalis boni ingens.

Spond.ibid n.12.& 13.

tus blandusque esset, hanc secum in aula esset voluit, & Reginæ proximam, hanc ubique suo adhærere, publicè privatimque, in cubiculo consilioque, lateri, adeò impatienter eius ferens absentiam, ut, nec horâ quidem, illâ carere vellet; persuadere interea conatus, suum hunc amorem castum esse, eaque amœnæ conversationis gratia, loco aliorum adulantium, lætari. Cumque ex illa nasceretur filia, licet aliarum concubitu Rex infamis esset, hanc tamen ex se prodire negabat; ut liberius eius palam consuetudine frueretur, quam donis cultuque superbissimo excolebat. Adeò potens, vel unius creatæ pulchritudinis illecebra est, ad amoris in nobis excitandum alendumque incendium. Quidni igitur amore judicemus dignissimum illum, qui est *speciosus forma præ filijs hominum*, in quo non creata tantùm super mortales universos; sed & increata pulchritudo, immenso inexplicabilique decore, excellit? Convertamur D. Augustini verbis ad Deum nostrum, intimisque animi sensibus pronuntiemus: *Si sponsa sponso tanto conglutinatur mentis ardore, ut præ magnitudine amoris nulla perfrui valeat requie, chari sui absentiam non sine magno mœrore ferens: qua ergo dilectione, quo studio, quo fervore anima, quam desponsasti tibi fide & miserationibus, debet diligere te verum Deum, & pulcherrimum sponsum, qui nos sic amasti & salvasti, qui pro nobis tanta & talia fecisti? Quanquam enim hæc infima habent suas dilectationes, suosque*

XII Immortalis boni amor meritò præferendus. *In Medit. c. 35.*

suosq́, amores, non tamen tali modo delectant, sicut tu Deus noster. In te enim delectatur iustus, quia amor tuus suavis est, & quietus: contra amor seculi anxius est & perturbatus, semper enim suspicionibus & perturbationibus variisque timoribus eos solicitat. Ecce aurum potabile, paratu haud difficile, usu haud injucundum, quid enim facilius, quàm amare bonum optimum? quid jucundius, quàm illi per amorem sociari, & velut per complexum frui? Hujus pulchritudo nunquam deformatur, bonitas nunquam deficit, voluptas nunquam exhauritur. Vis illius adeò potens est, ut omnem mortis timorem eliminet, vitæ mortalis satietatem expleat, immortalisque possessionem apprehendat. Charitas cum ipsa non veretur Morte congredi; Nam *fortis, ut mors dilectio*, imò fortior illâ, quia victrix. Postquam enim *Mors & Vita duello conflixere mirando*, & *Dux vitæ mortuus regnat vivus*, omnia prona ad victoriam mortis sunt Deum amanti.

Nec longè ejus rei exempla nobis petenda sunt, quando Apostolorum nullus est, quin amando mortem vicerit, gloriosèque de eadem triumphârit. Quot subinde Martyrum amore incredibili Dei vitæque melioris, ad mortem, ceu januam vitæ felicioris, anhelarunt, quantumvis acerbissima ante oculos Tyrannorum supplicia, gravissimam corporibus mortem intentarent! Audi unius Martyris Ignatii ex illius Epistola orationem, & aliquam ex hac flamma amoris scintillã mutuare.

Epist. Ignat. ad Rom. & D. Hieron. de Ign.

Vti-

Vtinam, inquit, *fruar beſtijs, quæ mihi ſunt præparatæ, quas & ore mihi veloces eſſe ad interitum, & ſupplicia. Ignoſcite mihi, filioli, quid mihi proſit, ego ſcio. Nunc incipio Chriſti eſſe Diſcipulus, nihil de his quæ videntur deſiderans, ut Ieſum Chriſtũ inveniam. Ignis, crux, beſtiæ, confractio oßium, mẽbrorum diviſio, & totius corporis contritio, & tota diaboli tormenta in me veniant: tantum Chriſto fruar.*

XIII. Mortem Dei amor contemnit; vitam obtinet.

En quotquot ad mortis expalleſcitis memoriam timidi mortales præſens vobis remedium, ſine ſudore, ſine pretio comparabile, exhibeo: *Deum amate,* & mortem non formidabitis. En cupidi vitæ ſectatores, vitam, per me licet, avidiſſimè conſectamini: verum illam, quæ deinde nullam extimeſcat mortem, nullũ involvat malum: quæ vera, quæ immortalis, quæ æterna ſit, omniſque boni plena perfectaque apprehenſio, quam languor deinde nullus turbet, nulla calamitas infeſtet, nulla abrumpat infelicitas. Ad hanc porrò vitam ſola nos deducet *ardens in Deum Charitas.* Hæc facilem aperiet viam, pericula cuncta inſidiantium diſcutiet, difficultatum obſtacula perrumpet, profligabit obſtantes, noſque Chriſto vitæ fonti æternum coniunget. Tali correptus ardore fuit, qui exclamare auditus eſt: *Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia? an fames? an nuditas? an perſecutio? an gladius? Certus ſum, quia neque mors, neque vita neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes; neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neq;* *Rom.* 8.

alti-

altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare à charitate, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Ita Apostolus solâ charitate armatus, terram, homines, inferos, Dæmones, cœlum, Angelosque, aut faventes habuit, aut victor superavit; contemptor mortis, occupator vitæ, triumphator solo amore universorum. Breve mortis antidotum, vitæq; præsidium est, ama & non morieris, etiam dum moreris, vives; nec in tempore solum, sed æternitate.

CAPUT XIV.

An podagrici infelices sint, & aliquod pro illis remedium dari queat?

POdagra à Græcis quidem nomen trahit, sed apud Latinos, Italos, Hispanos, Germanos, Gallos, aliasque gentes notissima, per omnes peregrinata nationes, quantumvis pedibus clauda, videtur, iis tamen præcipuè regionibus Procerumque domibus delectata, ubi Bacchus hospitatur: quem sibi jam olim pro nutritio cooptavit. Unde vilem ferè plebeculam aspernatur, & hominum mundi huius bonis abundantium, ac felicium tectis, sericoque delectatur ac purpura: ut non inepto Apologo Petrarcha ex Cælio Curione traditur. Podagra nempe, & Aranea, postquam ex societate ejusdem lecti, familiaritatem contraxissent statuerunt mutato hospitio alibi fortunam suam experiri. Quocirca itinere auspicato ad oppidum perveniunt, ubi Aranea, ut

Podagra ferè in divitum domibus recipitur, à tenuioribus exclusa.

Epist. 39.

ut erat expeditior, ad ſpatioſam opulenti hominis domum divertit : Podagra verò tardior, cùm ultra progredi nequiret, in pauperis tugurio hærere coacta eſt. Sed utriſque proviſum peſſimè. Aranea, ut primum occupato quopiam angulo telam exorſa fuit, repentè ſcopis ancillarum disjecta , non leve , præter laboris jacturam, vitæ periculum adibat. Podagra neque refectionem, inter ruſtica menſæ obſonia, neque quietem in duriſſimo lecto idoneam reperit : ut gemebunda ſuſpiranſque noctem diemque inſomnem ac jejunum traduceret. Aranea reſcire cupida, quâ ſorte familaris ſibi Domina Podagra hoſpitio excepta eſſet, eandem inviſit , cumque intelligeret menſæ tenuitatem , cæteraque domus vacuæ ac ruinoſæ incommoda, ſuam quoque divitis in humanitatem queſta eſſet : convenit inter utramque de hoſpitio permutando, & Aranea quidem pleraque ſibi in illa pauperis taberna reperit perquam opportuna, plena omnia rimarum , Seniculam languidam, ancillam dormiturientem , & in pingui ex Zytho menſa conferta muſcarum agmina. Podagra verò inde ſe ad opulenti divitis aulam multo conamine extollit, tandemque admiſſa, lautiſſimam omni apparatu cibi, viniq; in vitris diverſis ſplēdeſcentis menſam reperit, ubi poſtquam ſe ad pedes Domini aſſidentis demiſiſſet, iſque venientem ſenſiſſet, ore torvò renidens, queritanſq; ; exquis iſtic novus hoſpes adventaret ?

tamu-

famulos, famulasque inclamat, qui subitò ad serviendum Dominæ Podagræ, & excipiendã suaviter accurrunt: culcitræ olorinis pennis fultæ, molles ex lana Anglicana, sericoque vellere quæruntur tapetes, lecti plumeis suffarti montibus: tota ad obsequium aula circumfũditur. Dolorem multi promunt, alij plures simulant, nonnulli etiam solantur, quòd longæ vitæ argumentum sit, Podagrâ corripi. Unde factum, ut Aranea deinde pauperum, Podagra opulentorum domos incoleret, cum tanta utrimque humanitate, & hospitalitatis gratiâ excepta fuissent.

II. Podagra subinde etiam ad tenuiorum & religiosorum tecta invisit.

Quanquam ea se lege adstringi nolint, quin subinde veteris consortij memores ad eandem unà domum transeant. Neque enim ita Podagra addicta est divitibus, quin subinde tenuioris etiam fortunæ homines, ac religiosis quoque in domibus parcè viventes invisat, tum præsertim, quando cum parentibus familiaritatem contraxit; aut immoderato læduntur frigore, neque enim ex solâ copia hic morbus nascitur, quamvis proximum ipsius alimẽtum frigidorum humorum sit abundantia, quæ per antiperistasin in membris calorem operatur, dum nativi caloris vigorisque beneficio artus resistunt, diuque pugnant, donec victi tandem frequenti assultu expugnentur: quod rarum huic malo remedium, nisi tempestivè & in non hereditario malo adhibitum, reperiatur.

Novi

Novi virum illustrem D. ab Horst Cancellarium quondam Serenissimi Principis Juliæ Wolffgangi, qui extremè arthriditis, podagræ, chiragræ doloribus afflictus, à Medico Italo promissionem sanitatis habuit, verùm quod hæreditarium, idque jam senex, malum sustineret, hoc subire periculum noluit, ratus sibi nisi per mortem aufferri podagram non posse. Et Leoni X Pont. gravius ex arthridite decumbenti Romæ Agyrta nonnemo certam nuntiari spem auferendi per se mali fecit. Tum Leo ad nuntiantem: cujusnam, ait, homo conditionis est? Cumque vulgaris esse, respondisset. *Apage*, inquit, *hoc impostore. Podagræ certum curatorem in auro purpuraque convenit incedere, & principes æquare opibus*, qui ab incurabili tot seculis malo principes queat viros eximere. Certè si remedium efficax repertum esset, id summos Imperatores Regesque sæpe graviter afflictos non lateret, qui plerasque regni opes pro sanitate oblata deferrent. Ptolomæus Philadelphus Ægypti Rex inter podagricas conflictationes, quas sibi ex deliciis lautitiaque aulica generari non ignorabat, dum quosdam Agricolarum ad flumen vili prandiolo lætos exultantesque videret, *infelicem me*, inquit, *qui unus ex eis esse non possum*. Nec facilè podagra aliis incomitata malis advenit, ubi invalescit, & chiragram, & ischiaticam, arthritidemque vagam, ac nodosam, denique & colicam ac paralysin secum trahit, quæ pleraque mala Æneas

112 Podagra in multis præsertim hæreditariè laborantibus incurabilis.

Beierl. in Apopht. Christ.

Athenæl. 1.2. c. 17.

Sylvius, jam Romano in folio Pius II Pontifex, infracto animo ſuſtinuit. Neque ſpem ſanitatis à medicis cujuſquam artibus vir ſapientiſſimus concepit, delectatus illâ D. Auguſtini ad Deum oratione: Hic ure, hic ſeca modò in æternum parcas, Ita ſua hac infelicitate fortiter tolerata felix.

IV. Leniri malum poteſt, cauſis ipſius remotis.

Ceterum leniri hoc eorum malum poterit, ſi cauſas, quantum licet, removeant. Hujus autem plures Medicus eruditiſſimus Franciſcus Idias Varonenſis in Tractatu ad Clementem VIII Pont expoſuit, partim internas, partim externas. Has ait eſſe, *otium, quietē, crapulam, Venerem, cibos crudiores, nimiam exercitationem, perturbationes animi vehementes, immodicas vigilias*, quas ſubmoveri moderatione earundem rerum optima cupiebat.

Internas verò cauſas dedit *humorum abundantiam, imbecillicitatem cerebri, lienis, hepatis ac ſtomachi*, quibus ſalutari diætâ ſubveniendum. Mirum fortè cuiquam videbitur, quod otium ad fovendam podagram faciat, contraque & ipſe labor; ſed ut otium nocet languore, quo noxii humores velut in aqua ſtagnante putreſcant; ita labor nimius conciſſione & attritione membrorum offendit. Sola mediocritas ſalubris eſt. Nonnunquam in dolore otiari Podagricus cogitur: de quo otio Publius Cyrus quæſtionem hanc movit: *quodnam eſſet otium moleſtiſſimum?* idque Podagricorum eſſe ſtatuit. Hoc tamen otium multi, cum dolor utcunque remittit, honeſtiſ-

Eraſ. l. 6. Apoph.

ſimis

ſimis ſtudiis hiſtoriarum præſertim, aut jucunda eruditorum hominum converſatione ſublevant, quod Coſmo Florentino Duci familiare fuit, vel cum libris, vel cum rerum peritis huius otii tædium, adeoque morbum ipſum fallere ſolito, conſiliiſque ac factis præclariſſimis nobilitare. Petrus Medices, licet ſæviſſima premeretur arthritide, conjurantibus in ſuum caput civibus, arma tamen victor oppoſuit. Dorſtenſonius Suecorum Dux, ſuperioribus armis, in altera ad Lipſiam victoria, lecticæ podagricus incumbens militem fortiſſimè in hoſtem duxit, graviſſimaque Cæſarianos clade profligavit. Quanquam hæc illi contentio minimè ſalutaris fuit, cum invaleſcente morbo, cedere haud multò poſt gubernatione militiaque coactus ſit. Moderata exercitatio levandæ profuiſſe arthritidi comperta eſt.

Pontan. l. 2. c. 8 de Fort. dom.

Brutus l. 8. hiſt. Flor.

V. Remedia ſublevantia.

Creditum à multis mandatumq; memoriæ fuiſſe *Gellius* refert, quod Iſchiatici cum maximè doleant, leni tibicinis modulatione ſubleventur, quod quidem à Tarantola in Apulia læſis præſens remedium eſt. Iſmanias etiam Thebanus multos Iſchiade afflictos, aut ſanaſſe, aut certè magnoperè in doloribus ſublevaſſe amœno tibicinis modulatu obſervatus eſt.

lib. 4. c. 13. Muret. l. 14. var. lect. c. 6.

Nonnullos variis etiam medicamentis infringere vim doloris accepimus. Plinius Servium Clodiũ equitem Rom. veneno crura perũxiſſe, ac deinde omni ſẽſu doloris caruiſſe

Nat. hiſt. lib. 25. c. 3.

 refert,

Lib. 3. c. 1. veneno M. verò Agrippa demersis in calidum acetum, dum morbus maximè exardesceret, cruribus dolorem oppressit. Sextum quoq; Pompejum tritico genuum tenus immersisse crura, siccatisque pedibus mirè asserit levatum. Quod ultimum, ob temperatam exsiccandi vim ceteris prætulero, meminique hodie cum felici effectu à pluribus usurpatum, quanquam alii tritico contuso, aut etiam flore illius tibialia laxiora compleant, ut movere se loco possint, alii etiam Chamæmeli floribus, aut si hæc omnia desint, tritâ ruinosi parietis argillâ utantur. Quæ cum miram siccandi vim habeant, noxios humores consumunt, longeque liquidis & humentibus adhibitis præstant. Quanquam alii lotio ab ovibus subducto (quod naribus pressis ordine reddunt) podagræ malum diluant; sed haud multò post rediturum. Verùm mitigari his remediis morbus potest, tolli nequit. Fontes mali hac arte non solent exsiccari. Hos obstruat necesse est, quisquis podagræ medelam pollicetur. Suavissimum illud lenimentorum esse sentio, quod nonnullis placet, qui cum ex frigore se arthritidem contraxisse statuunt, optimo calidi vini haustu fontem hujus mali censent exsiccandum.

Lib. 22. c. 25.

VI. Remedia ex insperato curatia per naturæ altercationem. Lib. 22. c. 8. de Civ. Dei.

Desperare tamen Podagricos hac mea oratione de sanitate recuperanda nolim, cum vix morbus sit, nisi qui lethalis est, cui remedium à Deo paratum non sit, licet à plerisque ignoretur. Narrat D. Augustinus duos à S. Stepha-

Stephano Martyre podagricos sanatos esse, alterum Calamæ civem repentè virtute scilicet divinâ, alterum jussum adhibere remediū, quod idem S. ostendit, ut iccirco dari aliquod tale non immeritò sentiamus. Interea in evacuantibus illud, humorumque pravorum fontes exsiccantibus, aut aliò innoxiè derivantibus, consistere statuendum est. Unde in iis, qui ex parentum illud vitium traxerunt semine, vix corrigibile est, nisi nova quadam metamorphosi naturæ totius complexio evertatur. Ita Rejesius in Campo suo commemorat, subitâ iracundiâ (quæ tamen vehemēter podagricis plerisque officit) commotum, in lacessentes præ indignatione, è lecto antea licet immobilem, prosiliisse, & vindictæ cupidine, podagræ immemorem, ab eadem mox etiam solutum, multo tempore liberum incessisse. Plures verò alios terrore, atque inexspectato perculsos nuntio, morbum deposuisse narrat. Quo & illud, quod me puero Juliaci belli tempore, dum Hollandi contra Hispanos pro Brandeburgico pugnarent, seculi hujus principio accidit, referendum est.

Reies. q. 79. n. 22.

Ingruebat à tergo hostis; cum Agricola podagricum senem trusatili in curru, unà cum pretiosiori suppellectile provehit, verùm, quod exorto tumultu instare propius hostis crederetur, vector relicto podagrico, de sua cute sollicitus fugam arripit. Quare æger timore ultimo cor-

reptus se quoque in pedes, fugamque tanto ardore conjicit, ut podagræ oblitus, eandem in tanta trepidatione & cursus concitatione amiserit. Alius igne in vicinia exardente, dum in strato eodem se corripiendum formidat, terrore percitus, flammas simul podagramque fugiendo reliquit. Plura eius generis exempla, nec illepida, Hildanus in suis Observationibus producit. Compertum sanè est inveteratos vitiatæ naturæ morbos, repentina hujus, & violenta quadam commutatione sæpius everti. Celebris historia est Gonelli, qui Marchioni Ferrariensi pro Morione aderat. Inveterato morbi malo Princeps tenebatur, optabantque Medici vehementem aliquam naturæ alterationem. Morio igitur Marchionem in ponte hærentem adortus, repentè in subjectas aquas, toto corpore ad ruinam cohorrescentem deturbat; Scaphâ tamen juxta ad facinus parata, cum famulis excipit. Marchio à consternatione animum viresque recolligens, Gonellum captivum teneri carceribusque mandari præcipit. Ubi tamen consilium hominis felicemque ejus depulso morbo eventum comperit, vitâ donatum exulare, ob facti audaciam jubet. Ita proscriptus Ferrariensi ditione Gonellus vicini territorii humo rhedam onerat, seque revectum Marchioni, gratiæ occupandæ causâ, sistit, & ceu mandati spretor perstri-

Cent. 1. obs. 79.

ctus, respondet; nihil abs se contra decretum Principis fieri, cùm terræ insistat alienæ. Delectatus Marchio ingenio hominis, recipi illum à Ministris voluit, sed ad priorem carcerem. Unde postridie per lictorem eductum, ingenti hominum multitudine affluente, ad supplicii locum sistit, ibi Gonellus velut imminentis terrore mortis perculsus, lamentis, precibus, promissis complere omnia, dum interea, velut surdo ad hæc omnia Marchione lictor collum nudat, oculusque obligat; sed pro gladio madens aquis strophiolum educit, & in cervicem Gonelli cum impetu sonituque evibrat. Ad quem tamen Morio, tanquam ad acceptum à gladio ictum, mortuus in terram procubuit, imaginatione solâ mortis ad lethalem ictum sufficiente. Marchio ludificationem hanc Gonelli ratus, ubi defunctum verè comperit, magnopere hominis fatum, suamque in bene meritum, licet fictam severitatem, est detestatus.

VII. Per subtracta alimenta cibi potusque.

Aliud certius salubriusque & paratu quidem facillimum nobis remedium Petrarcha offert, de utriusque fortunæ Remediis disserens suo more, eruditè. *Si salutem* (à podagrà) *cupis*, inquit, *aut pauper sis oportet, aut ut pauper vivas. Multos hac ægritudine liberaße traditur paupertas, quam voluntariam seu fictam & imaginariam pauperiem dixerim. Vidisti aliquos perpetua vini abstinentiâ curatos.*

Et non Baccho solum; sed & Veneri bellum indixisse profuerit. Habes quam puto unicam huius morbi curam.

Solvere nodosam nescit medicina podagram:
Si tibi cura salus: abstinuisse sat est.

Lex abstinentiæ severioris culta podagram eliminat. Parum alimenti hanc deterret. Jejunium odit diu imperatum, ut solent hodierni in Religione Novatores. Vis hanc proscriptam? interdic vino & lautioribus tibi epulis. Variis hanc veritatem historiis eventibusque podagræ eliminatæ illustrare possem: sed plerumque in coactis, nam qui volentes lubentesque hoc remedium tam durum usurpent, pauci reperiuntur. Difficilis abstinentia est sitienti in plenâ mensa ac cellario. Hæc si oculis manibusque subtracta fuerint, facilius persuadetur. De prædivite Germano Luca Keslin Schenckius apud Rejesium tradit, quod cum otio deliciis luxuque circumflueret, familiarem huic vitæ podagram, arthriditemque adeò miserabilem contraxerit, ut non nisi duobus suffultus, adjutusque famulis, promoveri loco posset. Verùm lapsis sensim rebus ad paupertatem tantam redactus est, ut & opibus destitueretur, & famulis, nec nisi frugalis mensa ad vitã suppeteret. Hac fretus, & paulatim ipse solus incedere, & denique à podagra prorsus deseri, utque sibi alimenta vitæ jam quinquagenarius præpararet, dorsuaria corbe onustus, per vicos pagosque latè discurrens, reculas plures venum cir-

De Campo q. 88. n. 10.

circumferebat. Minus certè futurus felix, nisi ad hanc infelicitatem prolapsus egestate fuisset, cum apud quemlibet sapientem opibus sanitas præferenda sit, & si alterutrius boni jactura sustinenda sit, hanc præstet retinuisse. Memorabile Francisci Pecchii, nobilis Itali, exemplum est, quod Majolus ex ipsius se ore Mediolani accepisse refert, aliique plures recitant. Ille annos jam natus quinquaginta podagricis multo tempore cruciatibus vexabatur, à suo tamen Duce rebus expediendis destinatus mula vehebatur, quando ab æmulo Marchione insidiis circumventus, inclususque subterraneo carceri, ut lentâ morte conficeretur, indies uno solum panis frustulo, modicoque aquæ, per juratæ fidei servum pastus est, quo excepto domesticorum nemo facti conscius admittebatur. Frustra quæsitus Pecchius, credebatur à latronibus interemptus, quod jumentum ejus conspersum sanguine repertum sit.

Majol. Dial. 4. Dier. Canic. aliique apud Reies supra. Et Trexel. Gym. pat. p. 2. c. 2. §. 3.

Quare duo, quibuscum illi lis fuerat, in suspicionem & equuleum tracti, crimen, quod non patrarant, fassi, sub lictore periêre, uxore etiam mortua, bona inter heredes divisa sunt. Interea lapsis annis XIX Pecchius à Gallis arcem Marchionis invadentibus, seu, ut alii, à Successore defuncti Marchionis in libertatem asseritur, anno salutis MDLVII. Dum enim ad instaurationem arcis adhibitis operis fundamenta eruuntur, omnium, qui aderant stupore, ex subterraneo hiatu vox pri-

mũ hominis, deinde homo ſilveſtris prorſus, & velut ex orco emergens, prodijt, ſenſimq; ad lucem ſolis, ne primo fulgore oculorum acies frangeretur, productus, ſuam ſortem expoſuit, nulliſque podagræ reliquijs impeditus, jam prope XX annis maior, ſine jumento domum rediit, ac multâ Mediolenſes omnes admiratione complevit, poſſeſſionibuſque ſuis per Ducem reſtitutus eſt, fugalitate victus ad extremam ſenectutem provectus. Ita quem nemo Medicorum curare poterat, hoſtis per abſtinentiam, dum perdere volebat, reſtituit. Nimirum,

Vis te languentem curvâ relevare podagra?
Quantumvis fueris dives, egere ſcias.

VIII
Potio ſalutifera, quâ advẽtitia podagra laborantes, ſi primis annis adhibeatur, curari poſſunt

Denique curari aliquos à podagra chiragraq; ac arthritide nondũ confirmata, & aliorum, & meomet exemplo teſtari poſſum, qui cum fortè Ruram haud procul Juliaco, vectoris defectu transgreſſus, autumni tẽpore, gelido oſſa nervoſque frigore perſtrinxiſſem, & haud multò poſt podagra chiragraque acerrimè per quadriennium ſæpiuſque procumberem, Duſſeldorpij remedium ab Italo traditum Medico, per aliud facile quadriennium conſtanter adhibui, ſenſimque minus ac minus afflictus, tandem annis pluribus, quæ Dei gratia, moleſto hoc ſupplantatore liberatus ſum. Porrò ne invidere lectoribus hoc beneficium videar, in exſiccantibus per evacuationem conſiſtit, probatumque ab expertiſſimo Neo-burgici

burgici Principis Medico D. Waibelio fuit, tale illud eſt.

℞. pondo foliorum Roſmarini, excoque in aquæ fontanæ mēſura, ad quernum ignem, in olla terrea bene pura, ſeu nova firmiterque concluſa & oblita, ne tenuiores ſpiritus evaporent. Poſtquam verò duabus bullierit horis, adijce ex ſemine Aniſi, feniculi, & Carviæ, 4 unicas ſingulorum, ſed bene contuſas mediâ ſimul hora excoque. Denique appone 4 unicas foliorum Senis nonnihil attritorum, poſtque tres quatuorve ebullitiones igni ſubtrahe ac ſubinde hoc ex potu refrigerato, hauſtum unum X circiter cochlearium, tribus ante prandium, & totidem ante cœnam horis ſumito. Vino niſi perquam temperato, abſtinendum, cibus facilè digeſtibilis ſit. Suillæ ſalſæque carnes, piſces, fabæ, piſaque, & crudiora quævis, vitentur. Principio veris, & autumni, cum præcipuè humores moventur, hic potus, & quatuordecim primò diebus, renovatâ ſæpius coctura, adhibendus erit. Si tamen alio iminere malū tēpore ſentires, rectè præoccupabis. Tribus cōſtanter annis, ſi utaris, valde morbū atteres quod niſi fiat, hinc quoq; ſperare remediū non poteris. Me certè poſt curæ ſexēniū, nō niſi tenuiſſimis reliquijs infeſtavit ſenſim attenuatus. Nam leni quotidie purgatiōe vis Roſmarini, cū foliis Senis jūcta, ſenſibiliter totius corporis humores ſiccabat, parciuſque ſemper annis poſterioribus

hauſtu

haustu usus, denique in unius alteriusque diei potionem deflexi ad præscriptum medicorum convenientius stomacho temperatam. Alios, pro aqua, tenui cerevisiâ, in majori aliquantò copiâ, usos intelligo, aut quopiam innoxio condimento ex præscriptione Doctorum, ut stomacho fastidium demerent, attemperasse. Alij eliquatam Rosmarini aquam, cui siccandi vis maxima inest, potui diarrhetico admiscuêre, quo & ego postremis temporibus usus sum. Et licet confirmatæ jam multis annis, aut ex sanguine patrio traductæ podagræ difficilis curatio sit: tamen quin eiusmodi remedium, cum diætâ admodum castigatâ, plurimum levamenti adferat, non est dubitandum.

Remediũ spirituale Caroli V certius.

Præter hæc tamen remedia, aliud Carolus V in hoc ordine Podagricorum bene diuque, inter ipsa etiam bella, exercitatus Imperator, præsentissimum se expertum fuisse asseruit, *patientiam*; Cuius pretium virtutemque si quis nesciat, hunc ad gymnasium Patientiæ ab *Hieremia Drexelio* eruditè conscriptum, invito. *Reusnerus* duobus versibus lectorem incitat.

Antidotum vitæ patientia: sola malorum
Victrix: si bene vis vivere, disce pati.

Hoc enim in Gymnasio nisi Podagrici nomen suum profiteantur, bis, imò ter miseri futuri sunt. Primò quidem suis in Podagra arthritideque doloribus; deinde pessimo horum dolorum fermento impatientiâ, quâ

non

non corpus solum, verum & animus, exasperato istius etiam malo, perstringitur; denique tertia post hanc vitam afflictione graviori, quæ in violatæ patientiæ pœnam reservatur. Cum ulceroso Job dicendum est: *sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum.* Meminerit, siquis suâ intemperantiâ causam dederit, quàm justas hic Deus pœnas exigat, quamque etiam misericordes, ut in æternum parcat, hic æquo gratoque erga Deum animo, paternam hanc castigationem, excipienti. Quam nisi nunc manum exosculetur, ut plexus merito filius, neque præsentem evadet pœnam, neque secuturam. Siquis citra culpam sustineat, hoc solatium in doloris lenimentum admittat; quòd Deus, *omnem filium, quem amat, castiget.* Nam *sicut igne probatur argentum & aurum, in camino; ita corda probat Dominus.* Non est melior illo, qui dixit: *probasti cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.* Dic mihi, nunquid inter justos te censeri, tibi jucundum est? utique asseres. At, *multæ tribulationes iustorum*; sed finem exitumque respice: *De omnibus his liberabit eos Dominus.* Quantum beneficium, si inter eos haberi queas, quibus præparatum est regnum cœlorum! Sed quâ viâ hoc subitur. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Et quid quereris? Dux tuus, Apostoli, Sancti omnes, hac tam angustâ viâ præcesserunt. *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.*

Iob. 1. Prov. 27. Psal. 16. Psal. 33. Act. 14. Luc. 24.

ſuam. Et nos *coheredes Chriſti erimus, ſi tamen compatimur, ut & glorificemur.* Quocirca in omni morbo & afflictione veſtra, *communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, ut in revelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.* Nam *beatus qui ſuffert tentationem, quoniam ſi probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.*

Caput XV.

An, & quæ nobilitas in parte humanæ felicitatis cenſenda ſit?

AD felicitatem hominis multum refert, quo loco, quibuſque parentibus, naſcatur: in Europa, an Aſia, Africave? Turcas, Mauroſque, aut gentiles, an Chriſtianos inter? & hic, apud Hollandos, an Suecos? Hiſpanos, an Anglos lucem, natalemque diem, ac inſtitutionem accipiat, hoc eſt, quâ religione, moribuſque ac vitæ genere imbuatur. Nam

I Multũ ad felicitatẽ hominis refert quo loco naſcatur.

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

Neque enim facilè à patria religione, atque inſtitutione deflectere quenquam videris, præſertim ſi cum majori vivendi libertate ſit conjuncta. Rarò ex Turca Mauróve prodire Chriſtianum videbis: facilius hunc illius vitæ licentiâ captum degenerare, atque à rigidioris vitæ inſtituto animadvertes deflectere.

Quocirca cum ſola inter omnes Catholica religio ac fides ſit, quâ placere Deo mortalis homo poſſit, quantæ felicitatis ſit, iſtic naſci,

nasci,ubi hæc patrio instituto recepta solùm traditur,sat dignis nemo verbis explicabit. *Gaudeant bene nati!* magni Principis,in hac cõsideratione,frequens exclamatio est.An tamẽ secus natis aliqua salutis futuræ spes affulgeat, infra opportunius expẽdemus. Nunc,an nobilibus ortũ esse parentibus,in aliqua felicitatis parte reponendum sit,obiter juvabit considerasse.

II
Nobilitas vera ab ingenio & virtute cuiusq; est desumenda.

Seneca nec ignobilis genere,quo Hispanus erat,nec dignitate,quâ inter aulæ Neronianæ principes fuit,nec doctrinâ quâ Romanorũ Philosophorũ facilè antesignanus eminuit,nobilitatẽ tamẽ nõ ab origine,sed ingenio ducendã cẽsuit. *Eadem,*inquit,*omnibus principia,eademq; origo nemo altero nobilior,nisi cui rectius ingeniũ & artibus bonis aptius. Qui imagines in atrijs exponunt* (ut Romani nobiles Majorũ suorũ) *& nomina familiæ lõgo ordine,ac multis stẽmatũ illigata flexuris,in parte 1. ædium collocant, noti magis,quam nobiles sunt. Vnus omniũ parens mundus,sive per splendidos,sive per sordidos gradus, ad hunc prima cuiusque origo perducitur.* Alibi à virtute eandem ducit, quâ positâ, ex servis reges;deficiẽte ex regibus servos extitisse sentit. *Plato,*inquit,*ait: Neminẽ regem nõ ex servis esse oriundũ: neminẽ nõ servum ex regibus. Omnia ista lõga varietas miscuit,& sursũ deorsumque fortuna versavit. Quis ergo generosus? ad virtutẽ bene à natura compositus. Hoc unum est intuẽdũ alioqui si ad vetera revocas,nemo nõ inde est ante quod nihil est.* Deinde,cũ ex fine suo res quæq;

lib.3.benef.

Epist 9.l.5

æsti-

æstimanda sit, genus quemque suum in morte non extollet, aut præferet alteri; sed virtus sola, & si quid egregiè ab illo factorum extet, nobilitabit, de cetero Rex non minus vermibus terræque, quàm ultimus de plebe relictus est, & tantũdem uterque secum, præter factorum præmia, transferret. Paucis hæc idem Seneca. *Æquat omnes cinis, pares nascimur, pares morimur.* Huc facit monumentum sepulchrale Tarracone Romam translatum, quod arboris ramum florentem supra figuram hominis jacentis incisam lapidi, infra margentem exhibebat: cum his versibus

III Mors omnes pares facit, & *sceptra ligonibus æquat.*

Epist. 3. l. 14.

Aspice quam subitò marcet, quod floruit ante:
Aspice quam subitò, quod stetit ante, cadat.
Nascentes morimur, finisque ab origine pendet,
Ipsaque vita suæ semina mortis habet.

Nimirum totâ vitâ morimur; cùm quidquid retrò annorum fluxit, perierit, ac nunquam rediturum sit, virtute sola superstite, ideoque præter hanc nihil in vita eximium ac nobile censeri poterit. Et quid refert, si ad mortis supplicium ducaris, Rex an servus sis, si idem rogus utrumque excipiat: nisi quod Rex plerumque tantò tunc habeatur infelicior, quantò felicior antè fuit. Carolus Rex Siciliæ jam ad ultimam mortalium deductus lineam: „O vanas, exclamabat, hominem cogitationes, qui honores dignitatesque æstimant, „genere suo opibusque elati! quantò beatior „pauperum sors, inter rem & spem tenuem, „innoxia ferè & tranquilla! Quid nunc purpura,

Marineus de rebus Hisp. l. 18. juxta finem.

„pura, aurum, nobilitas, imperium, tot clien-
„tum obſequia mihi proſunt; quando eadem
„me neceſſitas premit moriendi, quæ ultimum
„mendicabulum, opprimit, tantò quidem in-
„feliciorem, quantò plurimum graviorumque
„à me talentorum ſupremo Judici reddenda
„eſt ratio. Eſtne ex tot millibus hac in vita
„mihi famulantium, adulantiumque, qui hanc
„pro me ad Dei tribunal, aut ſubire velit, aut
„poſſit? Ah quantò in morte beatiores ſunt,
„qui minus in vita fuerunt beati! Diſcite vel
„exemplo meo, tam illuſtria fortunæ bo-
„na contemnere, & ſolius virtutis, ſeverum
„hunc Judicem placantis, pretium æſtimare.
Tale judicium Regis hujus in morte, ſince-
rum minimeque fucatum erat, quale ſi fortaſ-
ſis habuiſſet in vita, cum aliis generoſi animi
principibus ab aula & purpura, ad vilem reli-
gioſorum caſam lacernamque tranſeuntibus;
deſeruiſſet ultro ante fata, quód in morte, vel
ab invito, erat deſerendum. Tam diverſa
mortalium ſunt in vita, & in morte judicia.
Beati, qui hoc in vita judicant, quod in morte;
& in vita faciunt, quod in morte factum eſſe
voluiſſent. In vita ſic animo ſunt comparati
præpoſteri mortales, ut *ſi poſſent* (cum gentili
Seneca loquor) *ſibi ſortem facere naſcendi, nemo
eſſet humilis, nemo egens, unusquiſque felicem do-
mum invaderet.* Aſt ubi ad vitæ metam
appulerunt, repentè mutant ingenium,
& neminem humilioris piget ſortis, toleratæ-
que fortiter indigentiæ; à vili etiam tugurio,

IV.
In morte homines ſuum de vitæ felicitate judicium mutant.

lib. 2. contr.

quam nobili palatio promptius divelluntur, quidque fuerint flocci pendunt, quid futuri ſint, & poſſeſſione quidem æterna, maximè æſtimant. Si nobilitas faciliorem fortunatioremque ad hanc panderet aditum, jure ignobilitati eſſet præferenda. Hanc verò cum præ illa ſæpius hoc beneficij præſtare compertum ſit; adeò, ut multi ex illuſtribus familijs ad huius obſcuras latebras pro ſalute futura certius obtinenda confugerint; æquis ego Judicibus definiendum relinquam: nobilemne an ignobilem in hanc vitam procreari? optandum ſit.

V
Nobilitas prima ob virtutis præſtantiam jure æſtimāda eſt, in eis, qui nō degenerāt.

Illud quidem libero ore profitendum eſt, ſi major virtus, ex quâ plerumque nobilitatis primæ nomen ſplendorque fluxit, ut naſcentem, ſic provectam ad poſteros eius exiſtimationem comitetur, prorſus eam ignobilium hominum conditioni præferendam eſſe; quod virtute nata, virtute etiam propagetur. At qui ſine virtute eſt, licet byſſo auroque fulgens incedat, licet ingenti ſtipetur famulantium catervâ, licet ſalutantium gratulantiumque, de honore & potentum gratia, circumfluat agmine; nihil iſta verus æſtimator rerum ponderat, nec iccirco felicem prædicat.

Sen. in Herc.

Qui genus iactat ſuum, Aliena laudat:

Vera nobilitatis laus à propria virtute ducenda eſt. Contra,

Horatius in Od.

Dedecorant bene nata culpæ.

Quis equorū tibi videtur præferendus alteri:

Ille,

Ille, qui à ſtrigoſis claudiſque parentibus, ipſe habilis alacerque prodijt; an qui ex bene curatis fortibuſque genitoribus, ſtrigoſus ipſe & imbellis natus eſt? Scio quid dicturus ſis, præferes, quod ex ſe, non parentibus optimum videbitur. Ita quidem plerumque res habet, ut cecinit Horatius:

Fortes creantur fortibus, & bonis:
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Atque iccirco nobilitati ſuus meritò defertur honos; quod Majorum virtus & gloria, calcar atque incitamentum futura judicetur, ne ab eorum veſtigijs, ad ignobilem ſceleratorum hominum infamiam poſteri deflectant, ſed partum decus, illo, quo natum eſt, virtutis ſtudio propagaturi credantur. Magnus ad virtutem ſtimulus eſt Majorum virtus, & pudet bene natos degenerare; quod tantò illorum probrum gravius futurum ſit, quantò illuſtrior extitit gloria proavorum. Verùm tamen

Et *Heroum filij noxæ.*

VI Facilè poſteri ſuis vitiis à nobilitate parentũ deflectunt.

Partâ nonnulli gloria, cumulatis opibus, dignitatibus collatis frui malunt, quàm ſuo paria labore mereri. Difficilius poſſeſſæ jam divitiæ, honoreſque collati rectum in uſum adhibentur; quàm ſperati laudabili induſtriâ acquiruntur: iſtis multorum virtus inſidiosè oppugnatur; his laboriosè exacuitur. Expende filiorum Heli, Samuelis, Davidis, Salomonis

monis nobilitatem, vitam, opes atque honores; quantò parentibus fuit illos facilius parare, quàm filijs tueri!

Ridebant Ciceronem, Appius pulcher, Sallustius, alijque majorum suorum nobilitate elati, tanquam ex trivio ortum hominem, qui suum à Cicere (quod erat leguminis genus) nomen traheret. Verùm his sic occurrit Cicero, ut illis Fabios à fabis, & Lentulos à lente, viros nihilominus clarissimos opponeret: responderitque hac gravissima eisdem sententia: *Satius erit meis me gestis florere, quam opinione Maiorum niti, atque ita vivere, ut sim posteris meis nobilitatis initium, ac virtutis exemplum.* Appio verò respondisse idem fertur, quod olim Iphicrates ignobilis, nobilitate sua protervè elato seque incessenti Harmodio: *Mea nobilitas à me incipit, tua in te desinit.* Senecam hic rursum juverit audisse. *Quis*, inquit, *fuit Marius, si illum in suis inspexerimus Majoribus? humilis: in consulatu nihil habet clarius, quàm se autorem. Pompeium, si hereditaria extulissent imagines, nemo Magnum dixisset. Servium Regem tulit Roma, in cuius virtutibus humililitate nominis nihil est clarius. Potest objurgare Romanos, cum suam humilitatem ostendunt? Hæc non putarent magna, nisi apparuerit ex parvis surrexisse.*

In Orat. contra Salust.

Plut. in Apophț.

lib. 2. controv.

VII Recens nobilitas sæpe est ob præsētem virtutē, æstimanda. A quo judicio malè nonnulli discedunt.

Ridenda sanè arrogantia illorum est, qui recentis nobilitatis suaque virtute enixos rident homines, quales tamen quisque primos suæ nobilitatis autores ideoque maximè lau-

dandos

dandos habuit. Quomodo igitur in novis aſpernatur, quod veneratur in priſcis? Si nobilitas virtute cōparetur (nam emptam jure deſpiciunt) nulla recenti illuſtrior eſt. Ut enim, qui victoriam armis peperit, quàm qui fruitur partâ, laudis plus obtinet: ita qui nobilitatem invaſit virtute, potior illo eſt, qui naſcendo tantùm occupavit. Ferdinandi Imp. civile dictum fuit: *Boni viri & boni vini, originem non eſſe ſollicitè indagandam. Nam & loco minus celebri vinum generoſum procreari poſſe, & ex humili prodire tugurio illuſtrem virum.* Hinc apud Proavos, quantumvis genere conſpicui, non tamen niſi propriâ morum nobilitate probati, ordini Eccleſiaſtico accenſebantur, ut iccirco, tam illuſtri ſanctorum hominum numero vetus decoretur Eccleſia. Non ignoro prudentem à Catholica nobilitate cautionem adhiberi, ut priſca familiarum nobilitas, non niſi per antiquæ nobilitatis conjugia, integrè perſtet, ac licentia multorum luxurioſa conſtringatur. Agnoſco etiam digniores Eccleſiæ beneficijs, quos majorum nobilitas virtuſq; cōmendat, modo non defuerit propria; illâ enim ſolum ornatur, hac etiam ſuſtentatur religio. Non igitur niſi probatæ jam indolis, hiſce facilè obſequiis adſtringendi ſunt.

Reuſ. in ſymb. cl. 3. ſymb. 40.

VIII
Quæ in beneficiis Eccleſiaſticis conferendis, nobilitas potiſſimū ſpectāda.

Reperias parentes, qui pueros adoleſcenteſque, atque ignaros, quid ſequendum fugiendumque ſit, filios, ad Canonicorum jam in prima ætate ſubſellia deſtinent, quibus imperata caſtitas pietaſque quàm deinde promptaſit, remotis exemplis non eſt inquirendum

Ita cuivis Ecclesiasticum munus deferendum est,ut spontè,tanquam saluti , non familiæ , consulturus eligat: dicatque *voluntariè sacrificabo tibi Domine.* Bella servitiaque aulica nobilibus aliis necessitas imponat; Deo,non nisi voluntarium servitium placere potest.

Quod par est,ut tantò diligentius à quolibet præstetur,quantò nobilioribus quisque ab Ecclesia proventibus alitur ; cum æquum sit,ut labor cujusque mercedi oblatæ respondeat. Nec alio à majoribus fine locupletiora Ecclesiæ beneficia fundata sint , quam ut tantò impensius ab illorum possessoribus Ecclesiæ,sine cura terrenarum,serviatur. Quo neglecto , gravis admodum coram supremo Judice prævaricatoribus hujus tam sanctæ legis incumbet ratio. Quæ à parentibus filiorum prius animis imprimenda sunt , quam ad hanc vitam,ceu curarum vacuam destinentur. Explorandum an è robur animi ad carnis mundique illecebras superandas, tum ejusdem ad divinum obsequium promptitudo. Canonici à Canone,hoc est,sacræ vitæ regula, nomen acceperunt, quod nisi tueantur,in æternum sui suorumque opprobrium, religioni,cui sustinendæ pares non sunt,obstringentur. *Arcta via est,qua ducit ad vitam, & pauci sunt,qui inveniunt eam* , unde sollicitè videndum est,num in tali hæc vita queat inveniri. Malè liberis consulit,qui,modò de temporalibus eis bonis rectè provisum sit,æternorum curâ non magnopere sollicitatur.

Alia

Alia quoque nobilium ſors, qui ad bel-
lorum experimenta, ſeculique curas à paren-
tibus ſervantur, haud ſanè multò apparet feli-
cior. Quis enim neſciat bellum eſſe liberta-
tis noxiæ gymnaſium, licentiæque omnis irri-
tamentũ, in quo nõ propriâ tantũ cupiditate,
ſed alienâ quoque ſociorum abripimur. Mo-
dò nos rapit neceſſitas, modò opportunitas
invitat: nunc ingenio noſtro obſequimur,
nunc commilitonum exemplo, quodque ab
aliis imperterritè perpetratur, nobis licere
perſuademus. Inter hæc ſi bellũ ferveat, mille
periculis objectamur, quæ & ſubterfugere in-
decorũ eſſe ſentimus, & ſuſtinuiſſe glorioſum.
Hæc verò inter diſcrimina, ſiquis nobiliũ ver-
ſetur diutius, & nuſquã in aliquẽ præſentis feli-
citatis ſcopulũ impingat, ſanitatẽ, vitam, ſalu-
temque prodigat; hic inter fortunatos quidẽ;
ſed raros Martis alumnos cenſendus eſt. Uno
nonnunquam prælio præcipua unius patriæ
nobilitas abſumitur. Ita ad S. Quintinum à
Philippo II Hiſpaniarum Rege per Sabau-
dum Ducem & Egmondanum Comitem
Gallici exercitus flos, aut gladio, aut captivi-
tate cum ipſo Monmorantio Duce interce-
ptus anno 1557 fuit, ut plurimos ejuſmodi e-
ventus nobilitati non in pugnis ſolum, ſed &
duellis fatales prætéream. Et tamen niſi
his militiæ experimentis nobilitas probetur,
vilis contemptaque, non tam ſuo, quàm vul-
gatæ exiſtimationis vitio judicatur. Bella
pro Reip. atque Eccleſiæ defenſione ſuſcepta,

 jure

jure honestissimis nobilitatis officiis accensentur; si in eis ita salus curetur publica, ut propria non profligetur; & cum æquitatis religionisque jactura non geratur, quod pro illarum tutela assumptum est. Verùm hanc bellandi rationem voto magìs, quàm exitu consectamur, & in scholam bellatores mittimus, à qua majori ferè vitiorum quam virtutum profectu revertuntur. Quæ hoc loco pericula non tanquam ignorata, sed ut vulgò parum æstimata, maximi tamen, quod salutem nobilium animarum spectent, jure facienda, volens commemoravi.

Hæc discrimina nobilitatis, qui mecum expenderit, fortasśis dubitare incipiet; felixne habendus sit, qui nobilis in hanc vitam propagatur? quando, ut quisq; nobilis est, ita suus esse plerumque non potest. Illa tamen quemque ignoscere operæ pretium est, ut cavere discat, obarmatoque ad hæc pericula animo, priscæ majorum virtutis memor eorum vestigiis firmiter insistat.

IX. Bonorum natalium vera nobilitas, quam per baptismũ filii Dei facti, adimus.

Ego aliam generis nobilitatem longè prima illa natalium beatiorem esse duco, quâ videlicet renatus homo ex aqua & spiritu S. in sortem hereditatemque adsciscitur filiorum Dei quæ nativitas Christianis omnibus communis est, ac longè, suâ nobilitate, priori, quâ filij iræ nascimur, anteferenda. Unde qui Natalem sui generis colunt, hoc Natali religionis neglecto, hi mihi magis ex ordine, quam dignitate celebritatem instituere videntur.

Certè

Certè Origines asserit: *Nemo ex omnibus sanctis invenitur diem festum, vel convivium magnum egisse in die natalis sui. Soli peccatores super eiusmodi nativitate lætantur.* Herodes funesto illum S. Joannis excidio maculavit, indignumque fecit, quem Christiani imitentur. Hi videlicet ad baptismalia coire festa, & huc munera epularumque gaudia meliori consilio transferunt. Illustre illius rei exemplum nobis Belgium in Caroli V Regis atque Imp. postea regenerati solennibus reliquit. Siquidem Gandavi natalitia Principis urbe S. undis in æde S. Joannis abluendo, gemina porticus admirabili instructa est opere, medioque in aëre suspensa, ne quisquā cum infante commeantium humili ad templum via deferretur. Altera harum porticus, ex superiori Palatij loco, pedibus ter mille quingentis, lata septenis, totidemque supra terram elevata, ad D. Joannis ædem S. continuato opere procedebat, in qua arcus quadraginta triumphali ornatu eminentes, suis illam intervallis distinxerant, augustiores in his terni, unus Sapientiæ, alter Justitiæ, tertius paci & concordiæ inscriptus visebatur. Per totam porticum centum & bis mille faces, dubiâ cum incederent diei luce, distributæ, totum opus illustrabant. Altera porticus tantò magis visenda stupendaque, quantò altiori loco, è fastigio duarum turrium D. Nicolai & Capitolinæ ædis suspensa erat, perque libratos in aëre

homil. super Levit.

Caroli V natalis vitæ neglectus baptismalis splendidus fuit.

 funes

funes ſtrata,quæ feſtivis lucebat quaquaverſum ignibus,muſicoque applauſu reſonabat. Et hæc in totius urbis populique gratulantis conſpectu. Quis deinde in baſilica ſacrorum, quis domi convivalis menſæ apparatus, quis virorum Principum concurſus,quæ collata pro infante munera,integra oratione vix cõplectaris.Civium unus vas illi ingens aureum, Magiſtratus ex argento navem omen futuræ in Indiam navigationis non vanum obtulit. Tribus locis aurea argẽteaq; moneta in confertã multitudinẽ ſparſa eſt. Tanto unius regenerati Chriſto Principis Natalis dies apparatu longè juſtiori,quàm Auguſti olim Cæſaris mundo geniti fuit celebrata.

X
Optimorũ natalitiũ nobilitas optima qua denati terris cælo naſcimur.

Verùm hac ſolemnitate altera Natalitiorum Caroli dies,quâ defunctus hac mortalitate eſt,ac cœlo,ut ſpes eſt,natus, majori principum concurſu,nec minori celebritate, à Philippo filio Hiſpaniarum Rege,in eodem Belgio Bruxellis eſt inſtituta. Siquidem Carolo Imp.Anno MDLVIII die 29 Decembris,in eremo D.Juſti ſancte,poſt exequiales ab ipſomet vivente perſolutas preces,mortuo,cùm Madriti,tum in Belgio,eximio funeris apparatu,illuſtrique pompâ eſt parentatum. Feretrum illi,in D. Gudulæ templo ampliſſima auguſtiſſimaque,inter collucentes lampadum funaliumque ignes,ſpecie,eſt collocatum. Quo longiſſimo deinde honoratiſſimoque ordine,cùm Principum,tum Prælatorum ac Senatorum præcipui proceſſere.

Primum

Primum agmen ducebat illius Basilicæ, regiæque capellæ clerus, tum Prælati atque Abbates toto Belgio acciti, ac subinde Episcopi, ex quibus Leodiensis justa solenni ritu funebria persolvebat. Post hos urbis Magistratus, Brabantinique Satrapæ, ac diversorum conciliorum membra, cum suo Præside & Capite. Inde lugentium, aut plaudentium magis de tam optata Principis morte, longius ordo facigerorum. Hos secuti urbium præfecti, satellitium regium, & palatina cohors. Denique equi suis peristromatis magnificè exculti, vexilla innumera ab hostibus deportata, urbium regionumque devictarum simulacra, regnorum diversorum insignia, sceptra, coronæ, ac diademata, non nisi à magnis Principibus delata. Procedebat inter alia navis oneraria media inter Herculeas columnas provecta, quæ cum Africani maris, tum Oceani Indici dominium exprimebat; ut triumphare in ipsa denique morte illustrius Carolus, quàm in vita unquam visus fuerit, ideoque de hoc Imperatoris exitu non immeritò dicamus: *melior est dies mortis, die nativitatis, & melius est ire ad domum* talis *luctus, quàm ad domum convivij* nuptialis. *Iustus enim, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*, ubi *fulgebit sicut sol in regno patris.* Verè *beati mortui, qui in Domino moriuntur!*

Eccl. 7.
Sap. 3.
Mat. 13.
Apoc. 14.

Juvabit de hoc die differentem auscultare Chrysologum. *Natalem*, inquit, *Sanctorum cum auditis charissimi, nolite cogitare illum dici, quo nascuntur*

Serm 120.

ſcuntur in terram de carne, ſed de terra in cœlum, de labore ad requiem, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias non fluxas, ſed fortes, ſed ſtabiles, ſed æternas. Hic dies verè Natalis eſt, & incorruptæ nobilitatis initium, hic omni gaudio lætitiaq; recolendus, cum primus noſtræ ex genitoribus in hanc vitam nativitatis dies, nihil illuſtre ſplendidumque, ſed calamitoſam hominis, Diabolo mancipati priuſquã nati, originem, jure lacrymis & mœrore proſequendam, complectatur. Quod barbaræ etiam Indorum gentes, lugere naſcentes ſoliti, mortuos cum hilari applauſu ſepelire, ipſis Chriſtianis rectius intelligere viſæ ſunt. *Fidem*, ait D. Ambroſius, *reſurrectionis non habet qui ad meliora non feſtinat. Hinc Angelus quendam mori timentem alloquens, & increpans, ait: pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis? Si domus minaretur ruinam, nonne ex ea migrares? ſi navis in procella periclitaretur, nonne ad portum confugeres? Mundus hic ſeneſcit, & ruinam minatur, quin migras ad Patrem, ubi te charorum turba exſpectat, de ſua ſalute ſecura, de tua ſollicita?* Non illepidum Ludovici Corteſij Juriſc. Patavini, viri eruditi (à quo Juris Repertorium conſcriptum eſt) factum memoratur, quod quocunq; demum ſenſu interpretentur alij, ego ex ſano animo, vanitatemque huius & miſeriam vitæ, tum futuræ felicitatem æſtimantis profectum eſſe ſentio. Mortalis ille vitæ, cum immortali commutationem jam propinquam eſſe, ſeque illius calamitatibus defunctum, huius

lib. de bono mortis.

XI
Natalis cœleſtis dies amãdus, lætéque celebrandus.
Bern. ſcard. l. 2. claſ. 8. hiſt. Pat.

huius felicitate beandum fore propediem ſperabat. Quando eiuſmodi ſibi funebria codicillis teſtamenti ultimis adornavit. Propinquis omni luctu lugubrique apparatu, non ſine mulctâ bonorum prævaricantibus conſtitutâ, interdixit. Acciri præficarum loco muſicos, cantores, citharœdos omnisque generis tibicines, velut ad nuptiarũ ſolennium põpam juſſit eoſque per clerum, ante feretrum diſtribui, atque incedere ſuo intervallo poſt illud voluit, quinquaginta ut minimum numero: qui nihil, niſi ad plauſum lætitiamque comparatum concinerent, aureique ſigillatim dimidij mercede fruerentur. Duodecim præterea, nondum traditas nuptui, puellas viridi colore amœnum veſtiri, ac ſubire feretrum, læto quoq; concentu ſtatuit, hiſque ſuccollantibus ad ſepulchrum in baſilica erectum deferri. Quibus dotis gratiâ, certa argentei aureique æris portio eſt deſtinata. Ita ædi vetuſtiſſimæ S. Sophiæ, inter centum & vinginti funalia delatum, tanquam in publico triumpho, funus eſt, Religioſis omnibus, & univerſo Patavinæ urbis Clero in albis præeunte. Auguſtinianis tamẽ Eremitis, omnibuſq; qui nigro uterentur habitu, ſecluſis, ne quo colore nigro funebriũ lætitia quandã præ ſe ſpeciem mœroris indueret, exequiarumque ſplendor obſcuraretur. Ita lætiori nobiliorique ſpectaculo Ludovicus anno ſalutis MCCCCXVIII ad XVI Cal. Auguſti abhac vita migravit, illamq; mortalium omnium, qui vitæ huius magis,

quàm

quàm mortis nobilitate gloriantur, vanitatem explosit. Illustrior sanè nativitas est, quæ, ex vili etiam rusticorum casa, cœlo hominem inserit; quàm quæ ex vili nascentem luto, in Regum maximorum aula & purpura collocat. Probrosa quoque nobilitas vitæ est, quæ in nobilitate præclaræ mortis non terminatur. Hæc sola meta est, in qua de generis nostri dignitate ac felicitate statuetur. Ad hanc qui verâ fretus virtutis potius, quam generis nobilitate decurrit, solam hanc superis est probaturus; qui contra moribus degener vixerit, licet regia stirpe satus, sceptrisque ac coronis decorus in terris fulserit, in cœlis ignorabitur, in quibus ultimum decus vera tantùm felixque nobilitas assequetur.

CAPUT XVI.

Plusne gloriæ & felicitatis ex privatis concertationibus & duellis fortiter obitis, an declinatis exspectandum?

1 Fortis animi non est ad quâlibet iniuriam, ultionis cupiditate efferri; sed femineâ imbecillitas.

NObilitati ferè, annis præsertim adolescentioribus, perniciosa illa hæret opinio, quod generosi animi sit, vindicare fortiter sibi illatas, quantumvis solo verbo, injurias. Hinc non facilè sine gladio incedunt, parati, ad levissimum quemque adversantium insultum ferro decernere, vitamque aut alienam, aut suam profundere, non solliciti quò anima, post infelicem ultionis successum, migratura sit. Quæ quidem audacia, non mihi à virtute

virtute magnanimitatis, ſed ſtultiſſima projecti animi temeritate proficiſci: neque laudem ullam prudentis hominis, verùm reprehenſionem extremam mereri videtur. Manifeſtum enim eſt eiuſmodi hominem, impotentis animi vitio, imbellium feminarum inſtar efferri. Quod, apud gentiles etiam Philoſophos, infirmi non fortis animi habitum eſt. Unde Romanus olim Seneca tradidit: *Puſilli hominis & miſeri eſt, repetere mordentem, ut mures & formicæ. Ad quas ſi manum admoveris, ora convertunt. Imbecilla ſe lædi putant, ſi tangantur.*

lib. 3. de Ira c. 34.

Qui ſecus judicant infirmi plerumque judicij, aut profligatæ vitæ homines ſunt, qui bonum & honeſtum, in re mala & turpi collocant. Scitè Juvenalis horum errorem carpit:

At vindicta bonum vitâ jucundius ipsâ.
Nempe hoc indocti quorum præcordia nullis
Interdum, aut levibus videas flagrantia cauſis.
Quantulacunque adeò eſt occaſio, ſufficit iræ.
Chryſippus non dicet idem, nec mite Thaletis
Ingenium - - Quippe minuti
Semper & infirmi eſt animi, exiguique voluptas
Vltio: Continuò ſic collige, quod vindicta
Nemo magis gaudet quàm ſemina.

Mollis enim inconſultique ut plurimum hominis eſt, repentè ad iram indignationemque provocari, & pro contumelioſo quandoque verbo prorucre ad verbera, provocare ad duella, ſanguinemque ac vitam profundere. Leviculi quoque ingenij & ſuperbi, maximeque impru-

imprudentis eſt,tam ingentia ſubire incommoda,ut exile ſæpe injuriæ malum ulciſcaris, quod cum laude ſuſtineri poſſet,cum ignominia vindicatur. Imo plerumque improbæ & profligatæ mentis hominem oſtendit hæc vindicandi libido,qui æternæ ſalutis bona non æſtimet,& ruendo in mortem,vel ſuam, vel inimici,vel utriuſque etiam animam immolare orco & Dæmoni mavult, quàm conceptam vindictæ cupiditatem non implere.In alijs graviſſimis etiam ſceleribus frequens ad pœnitentiam receptus patet adituſque,qui cadentibus in duello,ex flagranti ira odioque, plerũq; intercluditur,aut ſimulatus extortuſque magis eſt,quàm verus. Unde ſiqua levitas deteſtanda eſt, ſiquod ſcelus execrabile mortalibus, illa inprimis eſt duellantium perverſitas, æquumque foret,ut huiuſmodi homines tam ſuæ alienæque vitæ,ac ſalutis prodigi,ex humano conſortio,tanquam brutæ quædam beſtiæ,aut feræ omnibus cavendæ proſcriberentur, infamique notâ,ceu latrones publici omnibus vitandi ſignarentur: cùm minus illis non ſint metuendi. Certè quantumvis nobilitate generis,& celebrata in bello fortitudine excellant,indigni ſunt,qui alijs regendis præficiantur,cum in ſeipſis effrenatæ impetum iræ regere neſciant. Unde excelſi animi viri,quique alijs cum laude præſunt,hanc plerumque cupiditatem vindictæ frenare didicerunt,ut eleganti verſu teſtatur Ovidius:

II Quam deſperatæ mentis vitiũ ſit,vindicandi cæca libido,quantumque ab illa mali.

III Aliis imperare in bello ac pace nequeunt, qui ſibi, in vindicta,non imperant.

lib.3.Triſt.

Quo

Quo quisque est maior, magis est placabilis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnorum satis est prostrasse Leoni,
Pugna suum finem, cum jacet hostis habet.
At lupus, & turpes instant morientibus ursi,
Et quæcunque minor nobilitate fera est.

Unde præcipua laus virorum Principum à Clementia ducitur; cum nulla re propius ad Deum accedant, quàm parcendo illis, qui in se, majestatis læsæ rei, deliquerunt, quod ipsimet frequenter à Deo beneficium exspectant. Majus enim homini donum offerri nequit, quam vitæ illi, qui mortem promeretur. In cuius comparatione omnia Principum, sive in honore, sive in opibus beneficia exilia sunt. Undè C. Julii Cæsaris, adversus Pompeium Victoris, clementia in hostes, plus laudis, quàm victoria habuit. Interceptum literarum fasciculum ad Pompeium, ne conjuratos agnosceret ignibus tradidit : Ciceroni, Marcello, aliisque Pompeii partes manifestè secutis, vitam largitus est. Unde eidem solennissima Romæ panegyri applaudit his verbis M. Tullius. *Ipsam victoriam vicisse videris, cum ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remisisti. Nam cum ipsius victoriæ conditione, iure omnes victi occidissemus, clementiæ tuæ iudicio conservati sumus. Iure igitur unus invictus es, à quo etiam ipsius victoriæ conditio, visque devicta est.* Mutium Scævolam Romanæ nobilitatis virum & Porsenam Hetruscorum Regem siquis auditione percepit,

Clementia virtus bene imperantiū.

IV Fortissima imperantū in ignoscendo facinora.

Cic. orat. pro Marcel. post exord.

utrumque jure admirabitur. Hic difficili obſidione urbem preſſerat; ut Scœvola, cives redempturus, vitam ſuam extremo diſcrimini objiceret, ſolus in hoſtilia penetrans caſtra, ad Regis caput feriendum, quam immolantem ad arã cũ fruſtrato ictu petijſſet aberrantem dexteram, foco, cui Rex adſtabat, impoſuit, exurique, cum omnium ſtupore, paſſus eſt. Quæ res ipſum quoque Porſenam tenuit, ultioniſque cupiditatem in admirationem Romanæ virtutis convertit: *Nam revertere*, inquit, *ad tuos Muti & eis refer: te, cum vitam meam petieris, à me vitâ donatum.* Sed triſtior Porſenæ ſalute Mutius, quàm ſuâ, urbem repetijt. In quo certamine illuſtrior planæ Regis clementia, qnàm Scœvolæ fortitudo extitit: cum hæc ad tollendam hominis vitam, illa ad conſervandam comparata fuerit.

Val. Max. l.5.c.3.

Qualis quantuſque Imperator Magnus ille Theodoſius! de quo Ambroſius: *Beneficium ſe putabat accepiſſe, cum rogaretur ignoſcere.* Quin ſubjicit: *Tunc propior Theodoſius erat veniæ, cum fuiſſet commotio maior iracundiæ. Prærogativa ignoſcendi erat indignatum fuiſſe, & optabatur in eo, quod in alijs timebatur, ut iraſceretur.* Hic quod ſemel iratus præcepsque ob Præfecti ſui necem, Theſſalonicam igni ferroque vaſtaſſet, ſemper doluit, temploque à D. Ambroſio excluſus paruit, ac ſupplex veniam deprecatus ſtatuit, ne capitales ſententiæ ante XXX diem executioni mandarentur. Quod Antiochiæ rebelli, cum uxoris Placillæ ſtatuã evertiſſet,

In orat. eius funeb.

Theodoret. l.5.c.16. Sozom. l.7. c.24.

evertisset, saluti fuit, postquam Eremitæ voce Imperator monitus fuisset: *propter unam mulieris exanimē imaginem, non tot Dei vivas perdendas videri.* Ex quo Athenodori Magistri, quod ipsimet adolescenti in iram præcipiti, monitum dederat, volvere cœpit: ut *priusquam iratus quicquam statueret, alphabetum Græcorum, à capite recitatum, præmitteret.*

Rudolphi Austriaci, præstantissimi herois atque Imp. quanta mansuetudo! Cum inter jaculatores, de peritia ad metam certaturos, rudis quispiam imperitè sagittam in eum convertisset, ideoque gravius decumbenti suaderet nonnemo, dexteram ut sagittario tolleret: respondit: *ante ictum id factum oportuisset; nunc, quo meo bono adimetur?* simulque hominem carceribus eximi jussit.

Beyierl. in Apopht. Christ.

Hanc verè Imperatorum virtutem (quos, ut Reges apum sine aculeo esse convenit) quotquot magni excelsique sunt animi viri ac heroes, imitantur. Unde Lacones à fortitudine inter Græcos celeberrimi, Deos, uti Plutarchus refert, inter solennes preces, his votis compellabant: ut *ad ferendas iniurias vires largirentur, quod sine hoc beneficio, se minime viros, & ad magna idoneos futuros crederent.* Lycurgus eorum legislator Aleandrum, qui sibi oculum in seditione effoderat, ideoque vinctus tenebatur captivitati exemptum, ex hoste amicum assertoremque suarum legum reddidit, ultione ipsius, plures habiturus inimicos.

V
Omnibus ad magna natis iniuriarum tolerantia necessaria est.

In Apopht. Lac.

Pausaniam eorundem Ducem, cum exules Atheniensium ad vindictam extimularent, quod in Olympijs declaratus victor, ab ijs exsibilatus fuisset: *Cum hoc*, inquit, *fecerint in bene meritum, quid, si illis malefecerim, facturos creditis?* Quare ab amicis levem sustinere injuriam maluit, quàm inimicis exspectare gravem.

Romanis idem animus inter iniurias heroibus fuit. M. Catoni causas in foro agenti adversabatur Lentulus, cumque, illusurus eidem, attractâ pingui salivâ in faciẽ expuisset, absterfit Cato, velut à sudore faciẽ, dixitq; *affirmabo omnibus: falli eos Lentule, qui te negant os habere*, tanquam absterfurus in Lentulo maculam hominis indiserti, cui in defensionem os & eloquentia, in foro, nulla suppeteret. Ita contumeliam ad laudis interpretationem visus convertere.

De Romanis quærit Augustinus: *Quomodo poterant gubernare atque augere remp. quam ex parva & inopi magnam opulentamque fecerunt, qui acceptâ iniuriâ ignoscere, quàm persequi malebant? Quomodo Cæsari administratori utique reip. mores eius extollens Cicero dicebat, quod nihil oblivisci soleret, nisi iniurias? Dicebat enim hoc tam magnus laudator, aut tam magnus adulator. Sed, si laudator, talem Cæsarem esse noverat; si autem adulator, talem esse debere ostendebat Principem civitatis, qualem illum fallaciter esse prædicabat.* Nimirum tales esse in rep. bene ordinata viros debere proceres, cum

Epist. 5. ad Marcel.

Tullio

Tullio Augustinus sentiebat. Seneca, ut solet eruditè, sic paucis multa disserit: *Irâ*, ait, *ac vindictâ abstinendum est. Nam cum pari contendere anceps est, cum inferiore sordidum, cum superiore furiosum, juxta illud Pythagoricum in cœlum non esse expuendum.* Et ibidem. *Non ut in beneficijs*, inquit, *honestum est merita meritis repensare, ita iniurias iniurijs: illic vinci turpe est, hic vincere inhumanum. M. Catonem in balneo quidam percußit imprudens (quis enim sciens illi faceret iniuriam?) postea satisfacienti Cato; non memini, inquit, percussum me. Melius putavit non agnoscere quam ignoscere. Nihil, inquis, illi post tantam petulantiam mali factum est? Imo multum boni. Cœpit Catonem nosse. Magni animi est iniurias despicere.* Eant nunc Thrasones & enervati imbellisque animi homines, qui ad quemvis injuriæ sensum concitantur ac furunt. Eant Christiani, quos ante omnia Magister patientissimus ex se discere voluit, ut sint *mites ac humiles corde*: eant, inquam, discant ab Ethnicis, etiam sola luce rationis instructis, mansuetudinem.

lib. de ira c. 34.

Nolo hic Jobos Josephos, Davides, Paulos ac sexcenta ex S. literis, Sanctorumque hominum actis exempla proferre, quando unus nobis Dux Christus, quiq; illum in morte protomartyr secutus est Stephanus, potest sufficere: quibus non solum ignoscere placuit hostibus, sed ijsdem etiam de cœlo veniam salutemque exorare. Illius ad Deum verba erant. *Pater ignosce illis*

huius, *ne statuas illis hoc peccatum.* Erubescat, qui nec rationem, nec sanctam Christi legem revereretur.

VI Infelix & turpis plerumq; contentiões sectãtium exitus est.

Infelix planè homo, nec vitâ, consortioque hominum dignus, qui alijs levi de causa salutem vitamque, ut in contentionibus solet, eripit. Nemo diu inultus vixit, qui alios inultos vivere non sustinet. Vidi, belli adhuc in Belgio vigentis tempore, tres præcipuę nobilitatis juvenes invicem familiares, brevi annorum periodo, & confecisse in duellis plures alios & mutuis demum gladiis confectos cecidisse: tam, apud prudentes alios, hoc pugnandi ardore infames, quam suâ inter se effeminati animi stultitia gloriosos. Supra quatuor hominum millia ex Gallica nobilitate duellis cecidisse comperti sunt, quando Henricus IV Rex edicto hæc sustulit. Imbellium canum est, in mutuos facilè morsus proruere, Leonum dissimile ingenium. *Leones*, ait Solinus, *prostratis parcunt, robustos potius in viros, quam imbelles: sæviunt in feminas, infantes verò non nisi magna oppreßi perimunt fame*: generi inprimis suo nil intentant mali. Et non pudebit homines, belluis sese immaniores videri? aut certè non nisi cum probrosissimis comparari?

lib. 4 c. 8.

Jam verò quæ duellantium temeritas mala incurrat, quis ignorat, aut prudens negligere, vel aspernari poterit? Hæc enim nisi pro vitæ solius defensione, aut quod par vitæ censeri bonum soleat, ut est reip. vel etiam animæ

salus, suscepta nequeunt tolerari. Quocirca universim, tam civilibus, quam Ecclesiasticis sunt legibus, sub gravissima pœnarum interminatione, prohibita: etiam illa quæ olim purgandi criminis gratia, inter accusatorem reumque fuêre usitata; quod compertum aliquando sit, innocentes cecidisse, neque ulla Dei lege his immunitas promissa cognoscatur. Porrò ab Ecclesia excommunicationis latæ sententiâ proscribuntur omnes locorum Domini, qui duella indulgent, assistentes patrini, auxiliatores, ipsique demum spectatores.

Duellis severissimâ pœnâ prohibitis immisceri nefas, nisi vita hominis, aut salus publica periclitetur.

Vide Concil. Trid. sess. 25. c. 9.

Quæ de indictis privatim etiam duellis, idq; per septẽtrionales partes quoque accipienda esse Gregorius XIII & Clemens VIII statuêre. Quin & Eccesiasticâ prohibentur sepultura, sacraque eorum corporibus loca inquinantur; quod tamen in Germania non videtur receptum. Nulli igitur famæ, honoris, opumque gratiâ, quæ infra æstimationem vitæ bona sunt, multoque minus vindictæ, aut fortitudinis ostentandæ causa, in duello (nisi invasus defensione justâ se propugnet) comparare licet, etiamsi officij dignitate, fortunisque omnibus in discrimen vocetur. Cum animæ salus omnibus mundi bonis sit anteferenda. Et turpe in omni repub. sit, humanas divinasque leges privatæ cupiditatis studio pessundari, hominumque sapientum monita ac supremam Dei autoritatem contemni ut mirum sit, tam amentes & ab omni

omni honestate aversos reperiri, qui in facinore condemnatissimo, ideoque prorsus inter veros rerum æstimatores ignominioso, gloriam collocent. Si David in duello provocatus adversus Goliathum laudatus comparuit, fecit id & in campo adversus publicum hostem, & universi exercitus servandi gratiâ, hostesque fortitudinis suæ experimento avertendi. Publica multorum salus, vitæ unius discrimini est anteferenda. At provocatoris Goliathi temeritas illaudata, merito quoque exitio est castigata. Rarò felix exitus protervè in duella properantes excepit. Notum hac ætate in terra Luxenburgensi nobilis Baronis exemplum est, qui cupiditate duellandi flagrans, ut Isenburgico adversario, induratus contra ictus, resisteret, Pastorem ovium, eius ut ferebatur artis gnarum, importunè sollicitabat. Vnde hic denique re cum socio communicata, nobilem caput sacco, dum adjuratio fieret, abdentem confecit, spoliatumque ære ac vestibus silvæ latebra sepultum reliquit. Donec cadaver odore tracti canes; mulieres litigio collisæ occisores viros prodidêre, qui ex equuleo & rota veritatem publicè professi sunt, & infaustum duellandi in persona illustri exitum vulgarunt. Familiæ parco, cum adhuc superstitibus multis rem notam commemorem.

VII. Duellator sibi non minus quam adversario, nocet.

An non stultissimum hoc vindicandi studium, quo opes, honores, famam, vitam, animam denique prodigimus, Dæmoniq; æternùm

num cruciandi offerimus,ne ultionem omittamus;nulli gravius nisi nobismetipsis nocituri. Duellantium alia esse victoria,quâ adversarius cadit,non potest, nisi per animam victoris,quâ hanc ipsam lethifero ictu conficit. Quare meritò nunc in Gallijs constitutum,ut victor in duello,carnificis ferro jugulatus,pro triumpho,infamis, sub patibulo cadat victima.

Dubites fortassis. Num imitatione duelli,inter Davidem Goliathumque instituti, unum pluresve,pari inter se numero committere pro fortitudinis experimento & gloriæ causa liceat? Exempla facti dari possunt. Sub Carolo VIII Gallorum Rege trans alpes belligerante,Italus quispiam Gallum corpore minorem contemptim Nanum appellabat, qui animosè respondit: Nanum hunc etiam Herculi extorquere clavam posse.Igitur spectante Rege in pugna commissi,postquam acriter diuque certatum esset,Gallus Italo denique præcordia transadigit,& 500 victor aureis à Rege donatur. Hoc ijsdem factum in castris,quod subjicio,in oppositis. Cum Sigismundus Austriæ Dux,Augustinum Barbarigum Venetorum Ducem bello lacesseret, Antonius Maria Ruperti Sanseverinatis copiarum Ducis filius,uti alter Goliath ex Sigismundi castris fortissimum Germanorum ad conserendas ferro manus provocavit. Obtulit se ex illis Joannes Comes Sonnebergius; victori equum hostis, arma,

Ferronus l. 1. de gest. Franc.

Diversa duellantium exempla expenduntur.

Ex prosapia stirpis VValburgicæ Beierl. lit. D n. 423.

& mille florenos ex pacto decrevêre; nomen verò Catharinæ pronuntiatum dedentis ſeſe victi ſignum erat. Paribus itaque armis, inter utraque caſtra metis fixis, concurritur, pugnaturque ex equis primùm, quo cum Antonius excidiſſet, nihiloque ſegnius pedes adverſus equitem Sonnebergium pugnaret, hic reſtitante equo amiſſoque, quem dextrè hoſtis ſubtraxerat, gladio, in terram ſe quoque cum pugione deinde & clava pugnaturus conjecit hâc etiam abjectâ quod æmulus gladio rem ageret, Germanos de victoria deſperantes conterruit. At, cum ſolo pugione aliquot hoſtiles eliſiſſet ictus, denique ſub gladium eius penetravit, mediumque amplexus in terram devolvit, tum explorato ſub armis ad corpus aditu, pugionem in nates iteratò agit, quod ſentiens Antonius, Catharinæ nomen ingeminans, Germano victoriam gloriamque, ſi qua erat, indulſit.

Tertium quod plurium inter ſe concurrentium fuit apponam. Anno MDC Dominus de Breaute Gallus, Batavis contra Hiſpanos militans, ferox virtute & armis cum aliquot ſuorum militum, ab Hiſpanis pari numero victoribus, cæſos dolenter acciperet, nuntiavit his ſub Grobendonckio Duce Sylvæ Ducis militantibus, ſe contra 40 Hiſpanos, 20 ſuorum, ad condictum, haud procul urbe, certamen, miſſurum, ſi conditionem non abnuerent. Reſpondit Vicarius Grobendunckij: ſi tantum ſuorum virtuti tribuetet,

ret, viginti & duobus, pares solùm numero destinaret, aleam sese non detrectare. Missis igitur ultro citroque, postquam de armis & legibus pugnandi constitisset, venerunt, animosèque cum Gallis congressi Gerardum Abrahami Ducem suum cum fratre primo impetu cadentem Hispani amisêre. Stant tamen, jam plerumque equis cadentibus, reliqui, ac post diversos impetus Gallos profligant, aut capiunt in quibus Dux ipse Breaute, licet ingenti lytro vitam sollicitaret, interemptus est, ex pacto, quod victor nulli victorum parciturus esset. Tribus ille equis sub se cadentibus, novisque semper suffectis plura inter vulnera, animo viribusque etiamnum superstes, ad pugnæ exitum fugientibus ceteris durârat. Ceciderant Gallorum 14 tres ex vulneribus postea confecti sunt. Brabantinorum sub Hispano 18 superfuere ex duobus & viginti. Dux eorum Gerardus cum suis commilitantibus honorifico sepulchro conditus est.

Horum, jure quæras, an justa certamina? an improbis duellantium temerè notis damnanda? Et quidem primum illud Itali Gallique, licet Regis Caroli approbatione fretum, meritò, cum similibus olim consuetis duellis, à Tridentino Concilio impietatis damnatum est, cum præter inanem virium ostentationem, & mutuam gentis æmulationem, nihil emolumenti contineret.

Alterum in provocatore, eâdem de causa

arguam;

arguam; nisi spem hostis ex eo facinore terrendi profligandique, justâ ratione ad parcendum reliquis Venetorum conceperit. Provocati verò cum id meritò vererentur, Sonnenbergium non iniquè opposuerunt: qui totius exercitus Austriaci animos virtutemque, ut spes erat, sustentaret, multorum enim salus unius in præsenti necessitate videbatur anteferenda. Par ferè de Belgis Gallisque ratio. Quamvis enim Gallos provocatores hoc in casu ægrè tuear, quod ostentatione sola roboris vanè inductos credibile sit: provocatis tamen & imposita necessitas, & timenda hostilis irruptionis gravior vis, si trepidè laterent, quæque hinc periclitabatur salus publica, excusationem dedisse est visa. Ita Goliathi provocatio improba, Davidis occurrentis defensio justa fuit, & S. in literis probata.

VIII
Etiã duella justa provocantiũ vanitas iniqua efficiet.

Quod si tamen provocatorum, par cum provocantibus vanitas sit, neque ut David veniant *in nomine Domini*, & pro reip. salute; sed ut solam fortitudinis laudem gloriamque auferant, nec horum quidem in eiusmodi certaminibus sortem, pro totius mundi bonis adire cupiam; quòd præsens animæ periculum subeatur. Et tamen, quàm pronus hic est provocatorum in pugna sensus.

Admirabilis exempli est duorum Hispanorum facinus, ex quo insanam humanæ gloriæ cupiditatem in eiusmodi pugnis æstimes. Duo nobilitatis Cæsaraugustanæ adolescen-

tes Petrus Torellius & Hieronymus Anca, ex lusu alearum, quamvis vita & moribus familiares, contentione suscepta, in duellum prodierant, quo Torellius, gladio manibus excusso, inferior se Ancæ submisit: eâ tamen lege, ne quis resciret mortalium, quòd ignominiam hanc morte graviorem duceret. Promisit Anca silentium. Vulgatus tamen brevi eventus, sive Anca (qui id negabat) sive alterius observatione proditus. Ergo hunc Torellius, ceu fidei violatorem, publicis tabulis apud Carolum Cæsarem oblatis rursum provocat. Hic frustra conciliari jussos ad Proregem Castellæ ablegat. Ubi & perditâ conciliandi operâ, ex inolito tunc more, facultas publicè in foro Vallisoletano decertandi datur. Cumq; Cæsar ipse diribitor adesse statuisset, ingenti cultu theatrum adornatur, locusque arenæ suis operibus circumscribitur, ad quam stato die horaque, magno apparatu tum armorum, tum amicorum conveniunt. Explorata utriusque arma, quæ erant hasta bipennifera: & gladius punctim ferire aptus, adhæc cataphractura, quæ erat pondo minimum nonaginta, uterq; tectus. Quare in consessu Cæsaris, Proregis, & nobilitatis amplissimæ, post celebratos prævios ritus, legesque pugnandi acceptas, congrediuntur, & Torellius provocator quidem majori ardore ad tubarum sonum provolans gravi bipennis ictu Ancam præoccupat, ut ad ejus impetum retroageretur; sed parem mox collecto animo reponit Anca; tum deinde ingentibus

Pontus. Heut in hist. Belg. Princ.

mutuò collisi diu ictibus, fractisque bipennibus, cum ad gladios provolarent, Cæsar periculum gravius discussurus, projectâ, quam tenebat manibus, virgâ aureâ, signum pugnæ dirimendæ dedit, testatus utrumque generosi pugnatoris, quorum robore adversus hostes uti desideret, implevisse partes. At urgentibus, ut pronuntiaret, penes quem staret victoria: Cum Cæsar, nec victorem, nec victum inter eos, sed fortiterque parique ab utroque virtute dimicatum esse assereret, ideoque in mutuam redire gratiam juberet; pertinaci reclamatione non acquievêre.

Quare, cum nec ipse Cæsar, nec Prorex quicquam suadendo agerent, ignominiosè uterque ab arena ejectus est, ac deinde, cum obstinati starent, carceribus mancipati sunt, & serò denique, verùm simulatè magis, quàm verè conciliati, turpi æmulatione indignam Christiano homine vitam transegêre; cum quærendo stultè victoriæ gloriam, gloriam omnem amitterent. Vides, opinor quam periculosa res sit, etiam repub. probante, duellis collidi & provocatum, licet justè se tueatur, iniquo tamen vanæ gloriæ affectu transversum agi posse, & salute sua cadendo excidere.

IX Egregio facinore Princeps de Chimay duellantiũ cupiditati illusit.

Quocirca præclarè superioribus annis dum Coloniæ versarer, à laudato Belgarum Principe de Chimay actum, literis datis accepimus. Eum scilicet, dum nobilium ex aula Epheborum duo mutuis inflammati

odijs

odijs duellandi facultatem urgenter poſcerent, conceſſiſſe denique, ut ſe ac nobilitate præſente, in deſcripta ſtatione occurrerent. Ubi conveniſſent, tum, ut ſolet exploratis Princeps armis, veſtibuſque: has quidem rectius ſuperiori corporis parte deponi aſſeruit, ut pateret, quo loco vulnus defigeretur, quod cum præſtitiſſent, gladios exhiberi præcepit, quibus acceptis, ſibi dixit ſuppetere aptiores: mox ex tenacibus virgultis, in aqua ad flexilem habilitatem maceratis, offerri juſſit, aptas tergoribus laniandis, virgas. Quas licet indignanter refugerent, Principis graviora, interminantes correptione territi, admiſerunt denique, tantoque in tergus mutuum ardore graſſati ſunt, alijs aliiſque virgarum ad ſatietatem ſuppeditatis, ut tota demum diſciſſi cute ridiculum aulæ ſpectaculum fuerint. His porrò verbum nullum excidit, qua de victoriæ gloria ambitiosè contenderent. Tanti refert, quibus armis legibuſque in duellis concertetur. Si nudis quandoque pugnis, ut inter agricolas ſolet, concurratur, minus reprehenſionis ac diſcriminis habebunt certamina, nec Eccleſiaſticæ excommunicationis fulmen ſuſtinebunt. Feliciter pugnavit, qui adverſario ſine vita victoriam extorſit: male etiam inimico eripies, quod, ſi volueris, reddere non poſſis.

X Duellantiū pugnæ cū pugnis minus rehēſionis & periculi habent.

Lepida duorum concertatio fuit, Hæretici ac Monachi, ille fortè obvius, colaphum huic per contemptum infringit: hic cum admiratio-

miratione & indignatione ſubſiſtens; quorſum iſta ſpectet invadendi protervia, quærit, queriturque. Tum alter, bone Frater, tu ſcripturam ignorare videris, quæ monet: *percutienti unam maxillam, præbe & alteram.* En, ait Monachus, habes & alteram: nec ſegnis ille, palmarem ictum priori addit. Tum verò Frater, ut erat viribus nihilò inferior, vibrato haud impigrè brachio reponit accepta: ſubjungitque, & te ſcripturam ſciſſe oportuit; quæ ait: *quâ menſurâ menſi fueritis remetietur vobis*: ita mutuis colliſi pugnis, cum ſuperior evaſiſſet Monachus, tertiusque diremptor accurreret: *Sine*, inquit Frater, *ſine, progrediamur: Nam Sac. nobis ſcripturam invicem exponimus.* Res ſubinde in riſum verſa, & Hæreticus, cum plena ſatisfactione menſuræ redditæ, domum revertit, ac *neſcivi*, inquit, *tantam vim ſacra interpretandi habere Monachos.* Incruentæ ejusmodi pugnæ, quanquam non admodum in Chriſtiana diſciplina probatæ, cum injuriam hæc glorioſius ſuſtineri, quam inferri doceat: nullius tamen fori cenſuram ſubeunt. Gentilium olim ſcholæ axioma fuit: *Magni animi proprium eſt, tranquillum eſſe, & injurias atque offenſiones ſemper deſpicere.* De principum injuria ſic diſſerit idem Seneca: *Potentiorū injuriæ hilari vultu, non patienter tantum ferendæ ſunt. Notiſſima vox eius eſt, qui in cultu Regum conſenuerat: cum eum quidam interrogaret: quomodo rariſſimam rem in aula conſecutus eſſet, ſcilicet ſenectutem? Injurias, inquit, accipiendo & gratias agendo.*

Seneca in Prov. de Moribus.

lib. 2. de ira.

XI Glorioſi9 eſt offenſiones omnes negligere.

Mino-

Minorum ex vulgo injurias æstimare non decet. Majores molossi, catellorum latratu nil moventur. Vilis animi est, ad vulgi sese contentiones demittere. De conditione paribus quid multum disceptas? *Puerum excuset ætas feminam sexus, extraneum libertas, domesticum familiaritas. Nunc primum offendit, cogitemus quamdiu placuerit. Sæpe & alias offendit, feramus quod diu tulimus. Amicus est; fecit quod voluit: inimicus est; fecit quod debuit. Prudentiori cedamus: stultiori remittamus. Pro quocunque respondeamus nobis; Sapientissimos quoque viros multa delinquere.* Hæc ex Ethnicorum disciplina: ex Christianorum illud solum adjiciam: Et te Dei majestatem supremam lædere indies, hactenus tamen, ignoscentem nisi igitur pariter ignoscas, qualis putas oratio tua futura est: *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus*? Non indulges? ergo, ne & tibi Deus indulgeat, postulas.

XII. Ratio optima negligendi aut eludendi suggeritur exemplis.

Quod igitur remedium, inquies, mali tam detestandi? Paucis illud tradam. Contentiosos dum potes, vita; si non potes, neglige, aut risu excipe, vel joco explode injuriam; ut si te tangi non satis sentires, etiam dum sentis. *Respiciamus*, ait Seneca, *eorum exempla, quorum laudamus patientiam, ut Socratis, qui Comœdiarum publicos in se expectoratos sales, in bonam partem accepit, risitque non minus, quam cum ab uxore Xantippe immunda aqua perfunderetur: diceretque, non mirum si post tonitru, sequatur pluvia. Quosdam*, inquit idem Philosophus;

lib. 2. de tranq vitæ

unius verbi contumelia, non æquo animo lata, in exilium projecit, & qui levẽ iniuriam silentio ferre noluerant, gravissimis malis obruti sunt. Silendum itaque, aut explodendum. Scintillam in sinum lapsam, aut preme, aut rejice. Nam parva sæpe scintilla magnum excitavit incendium. Verbum levius jactum, ceu fulmen, cum in pyrium cadit pulverem, multorum sæpe hominum vitam evertit, quæ stare poterat, dissimulatione injuriæ.

Lib. 2. de Ira.

XIII. Neglecta hæc ratio quantum adferat ex levicula re mali, quantum boni observata! *Lycosth. aliique.*

Narseti fortissimo Duci, postquam illustribus victoriis clarus totâ Gothos Italia submovisset, Sophia Justini Imp. conjunx his illusit verbis: *se Eunuchum illum* (talis erat) *mox ad colum revocaturam.* Non tulit contumeliam dicti Narses: & *ego* reposuit, *talem illi telam ordiar, quam nec ipsa, nec posteri facilè retexẽt,* simulque evocatis in Italiam Longobardis, & sua, & aliena, cum multorum internecione, prodigere maluit: quàm ultionis libidine non frui. Rectius olim Demonax, qui non verbis solum, sed & lapidis ictu vulneratus, cum ab amicis Prætorem, vindicandæ injuriæ gratiâ, juberetur accedere. *Non* inquit, *Prætorem mihi, sed Medicum sentio adeundum.* Quo quisque generosior animo, hoc major injuriarum contemptor est.

Alexandro nuntiabatur, quorundam illum conviciis appeti: tum is: *regium est, cùm benefeceris, audire male.* Nonnunquam, dum præsentem sed non observatum, milites in tentorio calumniosè traducerent: *submissiore*

Plut. in Alex.

ere ista voce, inquit, *ne Alexander audiat.* Ad similem heroum si aspires gloriam, leves dissces contumelias imò & graves aspernari. *Vires tuas amici magis sentient beneficiis, quàm injuriis.* Ignominiam graviorem patitur, qui vindicando hanc fugit. Ad duellandi verò cupiditatem, nullâ te patiaris injuriâ; seu ignominiæ metu, traduci. Majorem incurrere cladem nunquam potes, quàm cum sic vitas. Sive enim vincas, sive vincaris, periisti. Si cadis, supplicio cadis æterno, devota inferni ac Diaboli victima: si, cadente inimico, superes: fugâ tibi consulendum est, errabis exul, miser; metuesque quod intulisti exitium. Raro duellator siccâ morte occubuit. Et quæ gloria, in tam detestabili victoris vita? Si perstat in vita, quem persecutus gladio es; gladium ejusdem semper timebis. Inter victorem victumque in duello nunquam constans fides amicitiaque est.

XIV. Facilis ac secura vitandi duelli ratio.

Quid in contentione agendum igitur est? Cave, ne ad ferri aciem provoces: id enim tua in potestate erit, & terrere jure potest omnium provocantium infelix conditio, sive ceciderit (ut plerumque solet, etiam adversus imbelliores antagonistas) sive ad longas calamitates supersit. Si provoceris elude cum potes; si non potes: age; dic adversario, ubicunque me aggressus fueris, experiêre me non ignavum vitæ defensorem, locum tibi nullum, nec pugnæ genus addico; divinis humanis proscriptum

legibus quod animæ mihi ſit quam corporis ſalus pretioſior. Interea tuus quilibet locus tempuſque eſt. Si ignavi hæc eſſe animi dictitet reſponde: experimentum ignaviæ non à loco, ſed pugna & defenſione capiendum. Deſperati hominis & profligatæ improbitatis eſſe, ultro animam Diabolo offerre tuam tibi non eſſe tam vilem. Si pergat moleſtus eſſe abrumpe & diſcedens adde: Ilicet ad Diabolum; mihi nondum lubet eſſe comitem, nec tu tam vilis animi, & abjectæ ſalutis homo, meo dignus conſortio es. Hanc qui culpet declinandi duelli formulam, quique opprobrio, aut ignaviæ verſurus ſit, nemo, opinor, inter rationales homines futurus eſt.

CAPUT XVII

An conjugatorum quam cœlibum ſtatus felicior? &, quâ cautelâ uterque capeſcendus?

ANceps inter ſapientes viros diſceptatio eſt; Feliciorne hominum in conjugio, an extra illud conditio ſit? quæ multis rationibus ultro citroque ventilata, pro diverſo multorum ſenſu variè definitur. Meneaemus olim ſciſcitanti cuipiam: *Num ſapienti eſſet ducenda uxor?* viciſſim ſciſcitatur; *num ego, ex quo hoc quæris, tibi videor ſapiens?* cumque annuiſſet *at*, excepit: *uxorem me duxiſſe vides.* Suo igitur exemplo, quid ſentiret faciendum Sapienti, oſtendit. Parem ſi hoc tempore apud Proteſtantium Eccleſiaſticos quæſtionem inſtituas; ac ſciſciteris: num Eccleſiæ Dei Miniſtris

Laert. l. 2.

I
De conjuge ducēda diverſus diverſorū ſenſus eſt.

ſtris ducenda ſit uxor? ſuo tibi exemplo reſponſionem deferent cum Luthero, qui nihil aſſeruit dulcius in mundo eſſe amore mulierum. Socrates tamen veteris Philoſophiæ non imperitus arbiter, ab Adoleſcente interrogatus; *rectiuſne facturus ſit, uxorem ſi ducat, an ſi negligat?* definire rem ancipitem noluit; ſed reſpondit: *utrumcūq; feceris pœnitebit.* Nam & cœlibatum, & conjugium ſuas adfert moleſtias, cuivis ſuſtinendas. Eodem penè Antiſthenis reſponſio ſpectat, qui cuiuſmodi uxorem ducendam eſſe ſentiret, quærenti, inquit: *ſi formoſā uxorē duxeris, habebis communē; ſi deformem pœnā. Cui Pittacū oppoſuiſſe alij ferunt: imò ſi formoſam duxerit, non habebit pœnam, ſi deformem non habebit communem.* Sic Aureolus Philoſophus, qualis eſſet ducenda roganti: *Si pauperē*, ait *duxeris, difficulter ales; ſi divitem difficilius reges.* At reponi eidem poterat *ſi divitem eliget, facile alet; ſi pauperem facilius reget.* Aſſyrij olim, & Babylonij, denique & Veneti, ut pauperes juxta ac divites, formoſas ac deformes nuptui opportune traderent præſtantes formâ Virgines non niſi pretio juſto emendas auctione venales proponebant, ut cederent plus offerentibus: at deformibus collatum pro formoſis pretium, in dotem offerebant; quæ cedebant magis indigentibus. Mediocris formæ gratiæque Virgines, nullo nec accepto, nec dato præmio gratuitis nuptijs collocabant. Ita proſpectum univerſis fuit. Germanis haud diſpar conſuetudo, apud quos

Val. Max. l. 7 c. 2.

Laer. lib. 6. c. 1.

Stob. ſer. 65.

Ælian. l. 4. Sabell. l. 16. c. 1.

II Qua ratione omnes olim puellæ, etiā turpes elocatæ ſint.

quos vel auro argentove; vel certè generosis facinoribus relatisque ab hoste victorijs Virgines erant in thalamum comparandæ: tantò quæq; nobilior, quantò quis auro, factisve nobilioribus, præstaret. Nimirum hi olim gentiles æqua matrimonia cœlibi vitæ præferenda meritò censebant; quod nemo amore continentiæ ante cognita disciplinæ Christianæ consilia, nuptias declinaret; sed libertatis vagæque libidinis studio: aut quod comparem non reperiret, seu volens, seu invitus conjugio abstineret. Quare pleræque gentes tum ad licentiam hanc coercendam, tum ad florentem reip. statum posteritate dignâ propagandum, matrimonia justis legibus, pœnisve intentatis urgebant. Spartani ex Lycurgi instituto, ad spectacula & convivia publica, cœlibes non admittebant: apud Athenienses solenni quodam festo tales in delubro circa aram nudati à mulieribus probrosè flagris cædebantur. Platonis lege, qui post annum trigesimum viri extra matrimonium viverent, pecuniarum quot annis mulctam pendebant. Contra fœcundi thalami parentibus sua etiam in rebusp. constituta sunt præmia. Apud Spartanos trium filiorum pater ab excubijs; quinque, à publicis quoque servitijs immunitatem sortitus est. Apud Romanos prout liberis quisque, ita & petitione magistratus, & in sententia dicenda potior: honoratiorem quoq; in theatro publico locum occupabat.

Plut. in Lycurgo.

Scal l. 3. de re poet.

Plat. l. 6. de leg.

Arist. 7. Pol. c. 7. Ælian. l. 6. c. 5. Appian. l. 2. de bel. Suet. in Aug.

Nos

III Coniugiũ apud Christianos & gentiles honorabilis.

Nos Christiani cum Paulo sentimus, quod Matrimonium à Deo inter virum & mulierem ad generis humani propagationem institutum sit; ideoque Adamo in paradiso creato, *fecerit adjutorium simile.* Eva ex Adami costa procreata, ut essent *caro una* & anima una; dictumque illis: *crescite & multiplicamini.* Quam deinde Christus legem, ostendit universo magis humano generi, quàm singulis datam. Quando Apostolis significavit, laudabile esse, fieri *eunuchum propter regnum cœlorum, nec expedire cunctis nubere.* Ceterùm in republ. necessarium est multorum matrimonium, & jure *honorabile conjugiũ, ac cubile immaculatum* censetur. Deus autor, & natura hoc exigunt. Aristoteles idem agnoscit: quia, inquit, *homo naturâ magis est animal coniugale, quàm civile. Nã & prior, & necessaria magis est domus, quàm civitas* Assentitur Cicero. *Principium enim urbis est, & quasi seminariũ reip. ut constituatur prima societas in conjugio, proxima in liberis, deinde una domus, cõmunia deniq; omnia.* Altera ratio est, quòd cum quisque mortalium brevi annorum periodo vitam absolvat, ne sua mundo desit perpetuitas, non minus homo homini, quàm anni annis substituendi, ex maris & feminæ conjunctione, liberorumque propagatione sint; ne paucorum interitu mundus evertatur. Deinde cum ad quandam immortalitatem nominis memoriæque nostræ aspiremus, quomodo hanc certius, quàm in posteris

Gen. 1.

Mat. 19.

Hebr. 13. 4.

8. Eth. c. 12.

lib. 1. offic.

noſtro ex ſanguine relictis aſſequemur ? Tertia huic ex mutua ſocietate auxilioque, ac fide ratio accedit. Neque enim omnes poſſumus omnia, nonnulla viris, alia feminis opera conveniunt; has domeſtica, illos publica decent officia; his focus, & liberi, illis forum & curia competunt. Sine mulierum confortio difficilè cuncta adminiſtrantur. Equidem fateor, ſi talis ſit uxor, qualis à Siracide deſcribitur bona, magnum illa mortalis vitæ ſolatium eſt, felixque vir eſt, qui talem ſortitur. Mulieris inquit, *bonæ beatus vir, fortis oblectat virum ſuum, & annos vitæ illius in pace implebit. Pars bona mulier bona, in parte bona timentium Deum. Dabitur viro pro factis bonis.* Expertus illud junior Tobias, qui Angelo paranympho Saræ conjunctus eſt, quia optimi ipſe parentis optimus erat filius. Magnum Dei donum eſt uxor probata. *Gratia mulieris ſedulæ delectabit virum ſuum, & oſſa illius impinguabit. Gratia ſuper gratiam mulier ſancta & pudorata. Omnis autem ponderatio, non eſt digna continentis animæ, ſicut ſol oriens in altiſſimis Dei, ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus ejus &c.* Sed *mulierem fortem, quis inveniet? procul, & de ultimis finibus pretium ejus. Confidit in ea cor viri ſui.*

IV. Bona uxor magnum viri ſolatium auxiliumque.

Eccli. c. 26. v. 1.

Plures tamen orbis Chriſtianus tales dedit, ex quibus Sanctia Caſtellæ Comitis uxor, quæ marito à Rege in cuſtodiam abſtracto habitu peregrinantis ad virum admiſſa, ejus denique in carcere veſtem perſonamque induit,

Vaſæus in, hiſt. Hiſp. ad an. Dni. 932.

duit, ac suo Comitem habitu, ipsa in captivitate persistens dimisit. Rex cognitam illusionem, quamvis principio gravissimè ferret; mox tamen virtute ac fide Sanctiæ consanguineæ delectatus, liberam eandem conjugi reddidit. Fortis sanè mulier, quæ nec vitæ quidem propriæ discrimine, conjugis de vita periclitantis ingeniosam opem neglexit. Non imparis fidei amorisque facinus ad servandum Robertum Britanniæ Regem conjux aggressa est. Is ex Syriaca expeditione redux veneno barbarorum in brachio percussus ferro, sanitatem, nisi extracto per suctionem veneno, desperabat. Quod cum famulantium nemo præstaret, uxor propriæ contemptrix vitæ, marito per somnum quiescente, ne vigil obsisteret, sustinere discrimen ausa, admoto ore præstitit. Connivente deinde marito sensim vulneris pus venenumque sugendo in os traxit, expuitque identidem, tam felici, superis huic pietati faventibus, eventu; ut facili deinde Medicorum cura & plaga Roberti consanata sit, & conjugis ab hausto labiis toxico periculum discussum. Ad tam abjecta, discriminisque plena servitia conjugalis sese amor demittit. Plura ejusce dilectionis exempla suppetunt, quibus supersedeo, illud tamen subjicere visum fuit, quod præter uxorũ in maritos fidem, lepidæ aliquid novitatis continet. Conradus III Imp. in bello contra Gwelfonem Bavariæ Ducem susceptum, Winsbergũ oppidũ anno Dni MCXXXVIII de-

V. In adversis fida.

Viviennus l. 2. de officio probi Patrisf l. 2. c. 3.

Naucl. vol. 2. gen. 38. An. 138.

deditione accepit, eâ lege, ut ſolis feminis militaribus cum onere, quod quæq; ferre poſſet, exeundi libera poteſtas eſſet. Quare conſultatione muliebri inſtituta, quid potiſſimum cuique efferendum, neglectis opibus, maritos humeris exceperunt, portiſque hac ſarcina egreſſæ, ridiculum ſimul jucundumque totis caſtris ſpectaculum præbuerunt cui, ut inexſpectato facinori, cum Fridericus Regis frater obniteretur, pactiſque adverſari contenderet; quod de eiuſmodi ſarcina cogitatum non eſſet; Conradus tamen pietate ingenioque feminarum delectatus, ſecurum exitum indulſit, rarumque hoc muliebris in amore conſenſus exemplum poſteris deprædicandum reliquit. Concludere hoc facto de mulierum fide meditabar, quando ex Trevericis noſtris Annalibus mentem admirabilis illius Genovefæ conjugis Sigefridi Palatini in Meinfeldia Comitis memoria ſubiit. Hæc Brabantini Ducis filia, ſpecie eximiâ, nec caſtitate inferior, cum maritus ſub Friderico I Imp. cum ſignatis cruce militibus ad terræ S. expugnationem diſcederet, ſub Golonis Præfecti cuſtodia, in munita arce relicta eſt, conceptâ à diſcedente Comite in utero prole. Verùm infidus cuſtos, illicitis correptus amoris flammis, in expugnatorem verſus, pertentare Dominæ fidem omni illecebra atq; arte cœpit, fictis etiam literis mortem Sigefridi nequicquam mentitus. Sed cum inex-

Brevv. ad annum Chriſti 1156.

VI In fide integra.

inexpugnabilem semper reperisset Genovefæ pudorem, jamque redeuntis ex Palæstina Comitis rumor increbresceret , perfidiæ suæ pœnam veritus, Genovefam , quæ absente marito pepererat , adultero consuevisse fingit , unde & proles nata sit. Sigefridus, qui se gravidam reliquisse ignorabat , hoc argumento impulsus , Ministris , ut in sylvam procul, cum prole abductam enecent , sibique in cædis fidem linguam referant , committit. Famuli, quibus Golonis magis, quàm Dominæ integritas suspecta erat, procul in silvas ablegatæ manus abstinent , linguamque cani exsectam Sigefrido , ceu peractæ cœdis testem, exhibent. Genovefa in latebras silvarum abdita, & agrestibus victitans herbis , frigus juxta æstumque , Deo suaque innocentiâ freta sustinuit , singulari Deiparæ, cui impensè serviebat, patrocinio se suamque prolem committens: neque in præsens deserta, quando ad lactandum infantem ultro sese cerva præbitis uberibus offerebat. Ita sexennium fluxit , cum Sigefridus venationis studio huc delatus , cervamque canum persecutione ad hoc latibulum fugientem consecutus , inusitato mulieris spectaculo attonitus primùm, Genovefam denique suam agnoscit, atque ex illa ministrorumque assensu, Golonis perfidiam intelligit, quem immani supplicio bobus alligatum distraxit, Genovefa cum sobole in locum ho-

norem-

noremque pristinum, majorem etiam obser-vantiam, receptâ utque æternum duraret be-neficentiæ divinæ monumentum Ecclesiam Deiparæ Virgini uxoris protectrici templum excitavit ubi hodiedum, non sine miraculo-rum gloria, Deipara colitur, & Genovefæ in-tegritas celebratur. Nimirum, *honorabile coniugium in omnibus & thorus immaculatus. Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus.*

Hebr. 13.

VII Felices qui talib9 potiūtur.

Quod si tales cunctis feminas largiretur Deus optabile sanè esset conjugij nomen, ambienda sors & felicitas. Haberent in adver-sitate solatiū mutuum, in jucūditate consorti-um, in senectute præsidium, sive à thori socia, sive à liberorum obsequio, quo in ætate decli-vi nihil potest esse gratius, cum ita ab hac vita discedant, ut & corporis animique vivam post se imaginem in prole relinquant, & for-tunæ bona, suo vel labore parta, vel industriâ conservata memori gratæq; posteritati tran-scribant. Demum ad reip. non solum orna-mentum, sed & commodum, bene institu-tam sobolem, (quæ solet esse optimorum pa-rentum cura) transferant; ut se natos in hanc vitam fuisse, dolere non possint.

XI Rara tam laudatarū feminarū conjugia.

Verum, an multarum familiarum ea felicitas sit, ut tam fortunatis connu-bijs gaudeant, hoc qui integræ alicuius urbis domos coalitamque vitæ societa-tem exploraverit: aut qui multorum con-scientiæ secreta, arcanaque negotiorum inspexerit, facilè statuit: reperturus sanè

plurimos,

plurimos, qui quam cupidè ad matrimonia anhelarunt, tam deinde, consumptâ voluptate, ac desiderio conjugum, ad pristinam avidè libertatem aspirent. Invenies qui se velut ad carceres ac triremes damnatos lugeant, tantò infeliciores, quod nisi à morte redemptionem non exspectent. *Bini* ait apud Stobæum Hipponactes *jucundi cum uxore dies sunt: alter quo ducitur, alter quo mortua effertur.* Rara res mulier est, diu conjugio placitura. Si uxorem formæ tibi verborumque lenocinio placentem duxeris, consuetudine hæc sensim gratia minuitur; aut quod tibi placuit, multis placet, & Zelotypiæ æstu distraheris, nullaque satis custodiâ munitam existimas. Illud tibi poëtæ identidem sensum vellicat - - *rara est concordia formæ*

Atque pudicitiæ.

serm. 69.

Una Helena, quantas dedit in Asia turbas, collisæ inter se gentes integræ decennali bello, excisa Troia, multa hominum millia interempta. Bersabea à Davide conspecta, secum fortissimum Regem ad extrema flagitia præcipitavit. Mulier quæ corporis formam impensè curat, animæ plerumque negligit, & tantùm ferè moribus probatis derogat, quantum amoribus studii largitur. Talem alebat Protagoras filiam, cuius forma cum inimicus ipsius captus teneretur, petitam ad nuptias concessit: mirantibus deinde amicis quærentibusque, ut quid professo hosti indul-

Anton. ser 34. part 2. Meiss.

indulſiſſet filiam? reſpondit, *quia nihil illi dare deterius poteram.* Ulturum ſeſe hoc pacto hoſtem credidit, quod tali eum mulieri obligaſſet. *Commorari cum* Leone *&* Dracone *melius quàm cum femina nequam*, Siracides ſtatuit. *Dolor cordis & luctus*, idem inquit, *mulier Zelotypa. Sicut boum jugum quod movetur, ita & mulier nequã; qui tenet illam quaſi qui apprehendit ſcorpionem*, ubi malitia ad formam accedit mulieris, Phædra eſt, aut Medea: audet, ac tentat omnia, ut vel amatum teneat, vel perdat. Genovefas rariſſimas invenies, aut etiam Clotildem, cuius formæ cum pietate Chriſtiana ſociatæ Franci, ſub Chlodoveo I Rege ſuo, veræ fidei cognitionem debent.

Eccli. 21.

Cap. 26. v. 8.

Annal. Franc. in Chlodov.

X Chlodoveus Rex Franc & Conſtantius Imp. ſuo cõjugio felix.

Illa enim, ut erat eximiæ pulchritudinis, neptis Gundebaldi Burgundionum Regis, ſub illius vigili cuſtodia ſervabatur. Huc igitur Aurelianum familiarem Chlodoveus deſtinat cum muneribus, eamque ſibi ſponſam rogat. Is habitu pauperis ante Eccleſiam, unde exitura puella erat moratur, cumque ſtipem roganti largiretur, raptam manum delibat amicè oſculo. Quod dum miratur, acerſitum ſeorſim mendicum ſciſcitatur. Quæ cauſa exoſculãdi dexteram? quis ille? & quid hoc facto myſterij recondat? Tum ille Regis ſe Francorum legatum, deſperatum aditum hac ſpecie tentaſſe. Veniſſe ut ipſius amorem declararet. Fruſtra reſpondit, niſi is Chriſtianis initietur: neque enim cum in-

fideli-

fidelibus fas est thalamum nobis sociare. At, excipit Aurelianus, id si promittat, num ultra recusabis? Non abnuam ait Clotildis, si mihi annuerit. Ergo deprompta cum annulo ornamenta sponsalia, legatus nomine Regis offert, fidemque addicit, atque accipit. Ita auspicatis nuptijs datum initium est, & Chlodoveus haud multò post nobili victoriâ in desperatione belli ad Christi invocationem potitus, instructusque ab Episcopis, Christianam fidem professus, Rexque à S. Remigio Rhemis, oleo etiam cœlitus allato, consecratus. Tantùm formosa & religiosa simul femina potuit Talis & Helena nostra Treverica, Græcorum Helenæ longè non tam forma, quam moribus dissimilis, Constantio Constantini M patri thoro sociata, quæ illum denique impulit, ut primus inter Romanos gentilium Imperatores Christianè mortuus esse, ab Eusebio feratur. Cuius exemplo Constantinus postea ad Christianorum propensus sacra, ea denique & amplexus est, & orbe toto propagavit. Sed ut illas ad pietatem, ita plures alias ad impietatem viros traduxisse reperies. Nunquid fortissimi Samsonis robur meretrix Dalila, formosa simul procaxque, enervavit. Salomonis Regis sapientissimi cor per mulieres alienigenas, specie decoras, sed religione perversas depravatum est. Heu quanti Regis, quàm turpis ruina! Nullæ opes erant, nulla vis aut potentia hominum, quæ tanti Regis animum à Deo ac pietate avellerent, nullo quo flecteretur.

Annal. Trev. in nostris Ant not. ad tom. I.

XI Multi fortes sapientesq; viri per formosas mulieres depravati.

Sapi-

Sapientum ingenio, nullo, quo caperetur, inſidiantum dolo. Omni auro, vi, ſapientiâ, aſtutiâ, potẽtiores fuêre mulierum blanditiæ. Salomon his ſuperatus eſt. Ex divite rerum inops, ex ſapiente inſipiens, ex religioſo ſceleratus effectus eſt. Nec Chriſtianorum malè per feminas pereuntium exempla Principum deſunt. Valentem Imp. Chriſtianis ſacris initiatum blanda procaxque Arianiſſmi defenſatrix mulier in eundem errorem abſtraxit. Eudoxia Auguſta Joanni Chryſoſtomo offenſa, quo non ſceleris dedecoriſque in viri innocentis perſecutione, Arcadium Imperatorem inflexit. Juſtinianum Cæſarem vitâ geſtiſque pro reip. ſalute, ipſoque religionis defenſæ ſtudio glorioſum felicemque, ſola Theodoræ perditæ mulieris, & Eutychianâ hæreſi depravatæ, improbitas ad errorem quoque præcipitiumque abduxit. Nempe *ſpecies mulieris exhilarat faciem viri ſui, & ſuper omnem concupiſcentiam hominum ſuperducet deſiderium*, quam deinde ſua elatam audacemque gratia *ſequitur* vir, *tanquam bos ductus ad victimam, & neſcit quod ad vincula ſtultus trahatur*, mulieris captivus ſervuſque. Formoſam igitur blandamque & virum captivantem uxorẽ ducere plena diſcriminis res eſt. Deformem verò, licet non deſint cetera, plena faſtidii. Unde ille apud Gellium non malè philoſophatur, pulchra, ait, uxor *κοινή*, deformis *ποινή*, hoc eſt, illa *communis*, hæc *pœna* erit.

At multi de opibus magis, & amplam do-

te, quàm forma & moribus sollliciti sunt. Verũ Anaxander apud Stobæum nec hoc probat. Nam *potatam*, inquit, *si forte pauper duxerit, non jam coniugem, sed heram sibi, cui serviat, comparat.* Et Martialis ad Priscum l. 8.

serm. 67.

XII Opulentæ uxoris dominiũ plerumq; in viros grave occupans.

Vxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? uxori nubere nolo meæ.

Nubere mulierum est, alteriq; se Dominio subjicientium, quod in virum cordatum non cadit. Et Themistocles inflare opes noverat. Unde filiæ suæ maritum probum magis, quàm divitem quærebat; rogatusque causam dixit: *malo virum pecuniâ, quàm pecuniam viro indigentem.* Sed hæc à vulgi sensu aliena sunt. Quia plerisque minor de generis nobilitate, forma, ac morum probitate; quàm de opulenta possessione curà est. Nam,

Val. Max. l. 7.

Et genus, & formam, Regina pecunia donat.

Hinc ubi lautioris fortunæ mulier, tenuioris cõditionis virum sortita est, evertit plerumq; ordinem rerum ac S. scripturæ leges, & dominium, ut rerum suarũ, ità conjugis arripit, braccis, ut ferunt, occupatis; & jam non *mulieris caput est vir*, sed *viri caput mulier.* O quoties audire is cogitur: *Hac atque illa à me possides, quid tu denique contulisti? Mendicandum sine me foret.* Amare, & tamen digerendæ sapienti viro voces, nisi contumelias rixasque majores amet. Cautè igitur dives uxor prensanda est; at pauper

XIII Pauperes ductæ ingentes secũ curas trahunt.

cautela non impari. Nam species sola non poscit; corpus nudum veste, liberi pane indigent, res familiaris famulæque sine ære non possidentur. Quoties caput, etiam ubi non prurit, scabes, si crescente familia, focus tibi frigeat, penus vacua sit, culina nuda, stomachis inanis. Cui hanc tuam calamitatem imputabis, nisi in consultis nuptijs? Fœdas domuum strages ex hac miseria natas vidimus. Parentes alios ex desperatione ad spontaneam necem; alios ad furta, plures ad manticam ac mendicitatem redactos. Cave, dum licet.

Porrò scopuli in hoc Oceano plurimi sunt, in quos infelix maritus impingit, quid si enim mulierem inconstantem nactus sit?

Varium, & mutabile semper est femina:
Plaut. in Pen.

XIV Varij mulierũ plerarũque, nec ferẽdi sæpe, defectus,

Quid si sumptuosam, & pocula vino ebria, avidè exosculantem? quid si fœtoribus (ut pleræque hircum olent) obnoxiam, quos tamen sub eodem non solum tecto, sed & lecto devorare cogaris? nunquid cum viro quodam honesto exclamabis. *Ah quale tormentum est ad graveolentis mulieris latus accubare!* Non commemorabo hic cuiusdam regiæ consuetudinem, ubi non nisi post æstivum calorem explorato in subuculis puellarum sudore, in thalamum admittuntur. Cum litigiosa superba & imperiosa muliere, si junctus fueris: quid facturus es? An quod superioribus ad Mosellam, inferiorem annis à

Prædi-

Prædicante, qui sui minus ingenij sortitus conjugem ancillamque illa habiliorem adeptus, Nativitatis Dominicæ nocte cum hac sub cellæ gradibus, inserto in collum laqueo, obluctantem vociferantemque uxorem suspendit, ut dum Christus in terreno corpore mortalitatem induit, illa hoc relicto, immortalitatem subiret. Prædicantis nomen locumque sat nota, prætereo. Illi ob Ecclesiasticam dignitatem parcitum est, Ancillæ manus præputata. Contensiosæ rixæque mulieres quærendæ nobis non sunt: cum ubique magno numero occurrant, &

Maxima præ reliquis sit dos uxoria lites.

Si redivivus Diogenes Prædicantis uxorem vidisset pendulam, forsitan probasset factum, vetusque suum pronuntiatum (cum vidisset suspensam ex arbore mulierem) repetijsset: *utinam omnia ligna tales fructus ferrent!* Menandri Poetæ versus est:

Laërt. l. 6.

XV
Litigiosa uxor infelix cōsortium.

Femina, flamma, fretum, tria sunt mala turbida mundi.

Raro quiescunt *Melius*, ait Sapiens, *est sedere in prima tecti, aut vivere in terra deserta, quam cum muliere litigiosa habitare.* Remedium his adhibere difficile est. Apud Sacarum gentes, ut constaret, virine, an feminæ arbitrio regenda domus, & lis omnis definienda esset? ad duellum paribus inter utrumque conjugem armis ventum est, qui vicisset, is deinde supremo arbitrio familiæ princeps imperabat. Apud Christianos hæc controversia ab Apostolis

Prov. 21.

decisa est: *mulieres*, ait Petrus, ac Paulus, *subditæ sint viris suis, sicut Domino*, cum temperamento tamen mutui amoris, addente Paulo. *Vnusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat. Vxor autem timeat virum suum.* Unde amor uxoris reverentiam timoremque adjunctum habere debet, quem cum nonnunquam mariti obtinere nequeant: quod juxta vulgatum carmen.

Nux, asinus, mulier, crebro sine verbere cessent;

Evenit frequenter, ut, sub hoc tactu, miserabilis domi musica resonet, ac nonnunquam in *ferio* inter se malè concludant, ut *notæ* in facie, & toto corpore legantur. Quàm verò suavis inter eiusmodi concentus cordato possit esse viro commoratio, facilè æstimari potest. Olim apud Romanos sponsa ingressura, sponsi in domo postes perfundebat oleo, & lana obligabat, tum ut mite ac blandum de se promitteret ingenium, tum quod idem à sponso exspectaret. Sed huius modò unctionis oblivio, aut certè præpostera est ratio; quando inter se conjuges ita ungunt, ut

Stipitibus certant duris, sudibusque præustis,

XVI Remodiū opportunè adhibitum.

Quandoque tamen nec ab his sufficiens medela est, præsertim si robusta mulier æquè validos lacertos vibrat, aut intractabili pertinaciā obluctatur. Quare præ duris hisce remediis illius mihi ingenium viri placuit, qui litigiosam, & implacabilis contentionis nactus uxorem cunas, illius staturæ commensas, domui intulit, quas cum illa, mysterij ignara, mira-

miraretur, & cui has deniq; infanti aptasset ? nunquid gigantem se parituram ? non sine obmurmuratione, quæreret : viro interea has quæstiones variè eludente, evenit, ut ad usitata delaberetur litigia; quàm frustra silere jussam, cum famulis ad hoc opus destinatis corripuit, cunisque impositam arctè illigavit: tum agitandis hisce cunis famulum adhibuit, qui melodiam aliquam infantibus sopiendis idoneam accineret. Interea vicinis ad familiam invitatis mensam sternit, jubetque pro sanitate conjugis liberaliori haustu facere; gravi enim turbati cerebri paroxysmo correptam decumbere. Quæ cum principio, velut percita furiis, exciperet; vicit tamen Constantia viri, & ludibria risusque omnium, ad furorem debaccahantis, repositi, ut denique irâ in lamentationem & deprecationem versâ, ab invisis hisce cunabulis redempta sit. Et si quid aliis deinde temporibus molestum viro occineret, sola illi cunarum interminatio ad silentium & pacem persuadendam sufficeret. Tantum est opportunum remedium, præsertim morbi principio, reperisse.

XVII. Indeclinabile est matrimonii jugum semel susceptum.

Nolo jam alia tangere matrimonii onera, quæ in liberorum educatione si dentur; exspectatione, si non dentur; tum uxoris, proliumq; sustentatione, sunt adeunda, quasi prodigè etiam suppeditata effundant, paupertatem sæpe curasq; ingentes conciliant. Illud tamen omittendum non est, quod matrimonii

jugum perpetuum atque indeclinabile in graviſſimis etiam moleſtijs ſuſtinendum ſit. Nec anni hic cuiquam probationis, ut in religioſo vitæ ſtatu, indulgentur. Plerumque die primo vincula cuique injiciuntur adamantina, quæ, niſi cum vita, ſolvi nequeunt: *Quod enim Deus coniunxit, homo non ſeparet*: ait Chriſtus: *quia quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimiſſam* (quacunque ex cauſa) *duxerit mœchatur.* Quamvis igitur ob fornicationem dimiſſa ſit, neutri licebit ad alias, niſi mors intercedat, tranſire nuptias: dicente Paulo: *ijs qui matrimonio juncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus: uxorem à viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam: aut viro ſuo reconciliari. Nam mulier alligata eſt legi quanto tempore vir eius vivit.* Par itaque abſtinentiæ ratio virum obligat: ubi enim dimiſſæ reconciliandi locus relictus eſt, non poteſt alia locum occupare. Vinculum hoc indiſſolubile eſt.

Mat. 19.

1. Cor. 7.

XVIII. Hinc Chriſtus & Apoſtoli cæliſtē vitam prætulerunt.

Mirati hanc olim obligationem Apoſtoli: quod libellum repudij, à Moyſe admiſſum, Chriſtus rejiceret. *Si ita*, inquiunt, *eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere.* *Quorum Dominus ſententiam probans* (loquor cum D. Hieronymo) *Rectè quidem ſentitis ait, quod non expediat homini ad regna cœlorum tendenti accipere uxorem; ſed difficilis res eſt, &* non omnes capiunt verbum hoc. Verùm quibus datum eſt. *Alios enuchos natura facit, alios vis hominum: mihi illi enuchi placent, quos non caſtravit*

Lib. 1. in Iovin.

neceſ-

necessitas sed voluntas: libenter illos in meos sinus recipio, qui se castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest, inquit, capere capiat. *Grandis fidei est, grandique virtutis. Dei templum est purissimum, totum holocaustum offerre Domino &, iuxta eundem Apostolum sanctum esse corpore & spiritu.* Ita Bethlemiticus hic orator. Hoc etiam Christi consilium Paulus, & exemplo secutus est, & verbis conjugio prætulit, audiamus disserentem. *Dico*, ait, *non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego. Quod si se non continent nubant: melius est enim nubere, quam uri. De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Volo vos sine solicitudine esse, qui sine uxore est, solicitus est quæ sunt Domini quomodo placeat Deo. Qui cum uxore est solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. Igitur qui matrimonio iungit virginem suam bene facit, & qui non iungit melius facit. Beatior enim erit si sic permanserit secundum meum consilium.*

1. Cor. 7.

Quis hic, in clara S. scripturæ oratione pervertenda, quorundã non miretur proterviam, qui virginitatẽ cœlibatumq; abnuunt rem esse divini apostoliciq; consilij, cum Paulus se neget præceptũ de his habere, sed dare consiliũ? deinde meliorem utrumq; statum non agnoscunt matrimonio: cum Paulus asserat: melius facere, & beatiores esse, qui non nubunt? Deniq; improbè Paulo, alijsque Apostolis conjuges sociant, cum tamen hi disertè affirment, se *reliquisse omnia Christumque* cœlibem *secutos*, &

XIX
Prædicantes Proteſtantium contra S. ſcripturã apertè nituntur.

& Paulus ſe non nuptis accenſeat? Qui tam manifeſtè S. ſcripturæ verba ſenſumq; adulterant, malè ſe tueri matrimonij à ſe nimiũ amati, cauſam oſtẽdunt. Matrimonium non contemnit, qui virginitatem præfert; ſicut argentum non aſpernatur qui aurum præhabet. Solem Lunæ præponimus; utrumque tamen ſidus in cœlo collocatur. Cum Apoſtolo loquimur: *alligatus es uxori? noli quærere ſolutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccavit, tribulationem tamen carnis habebunt eiuſmodi.* Quid ais, ô Paule? *Nos ignari rerum* (attendite nupturientes, ne quid temere) *putabamus nuptias ſaltem carnis habere lætitiam. Si autem nubentibus etiam in carne tribulatio eſt, in qua ſola habere videbatur delicias; quid ergo erit reliquum propter quod nubant; cum & in ſpiritu, & in anima, & in ipſa carne tribulatio ſit?* Ita rurſum Hieronymus.

D. Hieron. l. 1. in Iovin.

XX.
Liberis tamẽ adoleſcẽtibus hoc difficilius, quã jugatis ſuadetur.

Hæc facilius è conjugato, quàm libero adhuc juvene capietur oratio. Nam hi miras ſibi in conjugio carnis recondi voluptates perſuaſum habent: illi hac in eſca hamũ acerbè pungentem latere ſentiunt, & velut capti jam in mellis fovea urſi, faſtiditâ dulcedine ad libertatem aſpirant. Apto rem Socrates expreſſit ſymbolo: cum adoleſcentes piſcibus eſſe ſimiles tradebat, ex quibus qui ante ineſcatam hærent naſſam, ſubire cupidè geſtiunt; qui verò jam naſsâ concluſi tenentur, exitum fruſtra moliuntur. Xantippe ille conjuge ſemper ob-

Ant. in Meliſſ. part. 2. ſer. 34.

ſtre-

ſtrepera, & mille convitiis Philoſophi patientiam exercente didicit, quid eſſet hac in naſſa attineri, quæ nec ſilentiũ quidem ipſius æquo animo ſuſtinebat; ut aliquando poſt dicteria calumniaſq; fruſtra intortas, cum impatientiã à viro conſtante extorqueri non videret, matulâ raptâ caput eius lotio perfuderit.

Xantippe. Socrates rarũ querulæ uxoris exemplum, uti & Iobi ac Tobiæ uxor.

Alteri tamen, ut oſtenderet, ſe obſequentem quoq; habere conjugem, Xantippen querulam accerſijt, juſſitq; oleum & mel, quod in vaſis erat, effundere: quod illa prompta alacritate, in opprobriũ, ut interprebatur, mariti effudit. Tum ille ad amicos rurſum: *Ecce, inquit, paratum conjugis obſequium. Errant, qui hanc ſemper obſtrepere ſentiunt.* Verbo, non ſolus Job ac Tobias, verùm & Socrates exemplum malè conjugatorum bonum fuit. Quorum ſiquis in ſortẽ venit, huic inprimis laborandum, ut ratione & patientia adverſus omnẽ muliebrem tempeſtatem cum ijſdem, obarmetur. Claudã hæc cum Phoronei legislatoris jugati ſententia, quâ fratrem ſibi in fatali lecto adſtantẽ affatus dicitur: *nihil ſibi in hac vita ad ſummam felicitatem defuturum fuiſſe, ſi ſola defuiſſet uxor.* Siquid igitur & viri prudentis, & morientis ſentẽtiæ tribuendũ ſit, id ſaltẽ lectori perſuaſum eſto, cautè ad nuptiarũ properãdum eſſe gaudia: ne in Xantippẽ aliquam, aut Medeam offendas, quæ brevi voluptatis fructu, omnem tibi vitæ jucunditatem evertat.

Laert. in vita.

Bruſ. l. 7. c. 22.

XXI
Qua cautela & delectu uxor du enda ſit.

Si inter illos ſis, qui *ſe non cõtinent*, quibuſq; *melius eſt nubere, quam uri*, hoc ſaltem age, ut

præ omnibus uxoris dotibus tibi probitas morum, pietaſque commendata ſit, poſt quam ad genus formamque & opes, potentes nuptiarum conciliatrices licebit reſpicere: Primæ dotes ſi defuerint, reliquæ tibi erunt negligendæ. Quantò uxor magis Dei metuens reverenſque eſt, tantò & mariti obſervantior futura eſt. Apoſtolus commendat: *prudentes, caſtas, ſobrias, domus curam habentes, ſubditas viris ſuis*: qualem, ut nanciſcaris, diligenti ante veſtigatione opus eſt. Deusque tibi frequenter humili prece adeundus, bonuſque conciliandus eſt Angelus; non ex inſano cupiditatis æſtro provolandum ad nuptias. Memineris ſeptem procos Saræ, ex libidine ſolâ ad nuptias ruentes, à Dæmone occiſos. *Qui coniugium*, ait Raphael, *ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſe, & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem Dæmonum ſuper eos.* Quibus licet repentè non ſemper infringat collum, ſenſim tamen odio, convitijs, Zelotypia aliiſque conjugii malis ita familiam turbat, ut appareat quo moderatore & auſpice res geratur, & mors pleriſque tali vitâ optabilior videatur. Ergo, ut Angelo bono Duce, expiatâ prius conſcientiâ, nec delibata ante nuptias conjugis pudicitiâ, ſed ad par officium pietatis invitatâ, matrimonium auſpiceris, id unicè tibi erit providendum. Ita quæ divina inceperis gratiâ, eâdem facilius continuabis.

Tit. 2.

Tob. 6.

Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.

Cœ-

Cœlibis porrò vitæ electori haud minori erit cura de eligendo hoc statu deliberandum, præsertim si in clericali aut religioso ordine, animam suam despondere Christo, perfectionis Apostolicæ amore, cogitet; cum perpetua se quoque obligatione non minus, quàm uxoratus obstringat, ne par eis sit, quæ *in Christo* (cui fidem dederant) *luxuriatæ, nubere volunt: habentes damnationem, quia primam fidem irridam fecerunt. Quid est*, ait Augustinus in psl.75 *primam fidem irridam fecerunt? voverunt, & non reddiderunt.* Quicunque igitur ad hanc vitam aspiratis, aut in seculi libertate, non vovete; aut, si ad clerum, vel religionem transire visum est, *vovete, & reddite.* Par vobis quæ conjugibus libertas se non obligandi; obligatis par solvendi necessitas. *Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cœlorum*, non possunt redire ad nuptias, ablata conjugalis potentia est, non ferro, sed stipulatâ voluntate.

XXII. Cautè nõ minus ad cœlibis vitæ obligationem transeundam.

1. Tim. 5.

Mat. 19.

Ne tamen sibi persuadeant, hac in vita stimulos illis carnis defuturos, & per hos, cum Luthero ejusque asseclis, redeundi ad nuptias facultatem dari. Etiam sua Eunuchos carnis desideria stimulant, ignem fovent in renibus, ad nuptias tamen frustra respicient, vincenda premendaque desideria sunt. Et Paulo *datus est stimulus carnis, atque angelus Sathanæ*; sed *gratiâ Dei* hos superare jussus est. Et quis conjugum ab hoc prorsus immunis est? Sæpe conjux invalida, sæpe agendum peregrè, sæpe gratior sese in oculos infert, facultas oblata & impu-

2. Cor. 12.

XXIII. In utroque statu continentia opus est.

impunitas ſperata allicit, & quis hæc in aſſueto Venereis corpore, non validius, quàm in continente hæſura arbitretur? Non verentur SS. Patres aſſerere, neque cum iiſdem ego: plures in conjugatis, quàm in juratæ caſtitatis hominibus reperiri carnis lapſus. *Difficile eſt*, ait Caſſianus, *ut ignis, cui etiam ſtudiosè pabula ſuggeruntur, ita præfixis terminis iucludatur, ut non etiam extravagatus amburat, quidquid attigerit.* An non tam conjugibus, quàm clericis religioſisque mandatum eſt: ut *crucifigant carnem cum concupiſcentiis ſuis*, & *ſpiritu ambulandum eſſe, ne deſideria carnis perficiant*? Ad hæc & conjuges obligantur, & cœlibes, tamque illi qui homini quam qui Deo fidem ſuã addixerunt. Impietatis ſummæ eſt, aſſerere, factam Deo obligationem non tenere cum tentaris; hominis verò tenere. Ut ſi Deo minor debeatur fides obſervantiaq;, quã homini.

Coll. 33.

Gal. 5.

XXIV. Obligatio non minꝰ cœlibatus jurati, quã conjugii ſtringit, nec illa obſtat fecundæ propagationi generis humani.

At negant adverſarii hanc obligationem ab Apoſtolis ſuſceptam, ideoque nec à nobis ſuſcipiendam putant. Verùm quomodo *luxuriantes Chriſto irritam facere fidem nubendo poterant*, ut Paulus refert, ſi nullam ante dederunt? quomodo Apoſtoli *relinquere omnia*, ſi uxores retinuerunt, quæ tamen à Chriſto inter relinquenda numerantur? quomodo Eunuchi Chriſti ſe caſtrare, niſi promiſſâ continentia. Quomodo Deipara virum, niſi ex voto, non agnoſcebat, cum tamen Joſephum haberet conjugem? Certè antiqui Patres & Concilia rectius intellexiſſe ſcripturæ ſen-

ſum,

sum, quàm hodierni Novatores existimandi sunt. Concilium Cathaginense can. I. statuit; *Omnibus placere, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui sacramenta contrectant, ab uxoribus se abstineant*, rationemque addunt. *Ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, custodiatur.* Sed mundus, ajunt, hoc pacto & reip intercidunt. Respondeat ad hæc Ambrosius & superiora simul confirmat: *Si quis putat consecratione*, ait, *Virginum minui genus humanum: consideret, quia ubi paucæ Virgines, ibi etiam pauciores homines: ubi Virginitatis studia crebriora, ibi numerum quoque hominum esse majorem. Discite quantas Alexandrina, totiusq; orientis & Africanæ Ecclesiæ, quotannis sacrare consueverint. Pauciores hic homines prodeunt, quam illic Virgines consecrantur.* Et quisquam neget, in veteri Ecclesia hunc usum viguisse? Ignatium, Martialem, Cyprianum, Basilium, Hieronymum, Augustinum, aliosq; ejus Ecclesiæ non voco testes, sed cum eodem Ambrosio concludo. *Bonum conjugium, per quod est inventa posteritas successionis humanæ, sed melior virginitas, per quam regni cœlestis hereditas acquisita, & cælestium meritorum reperta successio. Per mulierem cura successit, per Virginem salus evenit. Denique speciale sibi donum Virginitatis Christus elegit, & integritatis munus exhibuit, atque ipse repræsentavit, quod elegit in Matre.*

De Virg. lib. 3.

lib. 10. Epist 81. ad Siricium Pont.

CAP.

CAPUT XVIII.

Ecclesiasticus & Religiosus huius vitæ status, qua cautela sit capessendus; & uter alteri, ceu felicior, præferendus sit?

QUibus ex Apostoli consilio vitam agere cœlibem fuerit constitutum, his triplex vitæ statio, vel in seculo, vel in Ecclesia Dei, vel in Monasterio, aut solitudine panditur. De quibus disceptari jure poterit: quænam ex his præferenda ceteris? Nec difficilis hic deliberatio foret, si, ubi minor opum ultrò affluentiū cura, majorq; vitæ dignitas & honestas affulgeat, istuc, forte etiam favente, & aspires, & voceris. Rarus omnino is est, qui locupletem Canonicatum aut Præbendam delatam aspernetur. Sæpe etiam vix inchoatam de statu deliberatione concludit, cum hic offertur, & se non tam beneficio aptat, quàm sibi beneficium. Multò etiam hæc deliberatio electioque multorum foret promptior, si ex voto Protestantium Ecclesiarum, beneficia etiam conjugatis deferrentur, & carni simul Deoque, liberisque ac libris, more Prædicantium Acatholicorum, operam dare liceret; sed cum ista studia ægrè se mutuo patiantur, ut jam nec conjugibus quidem, licet abstinentibus (quod olim in Ecclesia receptum) Ecclesiasticæ illæ functiones dignitatesque nisi raro ac circumspectè concedantur; hæc via adspirantibus ad Dei servitium occlusa est. Certè Justinianus de eis, qui ad sacerdotia hono-

1 In Ecclesiasticis beneficiis admittendis non præcipitādū, sed expendēdæ leges requisitæ sunt, & vires propriæ.

honoratiora aspirant, sic olim statuit. *Par est eiusmodi sacerdotes eligi, & creari, quibus neque liberi sunt, neque posteri. Propterea, quod is qui huius vitæ curis & sollicitudinibus afficitur quas liberi ut qui maximè, parentibus afferunt, eius omne studium & cogitatio in Dei cultu, & rebus Ecclesiæ versari non potest. Cum enim quidam adducti spe, quam in Deo positam & constitutam habent, tum autem, ut suorum animorum saluti consulant, ad sanctissimas Ecclesias confugiant, suasque opes & facultates, ob eam causam eis adverant, & relinquant; ut in pauperes & egenos, aliosque præterea pios usus impendantur; absurdum esset minimæque conveniens, si Episcopi in proprium lucrum prædamque eas pecunias revocarent, aut in proprios liberos & sanguineos impenderent. Oportet enim Episcopum, nulla erga eos liberos, qui carne & corpore parantur, affectione & studio præpeditum, omnium fidelium animos parentis charitate & benevolentia comprehendere. His igitur de causis eos, qui liberos & posteros habent creari Episcopos prohibemus.*

In L. Nos semper cap. de Episcopis & cler.

II. Cura divini cultus non consanguineorum habenda, propter Deum enim fundata sunt beneficia.

Quare licet Apostoli quondam unius uxoris viros, liberosque habentes, modò continentem deinde vitam agerent, ad Episcopatus, ob paucitatem Ecclesiasticorum, admitterent, tamen aucto deinde numero delectum censuit Imperator habendum, arcendosque quotquot liberorum aut nepotum ex eis curam sustinerent: ne quid esset, quod eos vel ab Ecclesiæ Deique cultu averteret, vel consecratas eis, pauperibusque addictas opes, & alie-

nas,

nas, contra mentem fundatorum, manus transferret. Quanquam verò hac se lege Ecclesia adstringi omnino passa non sit; sed Apostoli indulgentia, justis nonnunquam de causis, fruatur; tamen quantâ ab Ecclesiasticis curâ rerum divinarum studium, relictis seculi negotiis, tractandum sit, providendumque, ne quid ex bonis pietati destinatis ad profanos usus transeat, lex illa, consiliumque haud illaudatum Imperatoris, abundè demonstrat. Neque enim par est, ut intentio fundatorum malè si audetur, & hinc Deus suo ministerio, inde Ecclesia bonis ad hoc destinatis careat. Hoc donantium extremæ voluntatis sanctitas, hoc ipsum religionis institutum, hoc rerump. ex ea de pendens salus, hoc denique majestas Dei suprema debitasque illi honor requirit.

III. Carnis & conjugum cura Ecclesiasticū statum pessumdedit.

Et sanè vidimus per orientis Ecclesias, ubi uxores liberique Ecclesiasticis indulti, quò demum Ecclesiæ & religionis Christianæ florentissimum olim decus prolapsum sit, spectavimus in occidente, quanta usurpata ante Lutherum passim cleri conjugia dissolutionem primò, ac deinde vastitatem eversionem religionis intulerint, quin etiamnum cernimus, ad quantam vilitatem Protestantium clerus suis ubique illigatus nuptiis, per carnalis ejusmodi concupiscentiæ obsequium devolvatur, ut vix usquam nobili aliquo matrimonio queat honestari, prolesque illius plerisque locis ab honoratis familiis excludantur. Tantum de-

decus

decus nobilissimo inter Christianos muneri conciliat, thori nunquam Deo, in hoc novæ legis Sacerdotio, probata libertas.

Contra sanctè observata continentia sacerdotum Catholicorum, venerationem ijsdem, apud ipsosmet adversarios etiam, conciliat. Ut evenisse huius seculi principio apud Regem Abyssinorum Annales Societatis nostræ memorant. Postquam enim ad hunc Æthiopiæ Regem penetrassent religiosi castæque vitæ Patres, exploratâ eorum vitâ inspectisque moribus, Rex fratri suo Proregi Tigræ collocutus, asseruit: Angelos profectò videri Romanæ Ecclesiæ Sacerdotes, qui tanta præ suis Religiosis (quorum plurimos habent) vivendi puritate excellerent. Regina quoq; eosdē affata: *num quo adversus concupiscentiā remedio uterētur?* sciscitata est: *Enimvero,* respondit nonnemo; *ex timore Dei, pœnaliquè illud carnis afflictione ac sensuum custodia compositum adhiberi, curatione, superis propitijs, semper efficaci.* Applausit, probavitque dictum Regina. Et hæc prima debet esse ad Ecclesiasticam vitam aspirantis medicina, qua exulceratæ concupiscentiæ apostemata emollire atque exsiccare possit: ne huius pestilentiâ, corporis animæque integritas profligetur. Hunc nisi persanare quis morbum probè noverit, ad hoc Ecclesiæ officium sese nequaquam ingerat, unde ipsi dedecus, alijs scandalum, pluribusque æterna animæ salutisq; pernicies generetur. Nam talis, nec solus unquam

Annuæ literæ Provinciæ Goanæ ad an. 1609.

IV peccat, nec interit incomitatus.

Ad officium, horarumque precibus, aut cantionum, pro more Ecclesiæ, stricte obligantur.

Alterum est, quod sua in lege Imperator spectavit; ut, curis seculi abdicatis, Ecclesiasticus homo, ad eius, unde nomen habet beneficiumque, Ecclesiæ curam, religionemque, toto studio excolendam promovendamque, convertatur. Neque enim alio Majores nostri consilio opes facultatesq; omnes suas huc cõtulerunt, quàm ut ad cultum Dei divinumque ministeriũ earum sese possessores toto conatu impenderent, suumq; indies horarum Canonicarum pensum debitâ pietate exsolverẽt; idq; in cõstituta ad hoc basilica, nisi, vel morbo, vel justâ excusatione eximantur. Et tanta quidem illius officij obligatiõe, ut nisi id præstent, ad bonorũ restitutionem, vel Ecclesiæ, vel pauperibus tribuendorũ, stricto jure obligentur. Nec immeritò. Si enim, qui militiæ profanæ nomen dedit, imperatas sibi noctu diuque horarum excubias obire sollicitè, nec stipendii tantùm, sed & vitæ discrimine obnoxius, teneatur; quidni miles Christi ad suas in templo vigilias adstringatur? Unde Lateranẽsis synodus clericos Prælatosq; ad convivia & comessationes vigiles, ad sacrorum curam, munusque horarii cantus in templo præstãdum desides, hoc mandato severè revocat. *Hæc & similia*, ait, *sub pœna suspensionis penitus inhibemus, districtè præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinũ officiũ nocturnũ pariter & diurnum, quãtũ eis Deus dederit, studiosè celebrẽt, pariter & devote.*

Cap. dolentes de celebr. Miss.

Quocirca ab omnibus sæcularium occupationibus, commodi lucrique gratiâ susce-

ptis, per canonicas leges submoventur: non ut otiosè vitã transigãt, cum otiũ quod pulvinar Diaboli est, õni sit occupatiõe deterius; sed ut divinis intenti officiis, quod reliquũ est tẽporis dignis Ecclesiastico viro ad pietatẽ bonosque mores excolendos studiis, transigatur.

Severè igitur I omni negotiatione interdicitur. Sub *interminatione anathematis*, ait in Decretalibus Alexander III Pont. *prohibemus, ne Monachi vel Clerici, causâ lucri, negotientur.* Quæ tamen alimentorum causa per se vel Procuratores suos, ut in vinis vel frumentis, ad ceteros familiæ usus, vendendis, negotiatio ex necessitate adhibenda est, minimè proscribitur; sed hæc coëmere, ut cum lucro vendantur reprehensionem pœnamque Ecclesiasticam incurrit. II Opificia artificiaque mechanica lucri studio ijsdem prohibentur: si tamen ratio victus necessarij exigeret, non minus quam Paulo, scenofactoriâ sese arte sustentanti, ad hoc alendi præsidium recurrere liceret. Nam, ut ferunt: *legem non habet necessitas.* Sic otij vitandi gratiâ (quod & su[illegible] necessitate vetatur) ad fiscellas, storeasque ac corbes olim texendos Monachi, agrósque subinde excolendos admoti sunt. *Ægyptiorum monasteria*, ait D. Hieronymus, hunc *morem tenent, ut nullum absque operis labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quàm animæ salutem.* Cum Paulo ex manuũ quãdoq; labore victitãti dicẽdũ illis est: *argentũ & aurũ nullius cõcupivi.* Et Petrus Ecclesiæ Princeps audiendus, dum jubet, *Pastores pascere gregem suum non*

C. secundũ. ne Cler. vel Mon.

V
Leges Ecclesiasticorũ quibus à profanis rebus arcentur.

Act. 18. 3.

Ad Rusticum Monach. Epist. 4.

Act. 20.

1. Pet. 5.

turpis liceri gratia, III Medicorum ac Chirurgorum officia, quando ustione aut incisione opus est, nisi fortè in miseris destitutisque personis, si vitæ periculum absit, obire vetantur; ut sententia Gregorij constitutum est, in synodo generali. IV Post alia Concilia Tridentina synodus statuit: *Ab illicitis venationibus, aucupijs, choreis, tabernis, lusibusque* (ut histrionicis in theatris publicè, aut aleæ privatim) *abstineant.* V Moderatus iisdem victus, vestitus, habitatio, supellex præscribitur, vetaturque, ne ad luxum hæc comparata sint. Plura etiam beneficia, nemini indulgentur: nisi cum necessitati unum non sufficit, justisq; de causis dispensatio accedit; in illis tamen quæ suo instituto se invicē non excludunt. Ipsa tamē dispēsatio, si cōmentitiis magis, quàm veris causis subnixa fuerit, nulla est, conscientiamque obtinentis ad restitutionem obligabit. Quare hic multis providendum, ne umbratili seipsos magis titulo, quàm dispensantes fallant Pontifices, Deum nemo Judicem fefellit. VI Armatis, nisi ad sui defensionem, esse non licet: neque militaria obire munia, extra ordines ab Ecclesia ad sui tutelam institutos. Neque aulicis Principum officiis, aut politicarum rerum negotiis adhibendi sunt. *Nemo enim militans Deo implicat se negotijs secularibus.* VII In conviviis quoque Ecclesiasticis sobrietas præscripta est, decretumque legibus canonicis est: ne tertias bibendo vices excedant; nec ad æquales præpotando haustus, qui ebrietatem causent, se mutuò invitent.

Cōst. XVIII c. sententia am. Ne Cler. vel Mon.

Sess. 24. c. 12.

Trid. Sess. 14. c. 6. & sess. 25. c. 1. &c.

c quando. 44 dist. & cap. à crapula ibid.

Et quamvis ad tertias vices frigidiori sub climate, & languidiore vino Aquilonares se adstringi hac lege non arbitrentur: Illa tamen provocatione ad periculum ebrietatis vergente, citra gravius delictum, uti non possunt. Omnibus enim illud Pauli dictum est: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Et; *Non in commessationibus & ebrietatibus, sed induimini Dominum Iesum Christum.* Quod si multi cum D. Augustino expenderent, illi, quam ipse deinde tenuit, mensarum frugalitati studerent. *Neque* enim *ebriosi regnum Dei possidebunt*; sed in his sunt, qui *ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Multò enim gravius hac in re Ecclesiastici, quàm seculares delinquunt, tum ob scandalum infirmioribus & plebi exhibitum, quos suo tenerentur exemplo, ac sæpe etiam verbo ad temperantiam excitare: tum quia bona, Deo, Ecclesiæ, ac pauperibus debita, fœdè abliguriunt, mentemque suorum fundatorum malè subvertunt; tum denique quia sacrarum rerum cura enervatur, aut acciditur, & corpus ad luxuriam inordinatasque affectiones inflammatur, quæ universa in Ecclesiasticis hoc crimen mirificè extollunt, Deique in remp. sæpe universam offensionem provocant. *Væ*, ait, Isaias, *qui potentes estis ad bibendum vinum & fortes ad miscendam ebrietatem. Ideo iratus est Dominus super populum suum, & extendit manum super eum.*

VI Temperātia in conviviis & compotationibus adhibenda.

Eph. 5.

Rom. 13.

1. Cor. 6.

Isa. 5. v. 22. & 25.

Quandoquidem autem exemplarem esse

VII Magnis prærogativis, non

nisi ob Dei servitiũ ornãtur.

se convenit Ecclesiasticorum vitam, quæ divinis humanisque legibus tam sanctè munitur, & temporalium ferè bonorum cura, quæ ceteros mortalium gravissimè torquet, singulari Dei providentia eximitur; iccirco reliquis etiam secularibus dignitate ac veneratione, tam politico, quàm sacro jure præferuntur, adeò ut siquis clericum animo nocendi percusserit, is Ecclesiastico fulminatus anathemate à communione Christianorum excidat. Eidem à tribunali secularium Judicium eximii, non nisi Ecclesiastico in foro conveniuntur, mitiori plerumque pœna castigandi : nisi fortè propter enormia degradati scelera, civili judicio pœnæque transcribantur. Quod, cum in criminalibus Justinianus eos Prætori subjiceret, ante statuit faciendum. Pari quoque prærogativa tributis secularium Principum bono Ecclesiastico eximuntur : nisi fortè illo tributi onere, ad eorum possessiones nova prædia adjiciantur. Ita Dagobertus, Pipinus, Carolus Galliarum Reges, cum ista exemptionis libertate plurimas fundarunt Ecclesias; Ethelolphus Rex Anglorum, Boleslaus Polonorum, Stephanus Hungarorum Ecclesiasticis plenam immunitatem obtulêre. Nec Imperatores primi in suorum regnorum Episcopos quicquam statuere absoluto jure visi sunt: neq; ante Constantinus Eusebium relegavit, quàm ob hæresin à Concilio Niceno damnatus fuisset. Contrà Theodosium delinquentem Ambrosius proscribere atq; arcere

In Novell. 79. 83. & 121. Cod. Theod. l. 16. & 26. & cod. Iust. l. sancimus. de SS. Eccl.

Eccle-

Eccl esiæ limitibus ausus est, donec ad dignam sese illi pœnitentiam subjecisset. S. Martinus Imp. Maximo jus sibi in Episcopos vēdicanti, palam restitit, nec nisi merito exceptus honore comparere dignatus est.

VIII Ecclesiasticorū persecutores graviter à Deo puniti.

Quanta calamitate afflicti interierint, qui Ecclesiasticorū dignitatē, quam Constātinus M. erexerat, ante sub Tyrannis latitantē oppressū ivêre Cōstantinus, Julianus, Valētinianus, Fridericus aliique Imperatorū, infelici cū vita, tum morte, testati sunt. Et hic quidē eius nominis II cū Romanā exscindere frustra sedē conatus esset, ipse cū posteritate tota miserè excisus, à proprio filio Manfredo strangulatus est: Entius verò filius, à Bononiensibus victus, captusque, ac ferreę inclusus caveæ, interiit. Cōradus à Manfredo fratre veneno intereptus, Manfredus denique à Carolo, D. Ludovici Francorū Regis Germano, in prælio oppressus, reliquusq; ex hoc sanguine Cōradinus Conradi filius Neapoli publicè securi percussus est. Tanta Deus severitate in hac etiam vita, suorum in Ecclesia ministrorū injurias ulciscitur, autoritatēque, ac dignitatem illorū tam potenti manu tuetur; ut par sit Ecclesiasticos huic Dei erga se curæ, fideli obsequio respōdere, quod certè non præstant, qui honore bonisq; sibi indultis ad luxū luxuriāq; abutuntur. Planè sublimis Ecclesiasticorū status est, verū discolis omnibus ad majorē propositus ruinā. Hunc, nisi generosus & ad virtutē aspirās animus, meo nunqā cōsilio, prēsabit.

Cuspin. de Cæsar.

IX Sublimis Ecclesiasticorum status, nō nisi à fortis animi viris prēsandus.

Dignissimus est, quem mortalis in hac vita homo ambiat, quod *servire Deo regnare sit*; sed vilis abjectusque ad terrenas cupiditates affectus hoc in loco exuendus est. *nemo* enim *poterit duobus Dominis*, mundo ac Deo, *servire*. Qui ob solam vivendi commoditatem, amicorum magis suasu, quàm delectu proprio hanc in sedem religionis se ingerit, brevi hærebit in luto. Sola te salutis ratio, Deique huc trahat reverentia, amorque necesse est: aut facti pœnitebit.

Dux via Tract. ult. de electione.

Quod enim Christus dicit: *multi vocati, pauci electi*; hoc in Ecclesiastico inprimis statu locum habere existimem. Quare sua cuique ad hunc locum vocatio diligenter, juxta principia alibi à me tradita, per octiduanum etiam ad sacras commentationes discessum, erit exploranda; ut expendat quibus illa fundetur principiis, Deóne, an carne mundove nitatur? hi fallunt; illi soli fidendum est. Qui hunc statum cogitat, debet in se reperire animum, summis vitæ salutisque periculis, majorem; & victoriæ, cum Dei gratia, utcunq; securum. Nisi castitatem illibatam tueri se posse confidat inter mulieres, temperantiam inter provocantes ad pocula, & otiosa contubernia lususque, sodales, nisi domi honestis literarum studiis, in templo divinis officiis ritè exsolvendis delectetur; nisi etiam, si pastorali fungendum officio, sedulâ proximorum ad salutem traducendorum curâ tangatur; si honore sacerdotali ornatus sit, ad divina Missæ sacrificia

crificia & anhelet cupidè & sanctè gestiat præparari, omnino suasero abstinendum. Non levis difficultas ad hæc ipsa devotè aspirantibus sæpè objicitur, & quid sperent temerè, ac sine experimento aliquo suæ ad pietatem constantiæ, hæc officia, unicâ temporalis boni illecebra, prensantes? Certè horrendum omnibus, illisque inprimis, qui Doctores Pastoresque ad ignaræ plebis instructionem exemplumque Ecclesiæ præsident, judicium iminet; si corruptæ vitæ exemplo, non ad ædificationem, sed ruinam multorum incedant. *Quod si enim ei*, ait Chrysostomus, *qui unam scandalizat animam expedit demergi in profundum maris, qui innumeras animas scandalizat, & urbes integras & plebem, viros, mulieres, pueros, quid pati merebitur?* Cave igitur, ne dum ad Insulam hanc bonæ spei contendis, ad frequentes in hoc mari scopulos navim allides. quidq; Ecclesiastici sit muneris, quæque tuæ ad hoc ritè exequendum vires, prius vide, quàm hac in navi vela pandas, aut clavum apprehendas. Dedi hac de re Tractatum singularem, *in Duce via* post octavum Exercitationum sacrarum diem, quem consulere, ad salutis tuæ bonum licebit.

X
Mali exempli homines in hoc gravissimè offendunt

In hom. Epist. ad Titum.

Nunc Monachorum vitæ institutum, seu illorum etiã Clericorum, qui claustrorum, aut collegiorum septis includuntur, paucis videamus: ut, utrum alteri ad salutẽ præstet, & quod cuique potissimum eligendum sit? constare possit. Religiosi hi, uno dicuntur nomine, quod

XI
Religiosorum hominum status magis arduus magisque perfectus est.

quod singulari se Deo religione totos addixerint, idque vinculo triplici; paupertatis, quâ quidquid in externis est opibus Deo resignarunt; castitatis, quâ corpus; obedientiæ, quâ mentem ejusdē obsequio subjecerunt: ut cum Apostolis posfint dicere: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Quo statu cum in hac vita perfectior sanctiorque dari nequeat, nemini, ceteris paribus, dubium esse poterit, hunc omnibus aliis præferendum. Sed tamen ante cuilibet expendendum erit,

Mat. 19. 27.

- - *quid valeant humeri, quid ferre recusent.*

Gigantæum onus est, quod sustinere nisi viri Apostolici non possunt. Fallit vulgare dicterium, quod desperatio tria M faciat, militem, maritum, aut monachum. Et in hoc ultimo quidem aberrat maximè; quòd spes & exspectatio futurorum ingens huc plerosque evocet: cùm Petro ad superiores voces, *de relictis omnibus,* sciscitanti: *quid ergo erit nobis?* Christus magnâ responderit asseveratione: *Amen amen dico vobis, quod omnis qui reliquerit domum, aut uxorem, aut filios aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

v. 29

XII
Varii Religiosorū hominum ordines suis omnes votis Deo obligantur.

Jam verò sacri hujus ordinis varia omnino instituta sunt, & religiosorum hominum diversæ familiæ. Alii solitarii sunt, in montibus speluncisque abditi, soli divinarum rerū contemplationi dediti, quorum tamen, post excitata monasteria, rarior numerus; & siqui ad laudabilem hodie solitudinem anhelent, hi Carthu-

Carthusianorum ferè institutũ amplectuntur, carnibusq; vescendis obnuntiant. Quanquam &PP Benedictinis, Cistertiensibus, aliisq; sua etiam at minus stricta solitudo sit. Alii activam vitam, cũ Apostolis cõtemplativæ sociant, qui variis etiam familiis, & suo pleriq; vestitu secernuntur, ut agnosci discerniq; vulgò possint. Hi funiculo illo votorum, de quo dixi, triplici Deo obligantur, suisq; ad perfectionẽ instructi legibus, tanquam diversis exercitibus, ad triplicem, de Mundo, Carne, ac Dæmone, victoriã reportandã, cœlestiq; in gloria triumphandũ contendunt. Omnes, uti milites suo Imperatori sacramentũ dicunt; utq; lubricam hujus vitæ inconstantiã pro viribus devitent, votis sese perennibus Deo obligant. Quã quidem pietatẽ, licet Novatores hujus ætatis improbare nequeant; voto tamen in re tã ardua, utq; ipsi arbitrãtur nõ possibili, id fieri nequaquã probant. Verùm falluntur, cũ *quod impossibile est apud homines, possibile sit apud Deũ*: ac cum Paulo dicere liceat: *omnia possum in eo, qui me cõfortat*. Et verò labantur nonnulli; an iccirco dãnanda hæc oblatio? Quis vitæ huius status non aliquorum lapsu infamatur? Etiam primorum Christianorũ promissiones Deo factæ quorũdam lapsibus notatæ sunt, ut Ananiæ & Sapphiræ, votiva Deo ac cõmunitati bona subtrahentis; an iccirco in reliquis sublatæ? Nec Apostoli solas opes Deo obtulerunt; sed & totos sese in obsequiũ: cum enim dixissent *omnia reliquimus*, addunt, *& secuti sumus te, Aurum*, ait D. Hieronymus, *deponere incipientiũ est, non perfectorũ*:

Luc.18.27

Act. 5.

Ad Lucinium Epist. 28.

Fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antisthenes: seipsum offerre Deo proprie Christianorum est, & Apostolorum. At quomodo teipsum sanctius offeres, quàm corpus per castitatem, animum per obedientiam, utrumque appetitum carnalem & rationalem Deo in servitutem mancipando? Quod quò quæque Religiosorum perfectius familia exequitur, tantò majori instituti sui sanctitate pollet, idque hoc quidem gradu, ut qui obedientiâ, quæ animam, hominis partem nobilissimam, Deo subjicit, rigidiore tenentur, hi antecellant. Quando deinde corporis, per continentiam asperitatemq; graviorem, subjectio sequitur, postremumq; in perfectionis ordine opum abdicatio locum obtinet. Quanta Abrahamum & Isaacum benedictio manserit, quòd Isaacum immolare Deo jussus, in re maximè ardua obsecutus sit, quis ignorat? *Per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli.* Unigenitum suum Deo offert, quisquis libertatem transcribit: tantò perfectius quantò illud majore irrevocabilis voti obligatione præstat. Ita obligatum Augustinus alloquitur: *Non te vovisse pœniteat, imò gaude, jam tibi nō licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus, & dicta factis imple. Ipse adiuvabit, qui vota nostra expetit. Felix necessitas, quæ ad meliora impellit*: Multos libertas soluta perdidit, quos ligata servasset. Bene hæc Deo homi-

XIII Perfectior status illorum est, qui præstantiora Deo bona obligat.

Gen. 22. 16.

Epist. 45. ad Armentarium.

hominibusque ad vitandum malum obstringitur: cum hoc non sit amittere, sed extollere libertatem.

XIV Religiosorũ hominũ status sub Apostolis cœpit.

Primi Christianorum plerique hanc, quæ modò Ecclesiasticorum, seu potius Religiosorum, sola mansit, in abdicandis bonis obedientiaque consectanda servitutem volentes adibant. Nam *agrorum domuumque possessores, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat.* Hæc vero oblatio cuique libera erat. Unde Ananiæ dictum: *nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?* Quod tamen cum voto obtulisset, hinc retinentis grave & exitiale delictum fuit morte repentina punitum. Unde Cassianus ait: *Cœnobitarum disciplina à tempore prædicationis Apostolicæ sumpsit exordium. Nam talis in Hierosolymis extitit omnis illa credentium multitudo, quæ in Actibus Apostolorum ita describitur: Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una; nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia.* Idem D. Hieronymus ex Philone Judæo Apostolorum coætaneo probat. *Philo,* inquit, Judæus *natione Alexandrinus, quia (librum de prima Marci Evangelistæ apud Alexandriam scribens Ecclesia) in laude nostrorum versatus est; non solùm eos ibi, sed in multis quoque Provinciis esse memorans, & habitacula eorum dicens monasteria. Ex quo apparet talem primam credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc*

Act. 4. v. 34.

Act. 5. v. 4.

Collat. 8. c. 5.

In Catalog. script. tom. 1.

Mo-

Monachi esse nituntur, & cupiunt, ut nihil cuiusquã proprium sit. Orationi vacetur & psalmis, doctrinæ quoque & continentiæ, quales & Lucas refert primum Hierosolymæ fuisse credentes. Ut mirum sit, qua fronte Acatholici hoc institutum novitatis insimulare audeãt, & Lutherus hanc, quam Apostoli instituerunt vitam, dissuadere, atque inaudita licentia dissolvere.

XV Pessimi Religiosorum Protestantium optimi sunt vitæ Magistri.

Verùm ut argentum aurumque suâ despumatur purgaturque scoriâ, ita Monasticæ quoque vitæ tam sancta disciplina non est, quin squalorẽ subinde contrahat, & dissolutorum moribus inquinetur, quos tanquam spumam egestamque scoriam Protestantium Ecclesiis non invidemus, miramurque quod hæc purgamenta hominum, sua inter Ecclesiæ decora collocent, & retrimenta illa Catholicorum, Veneris plerumque & lubentiæ mancipia, (qualis Lutherus ex Monacho, Calvinus ex Clerico fuit) pro suis deliciis amplectantur. Digna quibus illa quinti Evangelii puritas exornetur. Sic quod in auro ut pessimum ejicitur, hoc tanquam optimum ferro etiam excolendo adhibetur. Nimirum verè D. Bernardus experientia doctus asseruit; quòd, ut meliores nunquam vidisset, quàm qui sub claustrali disciplina vixissent; ità deteriores nullos, quàm qui ab ea descivissent. Quæ ut variis exemplis cognita sunt ac pervulgata, ita eis recensendis non lubet immorari.

Deus

XVI
Deus ipse Religiosis plerisque regulas præscripsit.

Deus, quanti hanc Monastici instituti vitam faciat, raris ipse favoribus donisque in hunc Ordinem collatis testatur. Cum regulas non paucis, quibus vivendi normam complexus est, velut tabulas Moysi, digito, ut sic loquar suo, exaratas, tradiderit. S. Pachomius Abbas de Monasterio in Tabenensi vico excitando monitus, vitæ à suis instituendæ rationes in tabula Angelica manu delatas accepit. S. Benedicti regulas normãq; vivendi cœlestis vox, ipso jam ad superos ex hac mortalitate translato, probavit, illustri ad cœlũ explicatâ semitâ, cum hoc elegio: *Hæc est via, quâ dilectus Domini Benedictus ascendit in cœlum.* Recentius est quod de S. Francisco Annales Minorum referunt; eum, ad concipiendas præscribendasque suis vitæ leges, per 40 dies in montem digressum, ibique dictante eas Christo (ut ipse postea coram Pontifice, rigorem paupertatis incusante, testatus est) excepisse. Cumque eum fratres, adhuc in monte agentem, convenissent, ac de regulæ severitate questi essent; vox allapsa de cœlo ad ipsum ceteris audientibus est: *Francisce, nihil tuum in hac regula, tota mea est, tamq; totam servari volo ad literam, ad literam, ad literã: Ego novi quid hominis vires ferant, quidve eis auxilii, atque opis collaturus sim.* Quâ omnes sententia attoniti, ut par est, acquievêre. Regula S. Norberti à D. Augustino his verbis porrecta est: *Ecce habes Regulam, quam ego conscripsi,* sub

Pallad. & Metaph. in vita cap. 11 apud Sur. 14. Maji.

S. Bern. in serm Ecce nos reliquimus &c.

S. Bonav. in vita & Annales.

In Appendice eius vitæ.

sub quâ, si bene militaverint confratres tui, filii mei, astabunt securi in extremo terrore judicij. Nec verò ullum ego Religiosorum institutum esse sentio, quod ijs, quibus universa pollent, sanctitatis legibus, à divino spiritu dictante non sit profectum.

XVII Leges etiã minimas illorum spernere periculosum est.

Hoc tamen observandum, quod nonnullæ illarum ad solam directionem scriptæ; nisi (ut in quibusdam factum ordinibus) sub peccato imperatæ sint, sub illo non obligent; sed disciplinæ tantùm gratiâ adhibeantur; vix tamen contemni sine noxa, etiam in minimis præscriptionibus, queant. Animadvertit illud anno salutis MDLXXXVII adolescens Mexicanus Angelopoli, qui ex domo Probationis nostræ Societatis dimissus; cum, ob nefariam deinde vitam, ad supplicium raperetur; Patrem accersit Religiosum, monetque, ad cautelam reliquorum hæc à se dicta excipiat: principium ruinæ suæ, quare religiosorum ejectus numero, ad hæc denique scelerum & vitæ præcipitium delapsus sit, fuisse regularum quarundam contemptum, quòd citra peccatum has negligi posse, ab alio familiari persuasus, sine religione transgressus sit, adeoque in se illud sapientis impleri, *qui spernit modica paulatim decidet*, postquam Confessionem Carnifici jugulum præbuit. *Deus* in lege sua, *non irridetur.* Ex minimis maxima delicta fiunt, si contemnantur.

lit. An. Collegii Angelop. ad an. 1587

XVIII Varium hoc variorum or-

Porrò instituti huius Monastici, ut & vitæ civilis, magna varietas, unum tamen omni-

omnium consilium, placere Deo, atque ad perfectionem, quæ in charitate potissimum sita est, tendere. Unde diversorum in religioso hoc vitæ genere, diversa reperias vivendi instituta, sub diversis etiam principibus, iisque viris sanctitate conspicuis cœpta, atque ad posteros propagata. Et quanquam posteriora hæc sæcula sub D. Francisco, Dominico, Norberto, Bernardo, Francisco de Paula, Ignatio, Philippo Nerio, aliisque, varios Christiano orbi dederint Ordines, tamen jam olim vario discrimine servitum Deo à viris Religiosis fuisse satis exploratum est. Sic enim Abbas Nesteros apud Cassianum loquitur; cum activam, seu practicam in religione, vitam Theoreticæ, seu contemplativæ præmittendam doceret. *Hæc practice*, ait, *in multas professiones studiaque dividitur. Quidam enim summam intentionis suæ erga Eremi secreta & cordis constituunt puritatem, ut in præteritis Heliam & Helisæum, nostrisque temporibus D. Antonium aliosque eiusdem propositi sectatores familiarissimè Deo per silentium solitudinis cohæsisse cognoscimus. Quidam ergo institutionem fratrum, & pervigilem cœnobiorum curam omnem studii sui solicitudinem dederunt, ut nuper Abbatem Ioannem, qui in vicinia civitatis, cui nomen est Thimius, grandi cœnobio præfuit, ac nonnullos eiusdem meriti viros Apostolicis etiam signis claruisse meminimus. Quosdam Xenodochii & susceptionis pium delectat obsequium, per quod etiam in præteritis Abraham Patriarcha, & Lot Domino placuisse scimus, & nuper B. Maca-*

dinum institutum eundem perfectionis finem jam à priscis seculis ad nos usque traductum, spectat.

Apud Cassian. Coll. 14.

rium singularis mansuetudinis ac patientiæ virum, qui Xenodochio ita apud Alexandriam præfuit, ut nulli eorum, qui solitudinis secreta sectati sunt, inferior sit credendus. Quidam eligentes ægrotantium curam; alij intercessionem, quæ pro miseris atque oppressis impenditur, exequentes, aut doctrinæ instantes, aut eleemosynas pauperibus largientes, inter magnos ac summos viros pro affectu suo ac pietate viguerunt.

Protestantibus incognitum est, magno falsitatis indicio.

Quid ad hæc Protestantes nostri? ubi forma veteris apud illos pietatis & instituti? Cæcus sit qui priscam apud eos Apostolicamque Ecclesiam prorsus evanuisse non observet. At hodiedum quam hæc sanctè quantoque studio, quin etiam incremento in Romano-Catholica Ecclesia, quam ipsi Antichristianam dicere non erubescunt, ubique excoluntur! Explodenda, si non miseranda profectò istorum hominum, tam apertè delirantium, væcordia est, qui sancta hæc derident instituta, cùm nusquam assequantur. Apud Romanos verò ex veteri adhuc Ecclesia ad nos traducti SS. Antonii, Basilii, Augustini, Benedicti, ordines celeberrimi, priscis regulis institutisque hodiedum viventes supersint; qui manifesta nunquam immutatæ religionis vestigia exhibent, ut luculentissima D. Basilii, Chrysostomi, Ambrosij, Hieronymi, Cassiani, Augustini aliorumque scriptorum monumenta, de hoc vitæ genere explicata prætercam. *Certe*, cum Hieronymo dico, *flos quidam, & pretiosissimus lapis inter Eccle-*

Epist. 17. ad Marcellam.

Ecclesiastica ornamenta Monachorum & Virginum chorus est.

Quantus, quamque illustris sanctorum hominum numerus à sacris hisce prodit Religiosorũ hominũ ordinibus ad æternum Ecclesiæ Catholicæ decus & ornamentum! Hoc per omnem eius ætatem ad hæcusque tempora, inter fulgentia toto orbe virtutũ divinarum, miraculorumq; signa, conversosque per eosdẽ in oriẽte occidenteq; gentes latè coruscat, universãq; implet historiã; ut ad tã aperta rursum cœcutire veritatis lumina, neq; talibus tantisq; argumentis orthodoxiæ frangi, animorũ sit ad omnem pertinaciam obdurescentiũ. Quibus tot Ethnici cõvinci possunt, soli Christiani nequeunt. Neq; verò hac laude veteri recentique clericorũ excellentiæ detractũ imus. Et suos illi, hoc etiamnũ seculo, Carolos Borromæos, Franciscos Salesios, Thomas Villanovanos aliaque Ecclesiæ decorã ostendunt, priscis verò primævæque Ecclesiæ tẽporibus, tot penè numerabãt sanctos, quot Ecclesiarũ Episcopos, quãdo animarũ major, quàm opũ cura, in tenuitate eminebat virtus, quæ coruscantis auri fulgore solet obscurari. Nostra hæc Trevirorũ Archiepiscopalis Ecclesia inter LX primos Antistites, XXXXIII à S. Euchario, D. Petri discipulo, ad S. Weomedum, omnes sanctimonia claros, ab anno Christi L usque ad DCCLXXX, recensuit, solo tantum Milone, Venationis quam Ecclesiæ studiosiore, hunc ordinem aliquã un-

XIX Religiosus & Ecclesiast: cus ordo sanctissimis viris exornatus est.

Nec quorundam etiā procerum labes huic ordini officit.

improbitatis nota deformante. *Potest*, ait D. Augustinus, *sub ovina pelle lupus latere, nec tamen debet ovis deponere pellem suam quia sub ea aliquando lupus delitescit.* Ipsa Catholica Ecclesia, quæ supra petram simul petrumque fundata, & stetit hactenus, & ad finem mundi constitura est, improbos à principali sede sua excludere semper non potest, ut neminem mortalium, Deus in hac vita securum à lapsu, vel in hoc vicario Christi in terris capite, esse ostendat; sed quod universæ Ecclesiæ integritas propterea nec collapsa sit, nec unquam ruitura, hoc admirabilem Dei in illa providentiam demonstrat. Unde frustra Hæretici in exaggerandis quorundam Pontificum, Ecclesiasticorum & Religiosorum defectibus sunt; quando humanâ nemo conditione, per hosce status, eximitur; atque interea plurimi etiam sint, qui sanctitate vitæ inter hos excellant. Quo quisque excelsiori loco consistit, tantò ruina gravior, ac spectabilior in omnium oculos incurrit. Et Lucifer, & multæ cum eodem Angelorum myriades, ipsos suâ labe cœlos funestarunt; an iccirco ab aliis hi Angelis destituti, aut execrabiles facti sunt?

XX Religiosus hominū status, quamvis optimus perfectissimusque nō tamen convenit ad salutē omnibus.

Illud tamen negligendum minimè in hac vita cuilibet suæ felicitatis amanti censemus; ut, quod convenientissimum optimumq; suæ est saluti, hoc & diligenti investiget studio, & cupidè amplectatur. Nulla autem in mundo, aut necessaria magis nobis, aut utilior investigatio ad huius alteriusque vitæ felicita-

tem

tem inſtituti póterit ; quã quæ nobis ſecurior eſſe poſſit via vivendique ſtatus, ad æternam, propter quam conditi ſumus, ſalutem ?

Hic & naturæ noſtræ, ingenijque conditio, dotes animi, corporiſque, & ipſa ſtatuum diverſorum ratio, ac denique, ſi quid nobis (Deo in conſilium adhibito) convenientiſſimum videtur eſſe, impetrandi via moduſque expendenda ſunt, ac tunc juxta bonæ electionis regulas, quas alibi in *Duce viæ* dedimus, omni conatu occupandum. Deus enim ut diverſos huius vitæ ſtatus conſtituit ; ita hominum quoque ingenia diverſis aptavit, quodque reipſa optimum fecit, non tamen eſſe voluit omnibus, ut in animantibus uni ſæpe venenum eſt, quod pabulum eſt alteri. Quin Religioſorum hominum ſtatus, ſuâ ex naturâ, optimus perfectiſſimuſque hac in vita ſit, vix quiſquam, niſi divinarum rudis, negabit. ſuâ ille excellentiâ, non Eccleſiaſticum ſolum, verùm omnem vitæ huius conditionẽ dignitatemque ſuperat ; neque tamen iccirco conveniens eſt omnibus. Reperies bono hunc Zelo, at minus conſiderato ingreſſos, qui extremam in illo perniciem reperiant, ſalutem in Eccleſiaſtico, aut ſeculari ſtatu habituros ; quod, vel alieni juris voluntatiſque eſſe non potuerint ; vel promiſſæ continentiæ leges non obſervare. Lutherus Proteſtantium anteſignanus, immaturo magis Zelo, quàm conſilio Religioſum amplexus ordinem, cum

socium à latere repentino percussum fulmine cecidisse vidit; infelici deinde apostasia ostendit, non ratione, sed impetu hanc fuisse electionem institutam. Quod indomitâ animi superbiâ, nec suis imperare affectibus, nec alieno subesse imperio posset. Neque Calvinus aut Beza Clericalis vitæ institutum consultò adiit; cum effrenatæ libidini in se coercendæ impar existerent. Hos proinde mirum non est, hoc excutere religionis jugum universè conatos esse, quod ipsi sustinere non possent: ne videlicet soli in vetitum ruerent, sed alienis etiam delictis sua facinora palliarent.

Multùm igitur refert, quibus quisque ab adolescentia prima imbuatur moribus. Qui Ecclesiasticum, aut Religiosum statum cogitat, *bonum illi erit, si portaverit jugum Domini ab adolescentia sua.* Consuetudo enim velut altera natura. Levitati obnoxii adolescentes, & cupiditatum servi difficilè ad constantem emendationem vitamq; castigatam inducuntur; & quamvis aliquo pietatis rapti impetu, ac novissimorum metu aliquando sese recipiant, pronum est ad deteriora relabi. *Lanarum nigræ*, ut quidam ait, *nullum alium colorem bibunt*: utque monet poëta

Thren. 3. v. 27.

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.

Si qui tamen ejusmodi, non facilè ad Ecclesiasticum erunt statum recipiendi, verùm Religiosis ordinibus, ubi abstinentia & disci-

plina

plina rigidior est, quæ immoderatioris vitæ licentiam, & carnis libertatisque insolentiam refrenet, potius asserendi sunt. Quantæ moliminis res erat D. Augustinum à solutiore vita, ad castigatiorem traducere! Mater orat, & lacrymatur, Ambrosius instruit & hortatur, Deus impellit, & invitat, exempla malorum suo exitu terrent, bonorum suo successu provocant. Cessit denique, verùm non contentus laxiore clericorum disciplinâ, suam penè domum in Monasterium transformat, religiosæque vitæ & ipse institutum sequitur; & aliis præscribit. Studiis deinde sacratioribus totus deditus, quidquid à publicis Ecclesiæ officijs vacuum nactus est, hoc literatis hisce occupationibus impendit; tantò reip. Christianæ bono, ut tanquam perpetuus immortalisque Doctor post mortem superesse, & suis ex monumentis loqui ac docere nos indies videatur.

XXI. Religiosus status Ecclesiastico longè ad salutē securior, ideoque præoptādus.

Certè quibuslibet, seu piè, seu dissolutè educatis, ad Dei servitutem à mundo transituris, Religiosus jure status Ecclesiastico præoptandus est In quo ut D. Bernardus ait; *homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur confidentius, purgatur citius, præmiatur copiosius.* Nimirum; *bonum & jucundum est habitare fratres in unum.* Et, siquid fortè asperitatum occurrat; an non *momentaneum & leve est*

Psal. 137

2. Cor. 4. *tribulationis nostræ, quod supra modum in sublimi, æternum gloriæ pondus operatur in nobis?* Quanto hoc bono suæ salutis, humanæque juxta ac divinæ gloriæ incremento, executi sunt mortalium innumeri, qui partis nunc in cœlo opibus æternùm lætantur! Quot, ut vulgus hominum etiam nobilium taceam, inter Reges, Principesque reperti sunt, qui ex illo felicitatis apice, ad religiosæ cellæ transierunt angustias, ut hinc ad cœlum facilius evolarent! Non opus est totum oberrare orbem, in Treverica nostra Diœcesi stemus, nec varia quæ hic sunt oberremus Monasteria; Unius Prumiæ memoria sufficiet. Hic Lotharius Imp. purpurâ sceptroque relicto diem extremum clausit, hic Pipinus Caroli Mag. filius, & Hugo Lotharii II sanguis, Ingrammus Dux Limburgius, Comitesque diversi, Assuerus Andegavensis, Egil Silvestris, Richardus Hannoniæ, Eberhardus Salmensis, Udo Namurcensis, Immo Spanhemensis, Niso Juliacensis, Robertus Clivensis, Gerardus Viennensis, Goffridus Blanckenheimius, Dietherus Nassovius, Robertus Virneburgius, Wilhelmus & Christophorus vixêre Manderschetii. Et hi plerique Abbatiali præfecturâ noti; cum plures alii subditi suâ exciderint memoriâ, in quibus tamen S. Hunfridus Comes, sub Egile Abbate, eminuit: cui B. Ansbaldum comitem Luxenburgensem, merito tam dignitatis, quàm sanctitatis adjicimus. Hinc si ad Hemmerodense transeamus Claustrum, Comitum

MS. Annal. Prum. & Hemmerd.

novem,

novem, Baronum viginti, nobilium supra quinquaginta censebimus, qui non multò post D. Bernardum, loci Institutorem primum, magnâ vitæ integritate floruêre. Ubi illius mihi in mentem venit, quod Guido S. Bernardi frater, hunc, quem avertere conatus fuerat ad religionem secutus, minimo fratrum Nitardo abiens dicebat: *Eja frater, tibi hereditatem omnem nostram relinquimus.* Cui divinâ voce puer respondit. *Ergo mihi terram relinquitis, ut vobis servetis cœlum? non est æqua hæc divisio.* Et verò tunc propter ætatem coactus subsistere, cum Patre haud multis post annis subsecutus est, nobilissimâ possessione neglectâ. Quod illi & isti potuerunt, (cum Augustino concludam) tu non poteris? An non idem omnium finis est qui nos moveat, idem Deus qui adjuvet, eadem, vel pœna, vel præmium proposita? *Operemur bonum dum dies est, venit tempus, quando nemo potest operari.*

In vita. D. Bern.

Ioan. 9. v. 4.

CAPUT XVIIII.

An, quando, & quomodo suscipiendum bellum? & num quæ ex illo hominum exspectanda felicitas?

BEllum quasi minimè bellum, per antiphrasin, nonnulli dictum existimant; alii à belluis derivari censent, quod nihil perinde belluinum, quàm hominem homini lupum esse, vitamque crudeli bellorum immanitate extorquere; & aufferre, quod dare nemini possis, aut quo teipsum reddere meliorem.

I Bellum valde ab homine & humana felicitate alienum videtur.

Quanquam, unde cunque demum hæc appellatio nata ſit, ſatis conſtet, hominem, plus feris ipſis, ſævire in hominem; ſive illas adverſum ſe, ſive in hominem videas graſſari. Neq; enim facilè aut lupus lupo, aut tigris tigridi, aut leoni leo vitam, mutuâ feritate colliſi, extorquebunt. Si quæ illos ſævitia exacuat, in diſſimile ſibi genus belluarum exercebit. Hinc ſuis quodq; animantium à natura inſtructum eſt armis; dentibus Aper, Leo unguibus, Taurus cornibus, Equus calcibus, Elephas proboſcide Rhinoceros naſo ferox ac metuendus inſurgit: dum contra inermis imbellisque homo, velut ad pacem amicitiamque natus, in lucem non ſine vagitu, & miſerationis imploratione, effunditur. Nunc ſi feræ in hominem aliquando, vel dira fame ſtimulante, vel ejus inſidias & tela veritæ inſurgant; pleræque tamen, etiã Leones Draconeſque, ejus humanitatem benevolentiamque expertæ, ultro ſeſe ad manſuetudinem obſequiumq; ſubmittunt, maluntque ejus dominium perpeti, quàm ſanguinem haurire. Nemo magis homini ſuam felicitatem invidet impeditq;, quã homo. Cui tamen, in hac vita, nihil beatius ipsâ pacis, & quietâ rerum poſſeſſione evenire poteſt, adeò rem eandem & ſummo conſectamur ſtudio, & odio profligamus, dum aliorum fortunas evertim9, irritatoſq; in noſtram viciſſim perniciem concitamus, quos ſi mutuâ complecteremur benevolentiâ, reſque ac ſpes illorum non minus, quàm noſtras tueremur, jucundiſſimo in hac

vita

vita frueremur gaudio, quod ex blãda societate & amore hominum, tanquam præcipuo humanæ felicitatis fonte, exundat. Et hujus quidem boni, si non omnino ignara antiquitas, tam gentilium, quàm Judæorum; certè, & negligens, & parum digna æstimatrix visa est, ideoq; Christus & Apostoli ad hanc singulariter suos invitare atq; erudire sectatores sũt conati; adeò quidem, ut ad omnem æmulationem tollendam, non tantum voluntatum, sed & possessionum cõmunicationẽ conjunctionemq; multis persuaserint, *quibus omnia erant communia.* Et quanquam crescente numero, & quavis sorte mortalium lex ea stare, nisi inter paucos non posset; tamen, ut ut facultates illæ dividerentur, perpetuã inter suos Christus voluit esse Charitatis mutuæ & junctarã invicem voluntatum societatẽ, eamq; cõmunis pacis vinculo obligatam. Hanc Christo recèns nato hominibus bonæ voluntatis Angeli nuntiarunt: hanc ipse discedens ad cælestia, repetitâ sæpius voce, sese iisdem relinquere testatus est: hanc adeò S. Apostolis suadendã ingessit; ut ad cujusvis domus ingressum illos, ceu tesseræ hujus Christianæ, felicitatisq; oblatæ legatos, jusserit nuntiare pacem. Hac totã legis divinæ sũmam, dum jubet diligere, complexus est; ut ad solam cũ Deo hominibusq; reducendã pacẽ, & nasci humana in carne Deꝯ, & vivere, & docere, & mori, & resurgere visus sit: proindeq; nihil inter homines magis quam inimicitias, odia, ac cruenta bella, per quæ pax omnis & tranquillitas evertitur est, detestatus.

II Christus & Apostoli in nova lege omnes à bello ad pacem traducere conati sunt.

Per hanc enim maximè cœlesti illi sanctorum Ecclesiæ assimilamur, ac universo Christi aptamur corpori, in quod pugnantia inter se membra nequeunt componi.

Petrum gladio, in crudele Malchi caput, sævientem Christus perstrinxit, adjecitque, non spernenda comminatione, *omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Quæ profectò ostendunt, quantam Deus, in nova lege sua, adversus hostilitatem bellumque omne conceperit indignationem. Refellebat gladio Petrus vim injustè illatam, tuebatur innocentem, pro Domino suo, non pro se, ferrum exerebat, pugnabat nondum satis Christi disciplinâ imbutus, stringebat in maledictum caput, hostemque Redemptoris sui, ensem, & tamen prohibetur, cum tam gravi interminatione pœnæ, & ipsius, & imitatorum. Quin illud potius suggerere visus est, quod olim tradiderat: *Antiquis dictum est: oculum pro oculo, dentem pro dente: ego autem dico vobis, non resistere malo, sed siquis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & sinistram. Diligite inimicos vestros, & benefacite his qui oderunt vos.*

Mat. 26. 1. 52.

Mat. 5 39.

Quæ non tantum verbis Christus, sed exemplo vitæ mortisque suæ, cum ulcisci inimicos, ac prosternere vel sola voce posset, abundè nobis testatus est. Et quamvis hæc consilii magis esse, quàm præcepti sentiamus, neque tenenda nobis sit Apostatæ Juliani Imp. & Anabaptistarum hoc tempore opinio, quæ his inprimis S. scripturæ locis nititur; quod nefas

nefas Christiano sit homini adversus Christianum bellum suscipere : tamen non obscurè hinc liquet, quantum Christus ab omni lite, dissensione, ac bello avocare sectatores suos conatus sit, & ad veræ perfectionis apicẽ deducere, quæ Christi Ducis sui exemplo injuriam sustinere mavult, quàm vindicare.

III
Iustã tamen sui defensionẽ Christianis noluit prohibere quod pacẽ etiam per arma quærere possimus, cum aliter nequit obtineri.

Interea legem illam naturæ, quæ justam cuilibet sui defensionem indulget, ac *vim vi repelli posse* concedit, opposità mansuetudinis huius lege, sublatam noluit: sed nec sine necessitate magna usurpari: cum eadem rationis lege cautum sit; *non esse ad extrema remedia transeundum, nisi ubi alia defecerint ad iniuriam propulsandam omnia*, & gravior illa sit, quàm ut conveniat tolerare inultã. Quod inprimis evenit, quãdo Dei honor, & Christiana resp & religio, citrà armorum vim, salva atque inviolata non potest consistere, tum enim lex eadem suadet, *minori malo maius esse prohibendum*. Et sanè præcursor ille Christi Baptista, militibus ad se veniẽtibus non dixit: *arma abjicite, militiam istam deserite, neminem percutite; vulnerate, prosternite neminem; sed quia sciebat eos, cum hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & non ultores iniuriarum suarum; sed salutis publicæ defensores; respondit eis: neminem concutiatis, neque calumniam faciatis.* Privatæ illos injuriæ ultores esse noluit, multò minus iræ cupiditatisq; propriæ administros, adjecitque, ne alienis fortunis violentas manus admoverent; *contenti estote stipendijs vestris.* Et Cornelius

D. Aug. l. 22. contra Faustum Manch. c. 74.

Luc. 3. v. 14.

Cen-

Centurio à Christo laudatus, eiusdemq; opē expertus est. Sed quis ille? audiamus Evangelistam, *vir autem erat, religiosus ac timens Deum.* Ad hunc igitur vocatus ingressusque Petrus, ut Evangelii Christiani traderet veritatem, non jubet arma ponere, sed, *verbum*, ait, *misit Deus filijs Israel annuntians pacem per Iesum Christum. Hic est omnium Dominus.* Pax arma non excludit, cum, ut rectè Aristoteles, *bellum gratia pacis sit*, ideoque *bellicæ rei studia bona existimanda sint, non ut finis supremus, sed illius gratiâ.* Uude bella in se nullam nec utilis nec honesti rationem boni, sed pacis solum speratæ intuitu, continere sensit. Quæ si alijs Christianæ disciplinæ medijs queat obtineri; armis, utiq; minime necessariis, non solum ex lege Christi sed naturæ ipsius (quæ humanū, citra causam profundere sanguinē vetat) erit abstinendum.

Luc. 3 Act 20. v. 1.

v. 36.

Polit 7. c. 14. & 11.

IV Variis de causis Deo Israelitis bellū indulsit.

Non ignoro Israelitis variis de causis arma esse à Deo imperata. Et I quidem ad terræ promissæ occupandam possessionem. Unde contra Moabitas, Ammonitas, Philistæos, aliosque jussi arma capessere, extitêre victores; sed injussi ab ijsdem quoq; sunt profligati. Ita Amalechitæ, quos Josve à Moyse exodi 18 missus profligarat, Israelitas, Moyse vetante adversus se progressos Num. 14 magna clade multarunt.

Rursum jussi invadere Madianitas Num. 31. tantā cæso exercitui stragem intulerunt, ut triginta duo Virginum millia ex præda retulerint, atq; ex duodecim bellatorū millibus, nec

unicus quidē in prælio ſit deſideratus. Unde ſolenne iiſdem fuit, non, niſi conſulto Deo ad certandum prodire. II Eoſdem idololatras, & à Dei cultu recedentes juſſos exſcindere ex Deut. 12 & 13 novimus. III quando hoſtis vel invaſit, ut Philiſtæi Iſraelem, Antiochus Machabæos; vel detinuit aliena, ut 2 Reg. Isboſeth regnum Davidis, arma corripuêre. IV Hoſtium innumero habiti, qui vel domi rebellionem concitarunt, ut 2 Reg. 20 Seba populum adverſus Davidem animavit: vel foris hoſti opem tulerunt, ut 2 Reg. 8 Syria Damaſci urbs Regi Soba. V Cum vel immerenti Principi publica, in eius perſona aut legatis, irrogatur injuria; ut Regis Davidis legatis 2 Reg. 10 factum: vel contra improbi defendũtur, ne juſtas dent pœnas; ut cum tribus Benjamin autores cædis, qui uxorem Levitæ indigniſſimè oppreſſerant, reliquis tribubus Jud. 20 nollent extradere. VI Cum amici ab hoſte oppreſſi in libertatem vendicandi ſunt, ut Abraham contra quinque Reges ad Loth reſtituendum progreſſus eſt. Gen. 14. Denique VII quando fœdus manifeſta injuria violatum, aut tributum ſuo debitum Domino negatur, ut 4 Reg. 3. Rex Moabitarum agnorum atque arietum, antiqua fœderis lege, debitum tributum, recuſans Jorami & Joſaphati armis eſt appetitus. Diligenter tamen obſervandum quod caverit Deus, ne arma, niſi contra recuſantes pacem moveret. Deut. 20 v. 10. *Offeres*, inquit, *primum pacem: ſi receperit, & aperuerit*

tibi portas cunctus populus, qui in ea est, salvabitur, & serviet tibi sub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam.

V Christiani exempla Israelitarum, ad illicita etiã bella, sæpius male extendunt. In quo iure damnãtur.

Hæc plerique in exempla justorum bellorum traducunt. Neque id negavero, cum manifestam, & citra bellum, irreparabilem iniuriam complectantur, universa. Notandumque inprimis est, quod Deus rerum omnium Dominus Palæstinam, & quidquid terræ promissæ includebatur, jure supremo abstulerit immeritis, & desertoribus sui populis; transtuleritque ad Israelitas, extra quam donationem haudquaquam par fuisset armis invadere, quod erat alienum. Non igitur vel dominandi latius, vel reliquos opprimendi (ne quem vicinorum metuamus) cupiditas, titulum cuiquam justum facit belligerandi. *Nocendi cupiditas* ait D. August. *ulciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt quæ in bellis iure culpantur.* Bellum non debet esset sentina (ut plerumque experimur) sed medicina malorum. Medicorum nemo ferit, nisi ut sanet. *Bellum,* ait idem, *geritur, ut pax acquiratur. Esto ergo etiam bellando pacificus; ut eos, quos expugnas, ad pacis utilitatem bellando perducas.* Ne videlicet adeò sanctam nostri Servatoris pacis disciplinam bellando destruas. II His Israelitarum idololatras, & religionis hostes profligantium bellis adversamur quotquot, aut consilio, proditioneque

Contra Faust. l. 22 c. 74.

Epist. 207.

ortho-

orthodoxorum,aut opibus armiſque eorum potentiam tuentur,vel promovent, qui veram religionem in occupatis à ſe terris premunt exſcinduntque: nec politiæ, aut quicunq; demum,titulus,hos coram ſupremo Judice, & æquo rerum æſtimatore purgabit. Quicunq;, vel heterodoxos in malè occupatis defendit: vel ad indebitas orthodoxorum poſſeſſiones promovet,nullum reperire titulum poteſt, quo armorum ſuorum juſtitiam propugnet. Cauſa omnis mala eſt,quæ vi ſua malum nata eſt procreare effectum, nulla hanc intentio ſatis expurgabit. III Iiſdem Iſraelitis valde diſpares ſunt,qui alienorum invaſores detentoreſque,non ſolum ad reſtitutionem non cogunt,verùm etiam in malè occupatâ poſſeſſione, vel opibus, vel armis ſuis tuentur.

Quæ ſi non hominum ſolum, ſed & Dei Eccleſiæque hereditas ſit, quis colorem tali bello eſt repertùrus? IV Exemplo Iſraelitarum tueri ſe nequeunt, qui muneribus ac invitatione, quoſdam ſubditos contra Dominum ſuum,ad proditionem, vel rebellionem provocant, non enim licet cooperari malo,ut eveniat bonum,& alienam remp.malis artibus evertere,ut firmetur propria. Hoc enim non Chriſtianâ, ſolum ſed naturali charitatis lege vetatur,quâ quiſque docetur: non patrare in alterum quod fieri ſibi nolit. Media ex ſe mala non licet fini etiã adhibere bono. V Chriſtiani peccant, cum peſſimos quoſque nebulones, & ſuorum Dominorum

proditores ac majestatis reos aut etiam legitimum obsequium detrectantes, in suam tutelam recipiunt, ac justitiæ viam præcludunt. Quod factum longè iniquius est, cum alienæ ditionis subditos tuemur: quando Deus gravissimè in Benjamitas, proprios subditos ad pœnam aliis non extradentes, animadvertit VI Catholici haud leviter delinqunt, quando amicos suos ejusdem Ecclesiæ sub Christo capite, divinâ humanaque lege devinctos, negligunt, potius hostibus ad oppressionem illorum & religionis, quàm fratribus suis, & ejusdem corporis membris subveniunt. VII Nec levis error Catholicorum fuit, quando tributum obedientiamq; tam spirituali, quàm temporali suo Domino negantibus, ipsi ejusdem Ecclesiæ membra non obstitêre; sed arma potius ad illorum contumaciam roborandam suppeditare conati sunt, à probata Deo Israeliticorum armorum justitia longè remoti. Hæc enim bellandi ratio, si in lege veteri, quâ odia & persecutio inimicorum prohibita non erant, probari non potuisset; quis justum illi titulum in lege gratiæ, ad pacem & amicitiam, etiam cum hoste colendam institutâ repertu-rus est? Expendant illi, qui furem unius equi, aut latronem unius homicidii reum patibulo addicunt, qualem habituri sint Judicem, qui integras regiones devastant, legionesque hominum plures ferro exscindunt, non sat dignis, ad extrema hæc crudelitatis remedia, causis provocati. Infelix planè Regum

Prin-

Principumque sors, qui bella magis, quàm pacem meditantur, quique alienis gaudent excidiis, ut ipsi ditentur, & tunc se maximè beatos esse credunt, cùm æmulos vident oppressos. Illos ego feliciores esse censeo, de quibus Redemptor noster pronuntiavit: *beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Qui verò aliorum delectantur discordiâ, eamq; consiliis suis alunt, illius jure dicentur filii, qui est pater discordiarum.

Mat. 5.

VI Bella quæ justitiæ administrandæ gratia cōcessa sunt, ad omnē injustitiā perpetrādam malè humana cupiditatē cōvertuntur.

Bella cum jure suscipiuntur ad læsæ plerumque justitiæ reparationem spectant; uticirco omnis ab his injuriarum ratio, quam remotissima videri debeat; ne per exercitam iniquitatem æquitas quæratur & remedia sint ipsis morbis deteriora. At quis non intelligat in bellis, ut nocens unus ad satisfaciendum cogatur mille innocentes opprimi, & ob quæsitū sæpe urbem unam, decē everti, propter unius Principis immoderatam cupiditatem, innumeros mortales, aut fortunis omnibus, aut ipsâ etiam vitâ deturbari. Nec tamen plerique hoc, quod cupidè sectantur quietis ac felicitatis bonum, & in aliorum possessionibus sperabant, assequuntur, imò amittunt sæpe, quod in propriis ditionibus obtinebant, suosque tributis subditos, quandoque etiam bellis excidiisq; vicissim sustinendis exhauriunt, se innumeris fatigant curis, discriminibus objiciunt, ac laboribus, nil ad salutem profuturis, ad perniciem quam plurimum valituris, affligunt.

Et quis hanc non dicat vanitatem atque insaniam esse Midæ Regis auribus dignissimam, cui expiandæ non vilis in orco locus debeatur? Ipsi Ethnici ad tantam Principum virorum amentiam sæpe hæsere attoniti; & nos Christiani hanc levi piaculo dignam existimemus? Diogenes olim Cynicus, ut erat humanæ vanitatis acutus salsusque censor, ubi Philippum Macedonum Regem, cupiditate imperandi inflammatum, exercitu ingenti advētare cognovisset, obviam ipsi in castra processit, cumque vili habitu in conspectum Regis adductus esset, isque sciscitaretur; an non venisset ab hostibus speculator? imò, inquit veni, *ut stultitiam ac vanitatem tuam specularer, qui cogente nullo, te tuumque regnum discrimini objicis, & propria adeò temere exponis, dum stolidè sectaris aliena.* Nec inscitè Cyneas Thessalus Pyrrhi Regis legatione ad Romanos celebris, cùm flagrare Regem cupiditate belli adversus fortissimam hanc gentem vidisset: quid, ait, victis Romanis facturus es? Italiam respondit, totam occupabo. Quid verò, hac possessâ, ages? Vicinam, ait, Siciliam oppidis divitiisque florentem invadam? Sed quidnam occupata Sicilia? finisne belli? Minimè, inquit Pyrrhus, nam quis illâ habitâ, manus ab Africa & Carthagine temperet, quam Agathocles, cum paucis ex Sicilia navibus profugus, suam propè fecisset? His verò superatis & Macedoniam recuperare, & totam possidere Græciam haud difficile futurum est.

Bruson l. 3. c. 15.

Plutarchus in Pyrrho.

Verùm

Verùm, ubi hisce locis omnibus rerum potiemur, quid ultra tentabimus ? Tum subridens Pyrrhus, inquit. Quid ? fruemur dulci otio, compotabimus, nosque mutuis oblectabimus sermonibus. Cui hucusque quæstionibus traducto demum Cyneas respondit : Id verò si spectes, ô Rex, jam nunc licebit, citra armorum vitæque pericula, quieto in otio viventibus. Malè per tot rerum discrimina quæritur, quod sine his ad votum possidetur. Hanc orationẽ expendere quosdã Regum par esset, qui amplissimas regnorum ditiones opesque inter Christianos possident, nec tamen propriæ temperare cupiditati suâque acquiescere fortunâ, atq; in otio & quiete oblatis frui, pacique tantopere ab Apostolis commendatæ indulgere possunt; Sed proprios immodicis gravant subditos tributis, alienos inimicis armis opprimunt, & quo plus terrarum occupant, plurium desiderio inflammantur. Neque enim alios facilè reperias ad proximorum ditiones bellis obruendas projectiores, quam qui latissimè dominantur ; opibusque collectis abundant, qui præter se quempiam esse felicem vix æquo sustinent animo, & quidquid invadere armis possunt, hoc censent deberi. Quæ si apud Persas, Turcasque, libido immanitasque regnandi sola existeret, fortè minus admirationis haberet; sed in Ecclesia illam Christiana, quæ pacis disciplinã singulari lege gentis suæ complexa est, eandem reperiri, hoc non immeritò mon-

ſtri execrabilis inſtar habeatur. præcipuè ſi illa etiam bellandi levitate reliquas ſuperare nationes videatur: Cùm nec Judæos olim; nec Mahumetanos hodie facilè in ſuæ religionis conſortes arma ſumpſiſſe deprehendas, niſi vel in rebellione coacta, vel brevi impetu ad quietem rurſum inclinata.

Juſtitiæ titulus etiam bello iniquo prætexitur.

Juſtitiæ tamen titulum plerique huic immanitati ſolent prætexere, quando proavis quondam poſſeſſa aut debita, ne tam facilè reſellas, ſe poſtliminiò affirmant repetere. Neq; enim prorſus iniqui videri volunt. Candidè magis ab Antigono quondam bellante actum eſt. Erat ex Academia non nemo, qui conſcriptum illi de juſtitia librum offerebat. Ad quem Rex, *ſatin', inquit, ſapis, qui eum aliena me bello ſectari intueris, apud me de iuſtitia diſſeris?* *Inter arma*, ait Romanus orator, *ſilent leges.* Idem C Marius non eſt veritus profiteri, quando Camerinos fortes milites in bello Romanis æquaſſe accuſatus eſt: *Se enim, propter armorum ſtrepitum, vocem legum percepiſſe negabat.* Bellorum ſimul & juſtitiæ obſervantem eſſe, duæ res ſunt, quæ rarò in eodem ſociantur. Quocirca ante omnia videndum eſt, quanti cauſa momenti ſit, quantisque juſtitiæ fundamentis nixa, & num alia deſint ad obtinendam æquitatem remedia? Qui hic nimium ſibi blandiuntur, ſibimetipſis non minus, quàm hoſtibus irreparabile detrimentum accerſunt; cùm ad damnorum iniquè illatorum reſtitutionem obli-

Eraſ. lib. 4. Apophth.

gen-

gentur;nec ſatis ſit coalitis deinde pacis fœderibus conveniſſe, quando hæc neceſſitate ſæpius,quàm æquitate accipiuntur; & cladium magis finis,quàm remedium ſunt.

VII Belligerāti belli incommoda antè cū illius cōmodis ſunt comparanda, ne facti pœniteas.

Jam belli incommoda meritò ante illius apparatum,cum ejuſdem erunt commodis, æquâ in lance expendenda; ne cum inimicos perſequeris, amicos ſubditosq; peſſundes, & graviora tuis infligas damna, quam à devicto licet hoſte emolumenta exſpectas. Ne videlicet tuas urbes agroſque optimis colonis exhaurias,ut occupes alienos. Expende quantum pecuniarum hominumq; ex tuo ſit impēdendum, quot ſubditorum exhaurias, ut nudum dites,alasque peregrinum ſæpe militem. quot mortalium vitam ſalutemque inter famem,peſtilentiam,frigora, æſtumque,hoſtium inſidias & arma orco immoles, ut aliquos inimicorum perdas,aut exiguam alienæ terræ poſſeſſionem adeas:quæ per agros paſſim, ſeu amicos,ſeu hoſtiles ſequatur vaſtitas, quot agricolæ pereant,villæ exurantur, urbes exſcindantur, quot conjuges viduentur thori conſorte,quot liberi parentibus, parentes liberis:quod virgines proſtituantur, juvenes corrumpantur: ſenes viduæq; opprimantur, quanta ſcelerum omniū colluvies unà cum bello in reſp.inferatur,quãtus religionis Deiq; contemptus, quantæ animarum æternum inter hæc flagitia pereuntium ſtrages exiſtant. Et hæc univerſa ab unius ſæpe Regis inſatiabili cupiditate emergunt incommoda,

quibus si belli, quantumvis fortunati, commoda opponas, paria rarò admodum es reperturus. Demus enim vitam (qua & bellatores hi nonnunquam destituuntur) Regi mansisse incolumem, urbes aliquot, aut ditionem ab eo occupatam, auctumque cum tributis imperium; quid tantæ opes, quas impendit, tot mortalium vita, hujus gratia inferis addicta, tot perpetrata facinora, innocentesque oppressi, an digna tibi videntur, quæ ad terræ unius portionem obtinendam adhiberes, cum nec pro totius quidem mundi possessione unica divini Numinis offensa jure queat perpetrari? Et tamen certò tibi constat, absque multorum scelere, ingredi te per arma alienas ditiones vix posse? Alias non expendam rationes, quando vel hæc sola Dei salutisque suæ amanti sufficere poterit, ut ad arma, nisi extrema compulsus necessitate, non confugiat.

VIII Militum quoque delectus pruden ter, non ex quibuslibet, instituendus.

At verò ubi jam ad bellum, quod pius fugiensque illius animus, defensionis sæpe causa suscipere cogitur, procedendum est. tum ut delectus ante omnia, non ex conscelerata hominum in urbibus fece, quæ bellum, naturâ turbulentum ac procax magis etiam infectura est; sed ex robusta potius, & laboribus, rudique cibo assueta agrestium legatur turba, tum ex veteranis magis, militiæque quondam eruditis, (modò par ætas sit, nec quadragesimum longius supergressa annum) quàm armorum nunquam experta juventute: nisi fortè oppor-

tunum

tunum hos erudiendi tempus ſuppetat, aliiſque miſcendi aſſumantur. Liber quoque, quemq; uxoris liberorumq; nulla cura gravet, præferatur conjugato, atque indigena extero ignotoq;, qui fide cōſtantiaq; non ſit probat9. Ab his enim fideliorem fortioremq; operam exſpectabis: niſi fortè aut temporis anguſtiæ hunc non ferant delectum: aut Antonii de Prato Gallorum Regis Conſiliarii autoritas placeat, qui, dum quidam Franciſco I Mediolani demolitionem ſuaderet: nequaquam, inquit, hoc faciendum; cum inde frequens bellorum ſubnaſcentium opportunitas, ab improbiſſima hominū fece Galliam noſtrā exoneret, ac tanquā vitioſos ex malè affecto corpore humores diducat. Verùm tamen, cum alia ad improbitatē caſtigandā remedia ſuppetant, non video, cur ad belli corruptelam vilis obſcænaque hæc plebecula ſit traducenda.

Ægyd. Corrozet.

IX In bona militia rigidæ diſciplinæ obſervantia requiritur, ideoque & neceſſariarum rerū proviſio.

Alterum eſt, ut rigida belli diſciplina pro virib9 adminiſtretur, citra hanc enim, nec ordo dignus, nec annonæ militaris æqua proviſio, nec imperium ducis, nec militis obſequium conſtare diu poterit. Hæc tanquam exercitus totius anima, corpus totum, velut mēbra ad capitis arbitrium, moderabitur, ſiſtet, impellet, flectet, neceſſariis abundè inſtruet, &, ceu firmam hoſti ingruenti arcem, opponet. Quam ſi negligas, nec inter ſe miles, nec cum agricolis paſſim fugitivis, nec cum annonæ ſubvectoribus, nec denique cum ipſo Duce conſentiet, ingentia ubiq;, ſine emolu-

 mento,

mento vel proprio vel alieno, illaturus damna, seque ipsum consumpturus denique, cum alios consumit. Quâ in re profectò Christianorum hodie Principum militaris virtus ratioque desideratur; quod à barbaris hostibus Turcisque longè superatur. quos tamen, non ista lex charitatis, sed politiæ decus commodumque ad huius disciplinæ curam impellit. Memorant, qui Turcarum castra, & olim sub Solymanno contra Carolum, & nuper contra Leopoldum Cæsarem instructa, ex Turcica legatione reduces transiêre nullibi, neq; rusticum agro motum, neque operarum consuetas occupationes artesque desertas, perque militem non secus, quã bene excultam moribus urbem patuisse transitum, & nec verbo quidem, multò minus insolenti quempiam actu petitum. Pueros rerum venalium portatores inter medios oberrasse milites, æquumque pro rebus oblatis retulisse pretium evenisse porrò, ut mulier lacticinia circumferens à milite in devio coacta fuerit præbere ex lacte potum. Quod cum deinde ante tribunum quereretur, milesque factum negaret, suspensum pedibus, ac constrictum arcto fune stomachum lac reddidisse; ac mox sine miseratione laqueo factum expiasse, reliquisque fuisse exemplum, nec tam levia quidẽ impunè perpetrandi. Bellum rectè nunquam nisi sub rigidissima politicæ vitæ disciplina administratur. Lamachus Græcorum Dux manipuli Præfectum delictum suum deprecanti, *Frustra*

es,

es, respondit, *nam in bello bis peccare non licet.* Papyrius Dictator Q. Fabium Equitum Magistrum suo injussu pugnantẽ, quamvis victis Samnitibus in castra rediret victor, publicis lictorũ virgis cædendũ subjecit, vix ad militũ & senatus preces vitâ donatum, adeò & gentilibus *melior* in castris visa *est obedientia, quam* hostinm *victima*. Verùm ad militaris huius disciplinæ, tum instituendæ, tum conservandæ integritatẽ, non solum prudens gravisq; Imp. sed necessaria quoq; ad militẽ alendũ stipẽdia commeatusque requiritur. Alias, ut necessitas legem non habet, ita nec frenum miles.

Stob ser. 52

Val. Max. l. 2.

X. Religiõis ac pietatis cura, in militari inprimis licẽtia coercenda, & Deo ad bellũ cõciliando opus est.

Est quoque & illud ad rectam belli admistrationem, eiusque disciplinæ constantem usum sapienti Imp. militum providendum, ut religionis cura, Deique, bellorum omnium successum moderantis, timor, atq; observantia locũ habeat: *quoniam non in multitudine belli, sed de cœlo fortitudo est*, suos Machabæus Judas consultò admonebat. Et, *si Deus nobiscum, quis contra nos?* Certè nulli mortalium negotio magis præsens Dei adesse manus videtur, ubi de tot mortalium vita ac salute disceptatur. Unde quod Israelitis minatus est, nos quoque concernit: *Si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subjiciemini his qui oderunt vos.* Et alibi, omnẽ malitiam à fortunata militia vult submoveri: *Quando*, inquit ad Israelem, *egressus fueris adversus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala.*

Levit. 26.

Deut. 23.

Hæc

Hæc à Romanis quoque obſervata ſtudiosè novimus, qui nunquam niſi Diis ſupplicatum eſſet, ad bellum profecti, nunquam victores in urbem niſi ad capitolium primò Diis gratias acturi revertebantur. In caſtris ſua ritè obibant ſacrificia, nilq; arduum, ſine Deorum invocatione aggrediebantur, militem verò, ne luxu deſidiaq; per hibernas æſtivaſque ſtationes laxaretur, varijs operibus diſtinebant, & nunc ſubterraneis per canales ducendis fontibus, nunc ſternendis latè per loca paludoſa occupabant vijs, ut militares per agros Trevericos viæ, ductiq; hodiedum fontes oſtendunt. Tum verò & ipſa à lixis, calonibus, ſcortiſque expurgabant ſæpe caſtra, quò liberius peccandi illecebras ſubmoverent, quod in ſcipione Africano alijſque fortunatis Ducibus laudatur. Et nos Chriſtiani, ad ſanctiora longe per Dei legem inſtructi, graviſſimiſque cum pœnis, tum præmijs ad hæc præſtanda provocati à gentilibus nos patiemur ſuperari?

Val. Max. l.2.c.1.

Quam ſoluta hoc ævo fuerit bellorum diſciplina, ſpreta religio, ſacra conculcata, pró dolor! in Germania Belgioque conſpeximus & ſuperioribus hoc ipſum ſeculis cognitum, quando ex Europa ad orientem pro terræ S. vindicatione profecti juſtiſſimo licet bello, noſtra tamen impietate, ac diſſenſione, invidiaque occupatis illis poſſeſſionibus rurſum excluſi fuimus, irritæque non paucæ expeditiones cecidêre.

Non

Non infelicibus auſpicijs ſub Urbano II expeditio in orientem ſuſcepta fuerat, ac Godefridus Bullionius Hieroſolymis occupatis Rex ibidem ſeculo XI conſtitutus. Eugenius deinde Pontifex altero poſt ſeculo totum in arma occidentem D. Bernardi potiſſimum opera ſuaſuque (quo & Regem Galliarum Ludovicum traxit, & Conradum Imp. Germaniæque Principes) maximo belli apparatu concitavit; ſpeſque tantò erat major præſentiorque, quòd innumeris D. Bernardus miraculis, quacunque incederet, urbes vicoſque illuſtraret omnes, Deuſque tam manifeſtis argumentis probare hoc ſancti hominis conſilium, atque Europam ad hoc bellum provocare de cœlo videretur.

XI Expeditiones in terrã ſanctam ſæpe infelices, ob dilicta Chriſtianorum.

Sigon. l. 11. regni Ital. ad an. 1149

Itum & à Gallis, & à Germanis copijs inſtructiſſimis maximiſque eſt; verùm re nulla memorabili geſta, maxima pars exercitus fame, peſte, venenatiſque alimentis confecta perijt, Ludovicus ab hoſtibus etiam interceptus, per Rogerium Siciliæ Comitem Regemque ſupervenientem ægrè liberatur. Ita bellum hoc terra marique ampliſſimum, paucis ad ſua redeuntibus, cum ingenti Europæorum clade, & vaniſſimo conatu abſolutum eſt. Cuius exprobrationem cum D. Bernardus, autor præcipuus impulſorque ſuſtineret, feruntreſpondiſſe: Pleroſque qui occubuiſſent hoc bello, pro fide ac religione gloriosè cecidiſſe. Quoſdam verò improborum, ſua hic ob delicta plexos. Ceterum tam infe-

infelicem exitum, & Mahumetanorum, ne ad veritatem reduceretur, & Christianorum, ne reducerent sceleribus esse imputandum. Et enim non solis contra barbaros viribus, sed virtutibus potius certandum. Pietate armis juncta Deum loca hæc sancta voluisse expugnari.

XII Bellaturo videndū quē, quibusque præsidiis hostem petat.

Sed quæ altera in bellandi arte lex esse solet, ut non tantum quibus viribus, sed & quem, quantisque præsidiis nixum hostem petas, inprimis consideres, hoc neque illo in bello satis fuit consideratum. Nam Manuel Græcorum Imperator licet Conrado Imp. affinitate junctus, tamen Europæorum in oriente dominatum formidans, Græcâ fide eundem cum exercitu ad solitudinem deduxit, ibique à Saracenis circūsessum, profugis ductoribus male destituit, Ludovico etiam Regi dolosam opem præstitit. Unde quem amicum sperabant, proditorem experti sunt. Quare animo occidentales hæc incommoda præmetiri oportuisset, atque illud Scorylonis Dacorum Regis exemplum meditari, qui, Romanis inter se dissentientibus, cum ad bellum eis indicendum per suos Duces incitaretur, invitatis ad spectaculum, duos inter se canes in arena commisit, quibus decertantibus, cùm immissus superveniret lupus, positâ repentè inimicitiâ, feram hanc junctis viribus aggressi sunt. Tum ad suos conversus: *Vereor*, inquit, *ne hos canes æmulentur Romani, & ubi novum hostem conspexerint, mutuo conciliati, in hunc*

Frontinus l. 1. c. 10. & alij.

solum

solum iram conferant. Ita orientales, posita inter se æmulatione, alij insidijs dolove, alij illatis armis occidentales oppresfêre.

Quin nec expensum in hoc bello satis quibus socijs, & quo pacto bellum hoc aggrederentur? Unde inter Duces exercituum frequens æmulatio, dum quisque inter labores qui esset facillimus; inter præmia occupatarũ regionum atque urbium, quæ essent maxima, peteret, multisque sub Ducibus non idem esset bellandi ardor. Cum Saraceni hostes numero licet ingentes, sub unius imperio, uno quoque consilio animoque regerentur. Apposito hanc ad rem symbolo fortissimus Dux Rom Sertorius dissentientes militum Duces instruxit. Duos in aream produxit equos strigosum imbellemq; unum, robustũ habilemque alterum, tum senem hinc debilem robusto applicuit equo, jussitque evellere caudam sigillatim quosque carpendo pilos. Contra juvenem imbellis equi caudam uno simul nisu ductuque raptare ad evellendum præcepit. Cum verò hujus labor incassum cederet, senexque tandem equi tergum nudasset. *Attendite*, inquit, *milites, nos viribus junctos nemo franget; divisos quilibet.* Hoc Europæis Saracenorum oppugnatoribus satis prævisum non fuit: juncti consiliis armisque vicissent, qui dissipatis male animis manibusque devicti sunt.

XIII
Socij quoque bellãdiq; ratio consideranda.

Front. l. 4. c. 7.

At neque de commeatu annonaque pro-

visum

XIV Quemadmodũ via ad comeatum aperta serventur, providendum.

visum hoc in bello abundè fuit, quod medijs terrarum urbiumq; spatijs non prius occupatis, temere plures in alienis terris clausi tenerentur, ubi ab hoste commeatus omnis facilè interciperetur. De huius igitur securitate ante expeditionem ad interiores hostium oras providendum erat: ne, ut falsè in Philopæmenem Achæorum Ducem, Q. Flaminius, quem copiosiorem, quam alere poscet, ducere militem acceperat: *Philopæmen*, inquit, *manus habet pedesque, sed ventrem non habet*, quæ tantò in hominem quadrabant aptius, quod macilento is corpore reconditum sub thorace ventrem vix præ se ferret.

Plutarch. in Rom. apopht.

XV Potentiores nõ facile in patriam pro auxilio evocandi.

Porrò quod invitatis quondam ad opem occidentalibus Græcorum Imperatores parum fidi essent, hoc experientiâ malorum docti, faciebant: cum inter prima bellandi principia esse, serò animadverterent: ne bellaturus facilè potentiorem se amicum invitet ad auxilium; quod nimium deinde pronum sit: semel occupatis nunquam decedere. Experti hoc erant orientales, qui Saracenos ad ferendam opem invitatos, nunquam potuerunt excludere. Sic Angliam Saxones, Gothi Hispaniam, Longobardi Italiam, Nortmanni Galliam, aliæ gentium alias occupavêre terras; nec facilè hodie nativam à prisca origine gentem, præterquam solos Germanos, es reperturus. Scimus, quid in fabulis evenerit lepori, postquam ad nidum, hospitalitatis etiam gratiâ, echinum admisisset.

Et

Et Germaniæ Principes, quid proximo ab illis huius ſeculi bello peccatum, adverſus hoc conſilium, fuerit, poterunt meminiſſe, ac recordari, quantum hac in re à Majorum ſuorum prudentia ac fortitudine deflexerint: ut qui multas olim, ſub ſuo imperio linguas complexi ſunt; nunc ſuam in aliena etiam dominia partiri cogantur. Et quò huc demum malo, niſi ſpretæ diviſæque in una gente religionis, ignominioſè deflectimus? Quòd ſi ſapimus, ante imminens excidium; priſtina rurſum in fide ſancienda nobis concordia eſt; ſine qua, non magis in Germania; quàm Græcia antiquæ poterunt felicitatis & gloriæ ornamenta ſperari. Verùm, ut hæc ſenſim ad turpiſſimam alienarum gentium ſervitutem; ſic & illa traducetur & quod de Phrygibus olim, tandem etiam de Germanis audietur: *ſerò ſapiunt Teutones*: quando redire ad libertatem cupientibus via erit intercepta.

Plura alia ſunt, quæ cautè fortiterque militaturo & cavenda eſſent, & procuranda, exiguntq; ductorem, non minus annorum multorum experientiâ, quàm bellandi uſu inſtructum. Qui tamen, ut bellorum fortuna caſusque maximè varii ancipiteſque ſunt, vix ſatis hanc artem traditurus eſt, quæ admirabili divini Numinis providentia gubernatur; ut nullis hæc ad ſecuritatẽ documentis ſat queat firmari. Conſultor in bello optimus eſt;

qui postquam omnia diligentissimè ad illud præparata sunt, depositis pacem armis persuasit.

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

XVI
Pax bello ex Redēptoris nostri cōsilio jure est præferenda.

Quare ad ista, quibus principio lectorem conveni, Redemptoris nostri consilia revoco. Nullus illo, aut sapientior in perceptionibus, aut cautior in malis declinandis, aut perspicacior in utilibus providendis, aut in explorandis eventibus certior. Nullum illius de bello rectè instituendo; sed de eodem, per studium pacis, declinando monita sunt quamplurima. Nec immeritò. Quam enim felicitatis in hac vita partem, extra pacis tranquillitatem constituti, mortales sperent? Nam sive bellum administrent, sive sustineant, omni genere calamitatum plerique obruuntur, & ad paucissimos bellorum fructus pervenit, quorum tamen felicitas, cum aliorum fere oppressione sociatur. Nemo victor gloriosus habetur, nisi plurimos hominum occiderit: nemo hic locupletior, nisi ex spoliis, & detrimentis aliorum. Unius gaudium alterius luctus est; unius opes alterius inopia; unius elatio, alterius depressio.

XVII
Militaris vitæ infelix & dura conditio.

Nec rarò compertum est, utriusque partis damnis ingentibus bella finiri; ut ipsa demum calamitas, hinc atque inde premens, insolentiam armorum mitiori pacis studio componat. Militem verò siquis in hac Martis palæstra consideret, quàm ipsius miseranda conditio!

ditio ! Labores in hunc unum incumbunt maximi, nocturnæ diurnæque vigiliæ: alimonia illi vel tenuis, vel incerta, vel plerumque agreſtis: quies rara, humi cubatio, lectus ferè ſtramineus, nudum ſæpius ſine tecto cœlum: pluviæ ac tempeſtatum, æſtus frigoriſque tolerandæ injuriæ: ſtipendia dubia; ac ſæpe nulla, inſidiæ hoſtiles, & pericula vitæ certiſſima: dura plerumque præfectorum imperia, nec tantus in ulla artium officiorumque diſciplina rigor, ubi lictoris faſces ſecureſque cervicibus domi, foris hoſtium gladii ac tela imminent. Inter hæc ſocietas peſſima, perditorum hominum exempla, profligata ſæpe in licentia ſcelerum vita, & mors ubique parata, infernus apertus, dira ac triſtia omnia: ut nec in rigidiſſimo quidem Monachorum ordine tantam homo aſperitatem vivendi exſpectare poſſit, quantam in militia ſuſtinere cogitur. Certè ſi Dæmon alicubi ſuos martyres habeat, hi in militia quærendi ſint. Jam quotus, ex ejuſmodi ſtrategis, tam à bellis victoriiſque felix domum revertitur, qui poſt tot rerum diſcrimina ſuperata, ditior honoratiorque, quàm egreſſus ſit, redeat? Ex centenis vix unum ſæpe numerabis, ſi aliquot bellorum aleam ſubierit. Quod ſi ad aliquos belli commoda tranſeant, ij ſunt, qui à laboribus periculiſque remotiores minimum incommodorum ſuſtinuêre. Nuſquam iniquior fortuna mortalium laboribus;

quã in bello eſt expectanda: ut mirum profectò ſit reperiri homines, qui tantam, pro exilis lucelli aut prædæ ſpe, militiæ onus ſubeant, quod ſi Deus pro cœleſti gloria mortalibus ſuſtinendum propoſuiſſet, immitis heri potius, quam manſueti patris affectum erga nos induiſſe videri poſſet. Nunc ubi nos ad tranquillæ pacis cultum, ad conciliationem inimicorum, ad animorum concordiam, ad mutuæ ſocietatis amoriſque vinculum, quibus nihil ſuavius in hac vita hominibus obvenire poteſt; cùm in his felicitatem, non modò præſentis vitæ, ſed & futuræ voluit eſſe collocatam, cumque hanc velut teſſeram diſcipulorum imò & filiorum Dei innumeris ſcripturæ locis deſignet; quis adeò, & à proximo, & à Deo, & à ſeipſo averſus eſſe poterit, ut pacem bello, hoc eſt, ſalutem exitio cenſeat poſtponendum? Dicamus cum Bethlemiticis Angelis: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis.*

CAPUT XX.

Ad felitatem huius vitæ cultus veræ religionis, & debita etiam Principum ſubmiſſio, requiritur, quam Diabolus novitatis perſuaſione evertit.

NIhil felicitatem veram conſectãtibus Religioni debet eſſe potius. Cum enim à Deo omnis humana felicitas ſit, quid ni datorẽ eius veneremur? Porcis ſimiles ſunt, qui arborem, ſub quâ fructus colligunt, non intuentur.

Exci-

Excidere omni gratia donoque merentur, qui eius largitorem non agnoſcunt, reverenturque. Et hæc quidem Catholica veritas, adverſus Machiavellum eiusque aſſeclas, non de quacunque, ſeu vera, ſeu falſa religione; ſed unius Dei Opt. Max. cultu, cum æternæ felicitatis exſpectatione pijſque virtutum ſtudiis conjuncto, maximè eſt accipienda. Quanquam enim & in gentilibus illa commendata fuerit, nec ſuis caruiſſe præmiis viſa, ideoque Numa pro firmanda reip. Romanæ regnique à Romulo cœpti felicitate, religionis certas leges ritusque ad ſacra colendorum Deorum conſtituerit, nullamque Romani adverſus hoſtes expeditionem, niſi inchoatam concluſamque à religioſo Numinum cultu ſuſceperint, adeoque ſucceſſum huc retulerint univerſum; tamen præſenti magis, quàm futuræ beatitati intenti, optimâ eius parte atque exſpectatione exciderunt. Antiochus vanus Deorum cultor, liberali in cultum religioſum propenſus animo per obſequium, quod vero præſtitit Numini Hieroſolymam, citra vim armatam, occupavit. Cum enim ſcenopegiæ feſto urbem obſediſſet, Solymæis dierum ſeptem inducias pro religione exſolvenda rogantibus, non ſolum rogatas conceſſit; verum tauros etiam auratis ornatos cornibus, cum magna, in aureis argenteiſque vaſis, aromatum & thymiatum vi ſubmiſit, nec ſine ſolenni pompa, Sacerdotum manibus tradidit; ut Judæi religio-

I Felicitas huius vitæ ſine religionis ac Dei cultu non obtinetur.

Ioſeph. de antiq. Iudæ. l. 13. c. 16.

ligionem humanitatemque Regis admirati, protinus ab exactis solennibus cum Hyrcano in Regis fidem obsequiumque concesserint: rati, tam in Dei venerationem pium, (quod ei cognomentum hæsit) in homines non futurum impium. Fuit enimvero hæc semper Regum laudatissimorum cura, divinum Numen impensè venerari, liberalitate, quâ majorem in se de cœlo liberalitatem provocarent; felices, si cum præsentibus Dei præmijs beneficiisque futuræ vitæ bona, (quod de Antiochio incertum est) conjungantur. sine his nec Christianis quidem Principibns, quantumvis victoriosis lateque ac potenter imperantibus, sua quicquam religio ad veram felicitatem est profutura. *Neque enim*, ait Augustinus, *nos Christianos quosdam Imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios placidâ morte reliquerunt, vel hostes reip. domuerunt. Hæc enim & alia vitæ huius ærumnosæ vel munera, vel solatia, quidam etiam cultores Dæmonem accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei, quo pertinent isti. Sed felices eos dicimus, si iuste imperant, si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium non extollantur; sed se homines esse meminerunt: si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum, maiestati eius famulam faciunt; Si Deum timent, diligunt, colunt; si plus amant regnum, ubi non timent habere consortes; si luxuria tanto*

De Civit. Dei lib. 5. c. 24.

eis castigatior, quanto posset esset liberior; si malunt cupiditatibus pravis, quàm quibuslibet gentibus imperare, & si hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ; sed propter charitatem felicitatis æternæ.

III Religiõis & sacrorũ potestas à profanis non est occupanda.

His tamen religionis divinæ cultus, non ita à principibus secularibus Deo exhibendus est, ut ipsi sacrorum arbitri esse velint, & cum Ozia, ut sic loquar, incensum adolere Domino; ne pari cum eodem lepra, si non corporis, saltem mentis inquinentur. Multò minus fas erit Ecclesiæ principatum usurpare, qui illi commissus est, cui dictum *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam. Quodcunque solveris super terram erit solutum & in cœlis. Pasce oves meas.* Post hunc verò illis successoribus quibus Paulus dixit: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam* Dei. His igitur, cum & Reges ipsi Seculares, tanquam oves subsint, parere in judiciis Ecclesiasticis tenentur. Apostoli eorumque successores Episcopi, à quovis veræ religionis cultore Dei loco audiendi sunt. Ita certè, ut de veteri lege taceam in nova est constitutum. Christo omnes, tanquam Duci ac Legislatori sacrorum, parere tenentur. At illi sunt, qui *pro Christo legatione funguntur*, & *qui hos audit, Deum audit.* Cum qua sententia, tam civiles, quàm Eccle-

2. Par. 26.

Act. 20. 28

2. Cor. 5. Luc. 10.

siasticæ leges, usůsque priscus Christianorum Principum conspirat; ut indignandum jure sit, reperiri hodie & Ozias & Ozas, qui ad arcam Dei profanam audeant manum extendere, constituere sacrorum præsides, indicere Ecclesiarum synodos, definire religionis controversias, jus sibi in Sacerdotes Pontificesque Ecclesiæ arrogare, postquam optimi primorum Impp. hoc jure, ut indebito, ultrò cesserunt, quique usurpare conati sunt, plerique temeritatem suam præsenti etiam infelicitate expiarint. Justinianus illud, jam olim, lege sanxit civili. *Si Ecclesiasticum, ait, negotium sit, nullam communionem habento civilis magistratus cum ea disceptatione, sed religiosissimi Episcopi secundum sacros Canones finem imponito.* In sacris Canonibus Nazianzenus ad Impp. ita loquitur. *Libenter accipitis, quod lex Christi Sacerdotali vos subjicit potestati, atque istis tribunalibus subdit. Dedit enim & nobis potestatem, dedit & principatum multo perfectiorem principatibus vestris.* S. Ignatius Joannis Apostoli discipulus jam olim utramque, tam civilem, quàm Ecclesiasticam potestatem ex æquo partitus est. *Principes,* ait, *subditi estote Cæsari, milites Principibus, Diaconi Presbyteris, Presbyteri vero & Diaconi, atque omnis clerus, simul cum omni populo, & militibus, atque Principibus, sed & Cæsare, obediant Episcopo; Episcopus vero Christo, sicut Patri Christus atque ita unitas per omnia servetur.*

Authent. Constit 123.

Apud Gratian. dist. 10. can. 7.

Epist. ad Philadelp.

Con-

Constantinus Magnus primus è Christianis Imp, jure in exemplũ peti debet, cum sub illo, ac per illum palã primùm Ecclesia judicare, nullo impediente, cum suprema potestate cœperit. Nam Silvestro Pontifici hanc omnẽ in Ecclesiasticis indulsit; imò jam ante susceptum baptisma Melthiadi Papæ detulit; cum Donatistæ & in Africa, & Romæ damnati, ad Constantinum frustra provocarint: *Meum* aít, *judicium postulant, qui ipse iudicium Christi expecto. Dico enim, ut se veritas habet. Sacerdotum iudicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens iudicet. Quid sentiunt maligni homines officia Diaboli? Perquirunt secularia, relinquentes cœlestia.* Sic in Nicæno postea Concilio, per se, ex Silvestri voluntate, coacto nihil ipse, nisi obediendum Sacerdotibus eorumque decretis statuit. Hinc D. Ambrosius. *Si conferendum est de fide. Sacerdotum debet esse collatio, sicut factum est sub Constantino Augustæ memoriæ Principe, qui nullas leges ante præmisit, sed liberum dedit judicium Sacerdotibus.* Pro Athanasio sic ad Alexandrinos Patres scribit. *Ego Episcopum vestrum Athanasium libenter recepi, eumque ut virum Dei allocutus sum. Vestri autem est, non mei judicij, ea de re cognoscere.* Hanc optimi quique Impp. imitati sunt, ut Valentinianus senior, rogatus à quibusdam, ut Synodum cogeret, respondit: *Mihi, qui unus è numero Laicorum sum, non licet ejusmodi negotijs me interponere. Sacerdotes*

III Primi Impp. Christiani Pontificibus & Ecclesiæ se submiserunt.

Euseb. l. 10. c 5. hist. August. Epist. 162. & 166.

Euseb. de vita Const. l. 4. c. 27. Sozom. l. 1. c. 9. Ambros. Epist. 32.

D. Athan. Apol. 2.

Sozom. l 6. c. 7. Niceph. l. 11. c. 30.

& Episcopi, quibus hæc curæ sunt, ubicunque ipsis liberum fuerit, conveniant. Et Theodosius ad Synodum Ephesinam Candidiano Comiti illuc misso vetat, ne se decretis immisceat. Basilius Imperator in octava Synodo generali Constantinopol. negat, ipse præsens, fas esse sibi & Laicis quicquam judicare. *Hoc Pontificum* inquit, *& Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, sanctificandi, ligandi, & solvendi potestatē habent, qui Ecclesiasticas adepti sunt claves, non nostrum qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari vel à ligamentis solvi egemus.*

IV
Ab Episcopis etiam delinquētes correpti sunt.
Epist. 33. ad Marc. Sulpit. l. 2. hist. sac. Suidas.

Porrò hinc potestati obnitentes alij Impp. apertè perstricti sunt. Ita Ambrosius Valentinianum Juniorem reprehendit. S. Martinus Turon. ad Imp. Maximum ait: *Novum esse, atque inauditum nefas, quod caussam Ecclesiæ judex seculi iudicaret.* Nec dissimilia ad Constantium Leontius. Quin & Honorius Imp. Arcadium fratrem Imp. perstringit, quod autoritatem suam inter dissidentes Episcopos Constantinop. Chrysostomum & Theophilum interposuisset. *Siquid* ait, *de causa religionis inter Antistites ageretur Episcopale oportuerit esse iudicium. Ad illos enim divinarum rerum interpretatio, ad nos spectat obsequium.*

Bar. com. 5. ad an. 404. Ex codice vatic.

V
Qui se orthodoxis opposuerunt, novas hæreses am-

Cavendum præterea magnis Principibus ne quis facilè in religionis studio emergentes novitates amplectantur contraque universalis Ecclesiæ usum consensumque tue-

tueantur, per hoc enim suam ac reipubl. totius Pacem felicitatemque evertunt. Quam veritatem innumeris firmare, cum Principum, tum regnorum exemplis cuilibet historiarum non ignaro promptum est. Constantius imperium quod à Constantino Magno patre, fratribusque præmortuis amplissimum acceperat, & arianismo ipse admisso, & Juliano delecto successore, demum apostatante, penè universum pessumdedit uterque inexspectata morte, & hic quidem cœlitùs inflictâ, defunctus. Justinianus (quanti nominis Imperator!) in extrema ætate afflatus nova hæresi, dum Episcopis orthodoxis propulsandis manuum admovet, ipse sanâ dejectus mente, & in furorem versus exspiravit. Valentem Valentinianum, Justinum, Anastasium, Zenonem, Copronymum, aliosque hæresi admisså infames, ac morte infelici defunctos, prætereo. Unius Heraclij, Monothelitarum erroribus infecti, fortunam paucis complector. Hic principio & orthodoxus, & maximis adversus Cosroën Persarum Regem victorijs nobilitatus, non solum Jerosolymam restituit, sed Armeniam, Assyriam ipsamque Persidem armis tenuit, victorque oblatam Christi salutiferam crucem redditam Solymis, suis humeris,

plexi ir... lices extincti sũt.

Evagor. l. 4. c. 39.

Zon. tom 3. Paul. Diac l. 18 Cusp. in Cæsar.

meris, vulgari pœnitentis habitu, sancto rursum monti restituit.

Sed ad hæresin denique superstitiosasque astrorum atque avium observationes versus, & incesto neptis propriæ fædatus thalamo est, ac cum religione felicitatem omnem amisit. Mahometus enim Magicis artibus principatum & Prophetæ nomen adeptus, postquam ex Judaica & Christiana lege, gratissima vulgò placita collegisset, populo sequace fretus, ex Arabia in Ægyptum, Syriam, & Palæstinam effusus, cum Saracenis omnia latè occupavit, illudque in oriente regnum auspicatus est, quod in Europam nunc quoque extenditur, Christianis maximè formidandum. Obdormiverat sua in hæresi & amore turpi ignavus interea Heraclius, incendiumque quod sopiri principio levi negotio potuisset, ad totam passus est posteritatem propagari, vitâ tandem ipse ac morte post triginta regni annos ingloriâ defunctus. Heraclionem filium regni appetentem reliquias, truncatis naribus dehonestatum repudiarunt, Constante Nepote, in hæresi non minus, quàm sede substituto adeò facilè malum hoc religione semel profligata serpit. Sed quid tam remota sectamur, quando in proximis occurrunt exempla seculis, nullo satis dignè colore adumbranda? Quid Fridericum Saxoniæ septemvirum Henricum Hassiæ Principem, Christiernum

VI Ttistia superioris seculi Principū ...

Da

Daniæ Regem, Henricum alterum Angliæ Monarcham, præter hæresin, cum totis nationibus ijsdem subjectis pessundedit? Hic, & unius è multis perstringam obiter memoriam, cum amator suæ conjugis, & religionis boni Regis fungeretur officiis, in Lutherum Germaniæ Hæresiarcham, ex remotis tóto Oceano Angliæ regionibus, piè eruditeque calamum, nec levi plagâ, vibravit; at postquam libidine simul ac hæresi, socijs plerumque, ut in Luthero, sic in affeclis ipsius, malis, correptus est: tum nec libidine, nec impietate, in Dei servos Ecclesiasque effusa, satiari potuit. Catharinam Caroli V materteram, laudatissimam conjugem, quam nisi ob virtutem odisse non poterat, repudiavit, seque, ne esset qui contradiceret Pontifex, summum Ecclesiæ caput pronuntiavit (adeò fundatis prncipiis heresis plerumq; nititur) tum aliam duxit post aliam conjugem, post sextam plures etiam ducturus, nisi abrupisset mors licentiam: Nam, ut Poëta nonnemo.

religionū novantiū exemplo.

Cui non una satis femina, nulla satis.

Ex prima ultimaque noblilitate supra trecentos ac triginta sustulisse per diversa supplicia numeratus est. Ecclesias ac monasteria pulsis interfectisve incolis innumeras evertit, bonis omnibus in fiscum redactis quem tamen moriens vacuum reliquit, ut crudelitatis, avaritiæ, ac libi-

libidinis cum inaudita hæresi societatis immane exemplar fuerit. At morte jam imminente, vellicante tot scelerum conscientiâ turbatus, ad Catholicæ Ecclesiæ gremium, in qua solâ potestatem clavium remissionemque peccatorum esse non ignorabat; se recipere conatus, ancipiti fato defunctus est; sed viam ad orcum infinitæ post se hominum multitudini stravit, quæ mavult turpissimum hunc novæ religionis Ducem, ac malè feriatum Ecclesiæ caput, in vita, quam in morte sectari. Tam graviter, ubi semel per hæresin declinari cœptum est, aberratur. Levis principio, ut aiunt, error, in fine fit maximus.

VII Diabolus huius novitatis, & religionis Patrum spretæ autor ipsis hæresiarchis non diffitentibus.

Et unde, obsecro, hæc tanta in miseros mortales cœcitas derivatur? Stupent omnes, quotquot extra hanc vertiginem, integris etiamnum sensibus animisque erectis perstant, reperiri posse homines, quos tam probrosæ originis, & stultè adeo innovatæ religionis non pudeat, qui mentem in hac amentia non aliquando recolligant, & quem sequantur, quò vadant, secum non expendant? Nimirum ipse Diabolus omnium hæresûm, ut autor, ita fautor, fascinatos illorum animos tantâ involvit caligine, ut videntes non videant, atque audientes ad salutaria obsurdescant. Et si ipse Lutherus usque adeò hac fascinatione captus fuit, ut Diabolum de abroganda

Missa,

Missa, ut instructorem se habuisse professus sit, & hunc se meritò, rationum pondere victum, equi palam dictitet: quid mirum, si parum exercitati in Theologicis homines, ab hoc magistro & antesignano, apertis ad præcipitium oculis deducantur? Ne verò temerè me Diaboli auspiciis Lutherum hanc novandæ religionis licentiam aggressum esse suspicari existiment, consulatur ipsiusmet autoris confessio, & de Missa angulari liber, tum alia eiusdem scripta, reperient apertè profitentem: *Diabolum sibi familiariter notum, & plusquam salis modium cum eodem consumptum*: exhibebit ipsa, quæ Diabolus suggessit argumenta, quibus dissolvendis imparem sese dictitarit. Adeant quoque Tilmannum Bredenbachium, ubi celebratam multorum scriptis historiam, ex ipsis haustam fontibus invenient, quâ Luthero jam olim Diabolus familiaris adhæsisse cognoscitur. Juverit hanc breviter exposuisse ut intelligant quo Magistro, & doctore spiritu suam Novatores disciplinam, quâ Catholicos oppugnant, infeliciter hauriant. Sic habet.

In collat. sacris l. c. 41.

„Cum Maximilianus Imp. felicis recorda„tionis ejus nominis primus, Augustæ Vin„delicorum anno 1518 imperialia comitia in„stituisset, ac patentibus valvis, ut moris est, „pranderet: ingressus est, cum multis aliis „triclinium prandentis Martinus Lutherus, Impe-

,Imperator cum visum Lutherum exactius
,paulò,ac diutius intueretur, tandem Baro-
,nem Schenck de Eipach aulicum pincer-
,namq; his verbis alloquitur. Vade,ut Mona-
,chum illum cucullo vestitum, à vertice ad
,plantam pedis usque, diligentissimè intuea-
,ris,& quid videris referto. Baro obsecutus,
,respondit Imperatori: se Monachum cucul-
,lo vestitum vidisse; quid verò pectori ani-
,moq; insedisset,nō potuisse discernere. Imp.
,rursus ijsdē quibus antea verbis Baroni man-
,dat,denuo Monachum probè collustrare.
,Baro etiamsi iteratâ vice adiret,refert se ni-
,hilo plus,quàm antea videre. Imperator
,phrasi sibi familiari, regerebat: amore boni
,Dei, fac quæ jubeo. Baro obtemperans,va-
,densque ac rediens,idem semper Imperatori
,repetijt. Subjungit protinus Imperator. Si
,tu nihil vidisti,nec vides,dicam tibi quid ego
,videam. video Cacodæmonem formâ cor-
,poreâ istius Monachi humeris incubantem;
,& te quidem superstite,me verò defuncto,
,iste Monachus turbas,calamitates, & mise-
rias gravissimas in imperio suscitabit. Quæ
ab aliis etiam Principibus viris excepta,
à Consiliariis Electorum scriptis consignata,
& Bredenbachio communicata ipse scriptor
testatur.

Et Henricus Zwinglius,qui Beren-
garij errore revocato, Calvinum eiusque se-
ctatores hac ætate præijt; in corporali
Chri-

Christi indistantia, ut sic loquar, seu præsentia, sub Eucharistico pane, neganda, illam se doctrinam, à nocturno spiritu (qui ater an albus fuerit, sibi incertum sit) hausisse ex illo scripturæ loco suppeditato fatetur: *Est enim phase, hoc est, transitus Domini.* ubi tò *est* pro *significat* usurpatum: eodem in verbis Christi, hoc *est* corpus meum: sensu jure accipiendum sit. Judicet rursum Lector, quid de ejusmodi Theologia sentiendum sit. Quæ à nocturnis his spiritibus dictatur. Et, an credendum huic spiritui fuerit, quia scripturam per S. Scripturam, verum suo ingenio interpretabatur; cùm tamen hujus temporis Acatholici in hac interpretandi ratione fundamenta suæ fidei collocent, hunc Zvvinglii Spiritum imitati? Sufficere enim existimant, si intenti à se sensus exemplum, unde, ex scriptura depromant. Cum tamen, ut varia est vocum significatio, ita propria necessariaque cujusque loci investiganda sit; quod ex perpetuo Ecclesiæ usu & ab Apostolis usque traducta interpretatione, non ex ipsa Scriptura petendum est. Unde si Apostoli olim: *hoc est corpus* eo sensu, quo *hoc est phase*, aut cum de picta Cæsaris tabula vel statua dico: *hic est Cæsar*, usurpassent; utique Spiritus ille rectè Zvvinglium instruxisset, non propter depromptum alibi scripturæ sensum (qui pro varietate locorum plerumque est varius) sed veteris Ecclesiæ con-

Zvvingl. l. de supplem. Eucharistia, Heshusius contra Cal.

Exod. 12.

VIII. Non credendum Diabolo etiamsi S. Scripturam obtentat. Sed Spiritus Dei verus in Catholica quærendus Ecclesia est, ut religionis & salutis nostræ fautor.

Ioan. 16. ſenſum. Et hic Eccleſiæ Spiritus, divinus ille eſt, atque infallibilis, quem Chriſtus promiſit, *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, & docebit vos*, ut ait, *omnem veritatem*. A quo qui deflectit, privati Spiritus & interpretationis amator, hunc omnino falli neceſſe eſt, & fruſtra cum Diabolo ex ſcriptura loquitur: quem ex his loquentem Chriſtus ipſe in deſerto eſt aſpernatus. Hoc Dæmonis & Hæreticorum omnium ſtratagema eſt, ſpecioſo verbi Dei & religionis prætextu, in errorem ac præcipitium credulos mortales abſtrahere. Sic Anabaptiſtarum turpis, & ſub larva ſanctitatis abdita, factio repentè ab hoc ſpiritu divinis ſcripturis repleta, has ad omnia quantumvis flagitioſiſſima & inaudita commenta, per inferiorem Saxoniam, Weſtphaliam, Friſiam, Hollandiam, Angliam, denique obtendere audita eſt. Ut manifeſtum ſit, religionem priſcam, non aliter ex S. literis, quàm juxta Eccleſiæ Catholicæ ſenſum Sanctorumque Patrum, & Conciliorum placitum, eruendam ſectandamque eſſe. Hanc igitur, quiſquis cum præſenti felicitate futuram jungere deſiderat, & amare, & tueri pro viribus tenetur.

CA-

CAPUT XXI.

An, & qua ratione, quivis in religione sua, etiam gentilium, salvari possit

NOn defuerunt olim, nec hodiedum desunt mollioris sententiæ homines, qui quemvis sua in religione, & placere hic Deo, & cum præsenti felicitate futuram se posse conjungere, tam sibi persuasum habent; quàm persuadere aliis conantur. Quanquam illud magis liberè; hoc timidè. Cùm universum penè orbem in suas divisum sectas, pugnantibus inter se videant sententijs collidi, & quemque pro religione sua, tanquàm vera tantùm salutiferaque conniti. Quæ sanè cessaret concertatio, si in eam plerique venirent mentem, suâ quemque in religione salvum esse posse. Tum enim, hac in religionis varietate, non major, quàm in diversitate officiorum eadem in urbe; (quæ varietas ad reip. ornamentum utilitatemque spectat) nasci oporteret dissensio. Cum cuique hoc solum deberet esse propositum; ut quam profitetur religionem, hanc ad suum ac reip. emolumentum convertat. Quod nec Machiavellus quidem persuadere se posse existimavit. Qui licet nullam religionẽ asperraretur, pro felici reip. gubernatione obtinenda: unicam tamen solũ qualemcumq; demũ illam, ad reip. quietẽ censuit esse admitendã; Principiq; , licet in animo

1 Quemvis in sua religiõe salutẽ cõsequi posse, multi hodie; sed occultè magis, quẽ palā sentiunt.

 dissen-

diſſentiret, ſimulatè eandem colendam, adeò connatum hominibus, diverſam religionem pro ſitentibus, eſſe credidit, inter ſe diſſentire. Sunt tamen qui hunc diſſenſum à Deo ſpectari amarique velint: ut hac æmulatione mortales ad fervorem zelumque, in ſuo quemque cultu provocet; dum quique optimi ardentiſſimique Dei cultores videri geſtiunt, atque hoc ſtudio, emorituram ceterà ſine adverſariis, religionem excitant, inflammantque. Notum enim experientiâ illud eſt, quod *virtus ſine adverſario frigeſcat*; ut ignis ſine frigore facilè diſſipatur. Deus, qui elementa elementis, hominum quoque ſtudia in hoc mundo inter ſe opponere voluit, ut *contraria contrariis magis illuceſcant*. non tamen idcirco odiſſe alterutra, cum utraque autor ipſe naturæ ac perſuaſor religionis producat. Et hæc opinio, ſi multorum ſinus animi excutiantur, latere hodiedum in diverſorum pectoribus deprehenditur, illorum præſertim politicorum, qui cuivis religionis vento vela explicant, ubi major opum honoriſque ſpecies affulget, & de Eccleſia ad Eccleſiam tanquam ab urbe in urbem tranſmigrant. Nonnulli de fide, tanquam aleâ, ludunt, atque eius Principis, aut reip. religionem ſequuntur. quæ bello prævalet, aut honeſtiora officia defert. Matthias Corſinus, & Georgius Podiebrachius, ille Hungarorum orthodoxus, hic Bohemorum heterodoxus Rex, aliquando

Funda-mētum i-ta ſentiē-tium.

Bonf l. 2. c. 4.

quando in certamen religionis descenderunt, quod cum verbis non absolverent, convenit, ut Regis utriusque Morio duello illud finirent, ejusque fides verior sanctiorque haberetur, cujus stultus dimicando vicisset. Victoria ab Hungaro stetit. Sed Podiebrachius excepit; par non esse, ut Rex sapiens stultum sequatur. Ita quod ludendo certamen auspicati sunt, ludendo absolverunt. tanti multis religio est. Non dissimilis Soldani Turcorum Principis, apud Henricum Leonem Saxoniæ Boiariæque Ducem, religionis cura fuit. Hic Contantinopolim Solymis redibat, quando Soldanus maximis obvius muneribus, suum, ut ajebat, consanguineũ, (quòd ipse ex Teutonica Matre originem duceret) honoratum veniebat. Henricus postquam ab illo 1800 equos pro militum comitatu, pro se triginta, ephippiis, phaleris, frenisque auratis insignes, sex domos filirinas, totidemque, qui ferrent, camelos, duosque leopardos dono accepisset, miratus humanitatem ac liberalitatem principis: utinam, inquit Christianæ religionis veritatem sanctitatemque amplectereris, omnium ego te, quos viderim, Principum sentirem felicissimum. Tum ille: *Non est difficile credere, quod Deus, quando voluit, de immaculata Virgine carnem assumpsit, qui hominem primum de terra Virgine plasmavit. Sed omnium communis Dominus, non uno voluit ab omnibus cultu honorari.* Sic ille, sic plures, verùm se-

Crantz. l. 6. Saxon. c. 33.

Ratio illius sententiæ plausibilis

culi hujus tantum prudentes, loquuntur; quibus incredibile videtur, quod Deus, tot in mundo gentes suis quasque religionibus à puerili ætate instituas, neque de veritate ambigentes, extraque Catholicam religionem morientes æternùm damnaturus sit. Cum siquis illorum error esset, hunc æquum esset, vel à Deo manifestari, vel non puniri in ignorantibus, qui ita plerique animo comparati fuêre, ut si Deum alio cultu delectatum scivissent, hunc utique non gravatè præstitissent. Quis enim tam perversus sit; qui cum Deum venerari studeat, inviso id malit, quàm grato cultu præstare. hoc enim esset displicere velle, dum cupit placere.

Et hæc differendi ratio, adeò veritati conformis, lucique nobis à natura insitæ affinis videtur; ut everti vix quoat. Cum nec homo alter possit; nec divinam mentem, utpote rectissimam, aliud deceat. Quocirca, ad hæc melius penetranda discucientdaque, statuenda nobis pauca sunt, velut principia veritatis, ex quibus cetera deinde facilius eruantur.

II. Deus diversis hominibus diversa ad salutem consequendam

Primum principium est, quod Deus diversum diversis nationibus lumen agnitionis suæ largitus fuerit, quo si quisque, ut par est, uteretur, & suum Deo præstare cultum obsequiumque, & cum salute præsentis vitæ

ætcr-

æternam possit conjungere. Ita ipse nos Christus in Evangelio docuit, uni datum talentum unum, alteri duo, nonnullis tria, quatuor, quinque; satis fecisse autem, tam illum, qui duobus alia duo lucrifecerat, quam qui donatus quinque, totidem erat lucratus. Nam utrique dictum: *Euge serve bone, intra in gaudium Domini tui.* Deinde ex Apostolo didicimus (adversus impias Calvini blasphemias, quosdam ad æternam pœnam prædestinatos asserentis,) quod *Deus omnes homines velit salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, eoque fine missus sit, *unus mediator Dei & hominum IESVS Christ*, *qui dedit redemptionem seipsum pro omnibus.* Quare universis, etiam gentibus, sufficiens ad salutem consequendam lumen Deus largitus est. Ita David quiritantibus: *Multi*, ait, *dicunt, quis ostendit nobis bona?* respondetque: *signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Consentit Salomon: *A magnitudine*, inquit, *speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Confirmat denique Apostolus de gentilibus loquens: *Quod notum*, ait, *est Dei manifestum est illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita ut sint inexcusabiles.* Quo puto nihil explicatius dici potest. Ad cognitionẽ Dei venire potest quisq; ratione præditus,

talenta distribuit, nec gentibus negata. *Mat. 25.*

1 *Tim. 2. v. 4 & 5.*

Psal. 4.

Sap. 13.

Rom. 1. v. 19.

vel ex sola contemplatione creaturæ ad ejus conditorem ac gubernatorem ascendendo; vel ex sapientum instructione, quos ratio nos jubet consulere, dum ambigimus. Deum verò agnitum eadem nos ratio, tanquam autorem & Dominum nostrum jubet venerari. quod si quisque etiam gentium, pro luce sibi à concessa fecerit, elevante sua illum gratiâ Deo ad actus supernaturales divini amoris ac fidei speique in ostensum redemptorem poterit salvari.

Id verò qui cum Dei oblata gratia non fecerit *inexcusabilis* futurus est, quia suum quod acceperat talentum, licet unicum in terram defodit. Alterum talentum obtinuisse videntur, qui vel olim Messiæ venturi, vel nunc præsentis cognitionem aliquam remotam hauserunt, ex qua ad propiorem ejusdem agnitionem ac venerationem accedere possent. plus enim iisdem lucis, quàm ceteris affulsit gentibus. Tertium illis talentum obtigit, qui ad hanc notitiam religionemque à teneris educati; vel certè per Apostolos aliosque instructi, singulari beneficio, *vocati sunt in admirabile lumen eius.* Quartum dici possunt assecuti, qui ad perfectiorem hujus religionis statum lumen obtinuerunt. Quintum qui cum luce & perfectione sibi data alios quoque illuminant, perficiuntque. Et hæc quædam quasi talentorum partitio est distinguenda.

Alte-

Alterum principium eſt, Deum multis ſui notitiam offerre, qui tamen hanc uti carni inimicã ſciẽtes volentesq; repudiant, quòd oſtenſam ex hac luce pietatis & juſtitiæ obligationem nolint admittere. Unde apud Jobum de his querelæ ſunt: *Dixerunt Deo: recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Et hi non ſolum in primo à nobis conſtituto gradu, qui gentium eſt, ſed altero etiam, ad Chriſti agnitionem, vocatorum; nec minus in tertio Chriſtianorum, & quarto Chriſti perfectionem ſectantium, reperiuntur. De primis, ait, David: *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* quid ſequitur? *Corrupti ſunt, abominabiles facti ſunt.* Nimirum cupiditate ſcelerum: *Revelatur,* ait Paulus, *ira Dei de cœlo ſuper omnẽ impietatem, & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatẽ Dei in injuſtitia detinent, quia quod notum eſt Dei manifeſtum eſt illis.* De aliis Meſſiæ oblatam cognitionem rejicientibus per Iſaiam Deus ait. *Cognovit Bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.* Ex gradu tertio agnitionis reſiliunt, de quibus ad Chriſtianos Petrus: *In vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis & eum, qui emit eos, Deum negant, ſuperinducentes ſibi celerem perditionem. Et multi ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur.* In quarto

III. Multi oblatam Dei ſalutiſque notitiam, carnis amore rejiciunt, idq; per varios religionis gradus.

Iob. 21.

Pſal. 13.

Rom. 1.

Iſa. 1.

1. *Pet.* 2.

quintoque gradu illi sunt , qui ex religioso ac sacro Ecclesiæ ordine , ad ejusmodi sectas perditionis instituentas fovendasque transfugiunt. quorum ut quisque è sublimiori gradu decidit, tantò graviori casu flagitioque prolabitur.

IV Quibusdã ob invincibilem igno antiam, (ut multis gentium) infidelitas non imputabitur; ut aliis, qui potuerunt Christum agnoscere, & noluerunt.

Tertium principium est, quod illis quibus sufficiens lumen agnoscendi Christi, ejusque veræ religionis oblatum nunquam est, neque erroris in quo versabantur abolendi justa suspicio, hi ob invincibilem ignorantiam excusentur, neque ob infidelitatis crimen damnandi sunt. Unde illi ex gentibus, qui Deum quem agnoverunt (nam hic invincibilis ignorantia non datur , in abunde per rationis lumen instructis) venerati, ut par est, fuerint cum Dei gratia salutem consequentur. eis verò, quibus in secundo, tertio, quartoque gradu veritatis Christianæ cognitionem assequi, aut retinere licuit, infidelitas verget ad damnationem. ratio est, quia hi vincibili & voluntaria, illi invincibili atque involuntariâ ignorantiâ aberrarunt. *nullum autem* , ut rectè Augustinus , *peccatum, quod non sit voluntarium.* Et Christus ait, : *Si non venissem , & locutus fuissem eis , peccatum non haberent. nunc autem excusationem non habent.* Nam, *qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti filii Dei.*

Ioan. 15.

Ioan. 3.

Quar-

Quartum Principium, ingens beneficium esse vocationis ad veram Christi agnitionem fidemque, quod, præ gentibus, Judæis, Turcisque, orthodoxis Christianis oblatum est: cum facilius longè per merita Christi, remediaque salutis, in ejus Ecclesia lapsis præparata, ab his salus queat obtineri. *Hæc enim est vita æterna, ut cognoscant te,* ait Joannes, *solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Et Paulus. *Existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam IESV Christi Domini mei.* In huius enim Ecclesia, baptismus est salutis ostium, & pro relapsis sacramentum pœnitentiæ, aliaque remedia, quæ desunt gentibus, licet vera Dei cognitione instructis; ut nisi per amorem Dei super omnia dilecti (quo illorum defectus suppleri potest) non queant salvari. *Qui enim non diligit, manet in morte.* Et *omnis qui diligit, ex Deo natus est, quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Imò, *universa delicta operit charitas.* Ad hujus autem exercitium, nec gentibus quidem, *cum omnes Deus salvos velit*, sufficiens ab eodem gratia, denegabitur: juxtaque præscriptum rationis viventes, verâ etiam Christi agnitione illuminabit.

Ioan. 17.

Phil. 3.

Ingens beneficiũ est vocationis ad fidem, quo gẽtes destitutæ difficilius salvantur.

1. Ioh. 4.

Prov. 10.

Quintum principium. Ad vincendam,

tam

V Christianæ doctrinæ veritas sufficiēter ex virtute miraculorum declaratur; ut respuētes illam inexcusabiles habeantur.

tam gentium, quam Judæorum ignorantiam, sufficiens fuit doctrina Christi, sive ab ipso, sive ab Apostolis proposita: non tam ratione sui (quod in quibusdam, ut de Eucharistia, de amore inimicorum, de consilio deferendi & abnegandi se suosque de amplectenda cruce, aliisque, cum sensu sententiaque communi hominum pugnaret) quàm ratione virtutis divinæ, per miracula diversa exhibitæ. quâ intelligerent, non aliunde, quàm à Deo doctrinam hanc esse posse. Unde cum Joannes ad Christum mitteret scitatum; *tu es, qui venturus es, an alium exspectamus? respondens Iesus ait*: *Euntes renuntiate Ioanni, quæ audistis & vidistis: cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* Et hanc responsionem Christus judicavit sufficere, ut se verum Messiam declararet. Nam subjecit. *Væ tibi Bethsaida! quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes eæ, egissent pœnitentiam.* Quocirca & alibi inquit: *si opera non fecissem in eis, quæ nemo alios, peccatum non haberent.* Unde hæc & similia à quocunque perpetrata, ad quemcunque convincendum valere debent, ubi de vera religione agitur. Si quidem verè, non phantasticè, & ad breve tempus illusoriè, (quod in quibusdam Dæmon potest) peragantur. In rationabili tamen dubio ad divinæ opis

Mat. 11.

Ioan. 15.

In dubio ad divinā opem cō-

opis implorationem sedulò recurrendum, affectusque carnalis omnis, qui à spirituali intelligentia sensum abducit, exuendus, & de errore suspectus habendus est. *Caro enim & sanguis regnum Dei non possidebunt.*

fugiendū est.

VI
Ex gentibus salvari poterunt invincibiliter ignorantes si in amore Dei ex hac vita decedant.

Ex his principiis expeditior responsio juxta divinas literas futura est. Respondendum enim I homines absolutè quoslibet, etiam ex gentibus ipsis, salvari posse: modò duo hæc in eis reperiantur, primum quod invincibiliter ignorantes sint, juxta principium tertium, alterum quod per amorem Dei à peccatis suis, cum divina gratia expiati ab hac vita discedant, quæ gratia cum fidei speique per redemptorem infusione juxta rationis lumen viventibus, ut principium, quartum habet, non negabitur. *Deus enim non vult mortem peccatoris; sed magis, ut convertatur, & vivat.* Et hæc responsio in primo maximè fundatur principio. Quod gentes inter homines sint, quos Deus vult salvos fieri, tantumque tribuat illis ad salutem auxilii, ut si negligant inexcusabiles sint. Excusabiles autem essent, si neque cognitionem, neque auxilium à Deo sufficiens impetrassent. Cùm ad impossibile nemo obligetur.

Ezech. 18.

VII
Ex Acatholicis quoque pari lege

Respondendum II est, etiam Acatholicos omnes, quotquot invincibili ignorantia (cuius infra conditiones expendemus) habo-

morientes non damnabuntur.

laborant, salvari posse, modo tamen, vel per collatum rectè baptismum, vel per amorem Dei super omnia dilecti, à peccatis expientur; quia aliis Sacramentorum, in sola Ecclesia Catholica Servatorum, remediis destituuntur. ratio ex iisdem principiis petenda est, cùm Deus facienti quod in se est, auxilium ad salutem sufficiens, non sit negaturus. Sub Acatholicis autem non solum hæreticos, verùm & Judæos ac Mahumetanos comprehendo, quibus in paribus circumstantiis omnis ad salutem via occludi non potest. His tamen baptismo destitutis major hoc nomine difficultas, quæ & gentium est, incumbet. Verùm notandum bene est, quod dixi suprà *absolute* hæc fieri posse; Quia, an frequenter, & quando hæc fiant, soli Deo exploratum est, qui sibi hoc judicium, nobis inscrutabile, reservatum voluit. Unde Paulus postquam dixisset: *conclusit Deus omnia in incredulitatem, ut omnium misereatur*: miserationis hujus rationem non exponens, subjicit: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit.*

Rom. 11.

VIII Error materialis solũ nulli damnabilis futurus est.

Respondendum III ad quæstionem: *Num in sua quivis fide ac religione salvari possit?* cum distinctione est, materialiter nimirum, ut ajunt Theologi, infidelem, salvari posse: formaliter talem non posse.

Hoc

Hoc est,posse salvari talem,qui cum gentibus , Judæis Turcis Hæreticisque vivit , non tamen illorum vitiis erroribusque, vel sciens immoratur, vel immoritur; Sed vero amore Dei,hoc solum quod Deo optimo maximo placere sentit, amplectitur ; quod displicere sentit, detestatur : paratus etiam,dum errorem aliquem invincibilem sequitur, eundem,si nosset, deserere & adversari. Is enim licet materiam remque erroneam tractet,& exequatur,ex intentione tamen sciensque formalem errorem non committit ; sed perinde se habet, ut cœcus, qui plumbeum alicui nummum exhibet, quem credit esse aureum,ideoque excusationem erroris meretur ; quia ignorans, ac citra destinationem fallendi, delinquit. Ita Jobum gentilem , & placuisse Deo , & salutis tenuisse viam ex sacris literis accepimus. Nec de Platone , Seneca , Epicteto aliisque , si parem cum doctrina vitam secuti sint , est desperandum.

IX
In virtute tamē meritorum Christi omnes salvantur.
1.Tim. 2.
Act.4.12.

Respondendum IV Eiusmodi tamen salus invincibiliter ignorantibus non confertur, nisi virtute meritorūm Christi manifestati : quia, ut patet in primo principio : *Ille se dedit redemptionem pro omnibus.* Et Petrus denuntiat : *non est in alio aliquo salus. Nec enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

Et

Et si infantibus, Christum ignorantibus, per baptismum, salus ex Christo conferatur; cur id fieri nequeat baptismo flaminis, per contritionem ex amore Dei profectam quam divina fides & spes infusa comitantur, conciliatis? Ita enim inter membra Christi computantur.

X. Quibus sufficienter fides Christi proposita est, sine illius professione nequeunt salvari.

Respondendum V. iis quibus sufficienter doctrina Christi, ut olim Judæis per miracula, juxta principium quintum, proposita fuit; non participant Christi meritis; neque salutem, sine acceptatione & professione fidei in articulis omnibus revelatis consequuntur. Unde Paulus ait: *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.* Hujusmodi autem *fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Et Joannes ex ore Christi ait. *qui credit in filium Dei, habet vitam æternam; qui autem incredulus est filio, non videbit vitam; sed ira Dei manet super eum.* Utraque autem hæc responsio confirmatur, ex principio tertio, & verbis Christi. *Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent*: idque in omnibus ut dixit revelatis. Nam si vel in uno audire loquentem nolit, Christi autoritatem contemnit. Et Jacobo teste *qui in uno offendit, factus est omnium reus, qui enim dixit: non mæchaberis, dixit & non occides.*

Rom 3.25.

Ioan 3.36.

Ioan.15.

Ex

Ex his facilè apparet, quid respondendum eis sit, qui quemque in sua religione salvari posse statuunt. Illud enim juxta limitationes supra positas admitti poterit, simulque, hunc à Deo ex oppositione mutua profectum esse spectatum: Nam *oportet hæreses esse ut hi, qui probati sunt, manifesti fiant.* Nec perituros ex gentibus ob ignoratam fidem, quam assequi non potuere, sed præstantibus quod in se est, Dei gratiam, salutemque non defuturam. Omnes damnandi extremo judicii die audituri sunt à justo Judice: *Ex te perditio tua.* Ergo speremus in eum qui neminem vult perire: *nullus speravit in Domino, & confusus est!*

1. Cor. 11.

Osee. 13.

Eccli. 2.

CAPUT XXII.

An Iudæis & Mahumetanis extra Christiano-Catholicam fidem speranda salus, & quâ ratione ad eam inducendi sint?

DE infelici circumcisorum ac præcipuè Judæorum natione paucis disserendum, inquirendumque videtur, num quæ illis ad felicitatem salutemque via patentior, quàm ceteris gentium relicta videatur? Habent enim præsidia non pauca, ex lege ac scriptura Veteris Testamenti ab iis recepti, quibus Messiam jam advenisse, eumque, præter Christum Jesum, alium esse sentire vix possint: nisi

I Iudæi & Mahometani, licet propiores Catholicis sint quam gentes, difficilius tamen convertuntur, ob innatum odiū.

quod Turcæ Mahumetum suum Christò præferant, atque hunc illi proximum magni Prophetæ nomine venerētur. utraque tamen gens Christiano nomini, nec fida, nec amica, tantoque religione suâ ab ijs alienior, quantò præ gentibus propior. Unde solus è societate JESU Xaverius gentium plures brevi tempore, quàm Societas tota per seculum integrum Mahumetanorum ac Judæorum convertit; quamvis omnibus, sine discrimine, ad salutem sese impendat.

De odio Judæorum, quo adversus Christum ejusque sectatores feruntur, res per omnem retrò memoriam ex historiis compertissima est, tantoque majori admiratione digna, quod per illorum dispersi regna, sub Principum Christianorum gratia ac favore vitam tolerare, post Solymæorum excidium tristissimum, cogantur, & centies propter exercita in Christianos odia locis pulsi, aut gravissimis mactati suppliciis, nullo tamen pœnarum metu satis possint coerceri. Ut si dominatum illum quem Christiani passim in illos, hi in christianos (quod tempore Antichristi futurum est) occupassent, hos omnibus jam dudum suppliciis interemissent. Ecclesiastica historia nostra apud Eusebium Ruffinum, Socratem, aliosque exemplis crudelitatis plena est. Cum inter illustria & sceleris expertia suæ sectæ opera habeant

11 Iudæi Christiano, atque

Chri-

Christianum fudisse ac libasse sanguinem. Cujus rei gratia omnes sæpe fortunarum suarum, propriæ vitæ, imò totius gentis suæ opes, vitamque, in discrimen objiciunt. Quot, ut alia præteream, ad hauriendum Christianum sanguinem pueros interemisse, atque ad Crucifixi Jesu imitationem & opprobrium immaniter crucifixisse, comperti sunt! Monachij anno salutis MCCLXXXV Judæi puerum raptum occidisse deprehensi, cum universam in se plebem repentè concitassent, suamque in synagogam centum octoginta numero se recepissent, subjecto igne in eadem conflagrarunt. Par facinus Stumpfius ab ijsdem Uberlingæ designatum esse memorat, anno MCCCXXXI. Quale etiam, cùm in Thuringia ante annos 28 ejusdem seculi patratum, Fridericus Marchio, pecunijs gentis corruptus, dissimulare voluit, desperatâ miserrimè conflictatus colicâ, ubi voto se Judæos igne consumpturos recepisset, sanitati est redditus, nec distulit pœnæ executionem. Sed frustra aliunde exempla petimus, quando hæc, & tempora, & loca nobis suppeditant. Audivimus hoc eodem anno MDCLXX, quo hæc scribo, Judæum infanticidam Metis extremo supplicio scelus luisse, imò jam lapso mense Judæos ob diversa flagitia tota Austria vicinisque regionibus

inprimis puerorũ gaudent sanguine

Avent. in Annal. Boior.

Neander in Erotem. linguæ sanctæ.

ab Imperatore Leopoldo proscriptos, in Daciam plerosque abiisse. Nostra etiam Treverica Dioecesis multis illustratam miraculis historiam suppeditat, quam paucis huc referre visum est. Wesalia ad Rhenum infra Moguntiam, Trevirorum oppidum est, ubi Wernerus, in vicinia natus, puer Judæis promiscuè Christianisque pro victu famulabatur. Hunc illi anno MCCLXXXVIII die Jovis sancto in cellam abstractum, plumbeoque globo, ne clamorem ederet, in os inserto, columnæ alligant, pedibus sursum versis, ut hostiam S. eo die piè ab illo perceptam elicerent. Parasceves verò die nudatum flagris crudelissimè ad Christi exemplum conciderunt, corpus deinde venæque, ad eliciendum omnem sanguinem cultellis scissæ forcipibusque pressæ sunt: animâ per triduum inter hæc tormenta non exspirante, nec miserente ullo. Licet Judex per ancillam catholicam quæ forte supervenit ad spectaculum inductus sit; sed mox pecuniis ad silentium coëmptus. Judæi collecto in vas sanguine, pueri jam demortui cadaver, noctu impositum cymbæ, adverso flumine supra Baccharacum, evexêre, atque ingruente die abjecêre in vepres, ubi insolito proditum lumine Baccharacum in oratorium S. Cuniberti transfertur, & Judæorum cognito facinore, pluriumque internecione castigato, honorifico sepulchro conditur. Quod dum

III. Memorabilis cædes VVesalia in VVernero puero patrata.

Brovv. in An Trev. tom. I. an. 1287.

dum miraculis illustratur, translatum singularis primò sacelli, deinde frequentiore cultu, basilicæ honore est decoratum. ubi ingentibus prodigiis, surdorum, claudorum, ac denique etiam mortuorum restitutione claruit. demum superiori seculo, invidiâ hæreticorum istic invalescentium sublatum est. Quanquam certis testibus oculatis constet, eo usque per CCL & amplius annos omnibus artubus nervis ac cute, nisi quod circa dentes labia nonnihil defluxissent, durasse illibatum. Wesaliæ, in hospitali domo, columna, quinûm circiter pedum, ad quam passus est, etiamnum visitur. Miracula ut in diversis literis authenticis Browerus, ita ego in antiquo pargamenæ chartæ libro plurima exarata legi, suis ritè testimoniis obsignata.

Miracula illustria ad pueri tumulum.

Mirantur plures mecum, Unde tam ingens Christiani sanguinis Judæos sitis capiat, quem avidissimè, non solum colligunt, sed & hauriunt. nec hujus cupiditatis mysterium satis ipsi hactenus, etiam sub tormentis visi sunt prodere. adeò ad secreta sua communicanda Christianis, imò & suis, nisi jam ætate & pertinaciâ firmatissimis, majores natu obduruêre. Illud tamen nescio, quâ fide excipiendum sit, quod Tirnaviæ extortum est. Illic anno MCCCCXIV adolescenti rapto, omnem quoque ex corpore venisque sanguinem hauserant. Captâ totâ familiâ; ubi compertum facinus, causæ in tor-

IV. Causę unde illa sanguinis Christiani sitis.

mentis atrocibus quæsitæ sunt: responsumque fuit à Senioribus secreti gnaris: sanguinem Christianorum in circumsione, post sublata præputia, adhiberi vulneribus citius curandis, & sanguine hoc sisti Judaicum sanguinem. Deinde à menstruatis (quo malo & viri inter ipsos sæpe laborent) ad sistendi remedium combibi. Tertio hunc sanguinem conciliare mutuum amorem. Denique inter præcipua placandi sacrificia censeri, libare Deo suo Christianum sanguinem. Ita Bonfinius. Cui Vincentius addit; quotannis alicubi hoc agere, ut crucifigendo quempiam Christianorum Deo litent.

Lib. 4. dec. 5. Lib. 29. c. 25.

His adjicit Judæus Senex Ratisbonæ baptizatus, & Christianis adscriptus, quod innocentum puerorum sanguine morituros inungant hac verborum forma, *Si in lege & Prophetis promissus Messias jam venit, & is Christianorum IESVS est, hic sanguis innocentis pueri, in ea fide mortui, ad salutem æternam commodet.*

Neand. in Erotem. supra.

Et hanc sibi cruentam unctionem miseri ad salutem profuturam existimant, adeò præter veteris legis tabulas suorum Rabbinorum impliciti erroribus delirant. Nec solo sanguine, verùm & carnis Christianæ usurpatione superstitiosâ gaudent. Celebris

lebris hac in re est Judæi Constantinopolitani usura. hic enim Christiano in suprema necessitate fœneratò pecuniam postulanti, eâ lege indulsit; ut quandoquidem æris inops viveret, usuræ loco duas ipsi carnis suæ uncias cederet: admisit hic simulatè, stato tamen sortem tempore reposuit; sed negavit pactam carnem. Unde lite & judicio inter se apud Solymanum, id temporis Imperatorem commissi sunt. Is pacti iniquitate expensâ; jubet tamen adferri novaculam, Christianumque ad excipiendum ictum nudari. Tum ad Judæum versus; cape, inquit, licebit per me, duas exscindere uncias: verùm eâ lege, ut si in quantitate ac pondere exerres, tibi collum resecetur. Exhorruit Judæus, lubensque tanto suo periculo usuram remisit. Quid hic magis admireris Judæi cupiditatem; an Imperatoris æquitatem ac prudentiam?

V
Carnis humanæ appetentia, in Iudæo delusa.
Corrozetus de dictis & factis memorab.

Mahumetanorum, quamvis circumcisi sint, minus tamen erga Christianos est odium. Quos etiam suis in ditionibus patiuntur: à quibus illos Judæi, ubi rerum olim potiebantur, multorum excidio (ut sub Hadriano & Juliano Impp. compertum est) excluserunt. Contempti tamen apud quoslibet circumcisos Christiani: nec his fidem, ubi commodum est, illibatã servant. Quod (ut in rebus seriis remissiora quædã admittamus) Alphonsi

VI
Nec Mahumetanis fidendum.
Vide Euseb. in Chron. an. 17. Ruff. l. 10. hist. c. 37. Socr. l. 7 c. 13.

Arragonum Regis Morio non ignorabat. Illí enim, cum ex officio commissum esset, ut per aulam singulorum dicta factave inprimis memoranda notaret in tabula, suoque deinde judicio, quod ex omnibus stultissimum videretur, adjungeret, ac stato Regi tempore exhiberet; evenit, ut Rex Maurum, quem habebat in aula famulum, cum magnâ auri vi, in Africam ad coëmendos equos destinaret. Observavit factum tempusque Morio, atque illud die illo stultissimum in aula à Rege patratum memorabat: iisque consignabat verbis: *Alphonsus, Rex Christianus, Mahumetanum Pœnum aliquot aureorum millibus onustum, ad Mahumetanos dimisit. Exitus acta probabit. Ego vero, si bona fide revertatur, Maurum stultissimum; si minus, Alphonsum talem esse pronuntiabo.* Et certè cavisset Rex, si antiquam tam Pœnorum, quàm Circumcisorum fidem ex Morionis sui sententia expendisset. Hanc enim ad aram usque rari præstant. Quid? quod paucis eorum ad Christiana etiam sacra transeuntibus credendum sit, adeò multi reperti sunt, qui id fraude ac simulatione magis, quàm veritatis religionisque amore præstiterunt, ut tam Mauris per Hispaniam quam Judæis per Asiam Europamque plurimis exemplis compertum est.

Corroz. etus supra.

Judæorum, de quibus potissimum agimus,

mus, fraudem jam olim Socrates in suâ perstringit historiâ, quando hanc insigni etiam miraculo proditam affirmat, cum Judæus, suscepto ante baptismo, Paulum Constantinopolitanum Episcopum iteratò baptizandus, lucri utique spe, convenit. Verùm, dum fonti admovetur, aqua repentè evanescit; quod cum repetito baptizandi conatu fieret, attonitus cum populo Episcopus, hominis, conterriti quoque, perfidiam comperit, didicitque, non nisi circumspectè Judæis fidendum.

lib 7. hist. c. 17.

VII Iudæorũ fraudes multis exemplis compertæ.

Vt I in baptismo simulatè suscepto.

Plus lepóris, nescio, an etiam perfidiæ, habet, quod me hic Treviris, ante annos 30, præsente evenit, quando baptizato Judæo, multum vini ex diversorum cellis subitò evanuit. Admissus est ad baptismum Judæus, ingenuo ore vultuque (quod rarum est) Christianum magis, quàm Judæum referens, postquam à nostris instructus ad orthodoxam fidem Patribus fuisset, res, per summæ ædis Canonicos, eâ assistentium solennitate, & gratiâ peracta est, Judæi quoque (qui Emmerici nomen suscepit) ad pietatem moresque nostros compositione, ut optima quæque exspectarentur. Negotiationi is deinde operam, vino optimo undique conquisito, dare cœpit; sed absque pecunia. Creditò

tradentibus spem bonæ solutionis, in posterum annum, fecit. Implevit ergo vasis (quæ erat Christianorum simplex bonitas) onerariam navem, quâ ipse in Hollandiam transiens, nec istic sat felicibus negotiandi auspiciis exceptus, post moram aliquam, litisque intercedentis luctam, nusquam deinde comparuit; sed vina cum vasis, & pecunia, & Judæo ipso apud nos repentè videri desierunt. Cui, si quod infortunium passus fuit, eius probatio ad purgationem sufficere poterat: silentium & fuga, purgare à perfidia hominem, nunquam potuêre. Certè Judæi ipsimet admonuêre: ne temerè homini, ad imposturam nato, fidem haberemus. Quibus non credidimus, nisi ex eventu. Experta jam olim illorum à Christiana religione aversionem Diœcesis hæc fuerat, quando seculo Christi XI Everhardus Archiepiscopus egregio zelo ad gentis se conversionem impendit: cumque obfirmatè resisterent, legem tulit, quâ aut urbe, ante Paschalia abesse solennia, aut orthodoxa amplecti sacra imperabat. Ergo consilium gens à prisca Magorum superstitione funestum capit. Imaginem ex cera ad Archiepiscopi similitudinem, insertis lychnis, effingunt quam per corruptum ære ædis Paulinianæ clericum, ceu infantem, sacris undis sacrilegè curant ablui, eamque, dum Archiepiscopus

Deinde in conversione omni arte declinata.

Brovv. in An. Trev. ad an. 1066

piscopus Sabbato sancto operatur sacris, fontem ipsum baptismalem consecraturus, accendunt. quæ, ut sensim consumebatur, ita pontifex paulatim animo linqui, ac sub finem sacrorum, reclinato in Archidiaconi sinum capite, deficere, atque exspirare visus est, anno salutis MLXVI Cal Maii XVII. Heraclius Imperator orientis quoque, postquam vaticinio monitus esset, fatales sibi regnoque circumcisos fore, Judæorum gentem, oriente toto, aut ad Christianam religionem compulit, aut imperio exegit; scripsitque ad vicinos præterea Reges, in quibus & Dagobertus Rex Franciæ erat, ut suo paria in Judæos exemplo statuerent. Sed brevi hic zelus deferbuit, tum Judæorum pertinaciâ obluctante; tum Mahomete cum Arabibus circumcisis invalescente: ut alibi se pugnare Heraclius; alibi sibi metuendum imminere hostem intelligeret. Quare hic Imperatoris conatus intra consilium, parvo ad Judæorum conversionem emolumento, substitit. ut felicibus rarò successibus tentata Judæorum conversio absolvitur. tam altis radicibus Christianæ religionis horror illorum pectoribus insedit. Et dirâ istâ Judæorum imprecatione: *sanguis eius super nos, & super filios nostros*, etiamnum infelices gravantur. Stupendum eius rei apud Vbios Coloniæ

Æmilius in hist. Orient.

in

Deniq; in reditu ad perfidiam

in porta ad Canonicalem S. Andreæ ædem symbolum extat, mus hinc, & inde propositus Cattus, cum hac interpretationis olim receptæ sententia, citius mus cattum insecutus capiet suique juris faciet, quàm Christianus fiat ex Judæo. Quod illius olim ædis Decanum, jam morti vicinum dixisse memorant, suoque exemplo complorasse.

Ille enim ex Judæo Catholicam religionem amplexus, ac deinde, bonæ ut creditum est vitæ Clericus, in Ecclesiæ illius Decanum electus demum in morte ad Judaismi professionem reversus quantum Judæis credendum esset ostendit. Novi ego tamen, non simulatè conversos; sed perpetuis tentationum æstibus ad redeundum incitatos, paucosque admodum, quibus per reliquam vitam quietis esse licuit.

Fas nihilominus Christianis, ad inimicorum dilectionem usque charitatis suæ viscera explicantibus est, infelicium misereri, manumque, ut licet, auxiliatricem ad salutem offerre, quando invincibilis multos error, & nativa cœcitas à veritatis luce complures avertit.

VIII Miraculis Christianorū inflecti ad fidē debe-rent.

Sufficeret utique miraculorum, ut olim per Christum, ita nunc per Christianos quoq; ubiq;, terrarum affusum lumen, quod Christus nunquam defuturum pollicitus est, de quo infra paulò erit prolixius differendum, sufficeret, inquam, cum inter ipsa etiam Judæ-

orum

orum intentata Christianis flagitia, ut supra Baccharaci atque alibi factum meminimus, divina Christi virtus, tam manifestis, contra impios infelicesque eorum conatus, prodigiis exserat, ut dubitare, nisi plane ad hæc cœcus, non possit. Quid enim potentius, magisque divinum, quàm ad pueri unius occisi mortuique tumulum claudis gressum, cœcis visum, vitamque ipsam mortuis reddi? ut alia taceam, quæ per hanc diœcesin loca Judæi invisunt, miraculis olim ac hodiedum quoque illustrata. Percelli his nonnullos, atque à suis etiam revocari erroribus hic singula viderunt secula: verùm illâ, vel paucitate, vel inconstantiâ, ut vix numerum faciant, & velut relictæ post vindemiam uvæ colligantur.

Nihilominus cum laborandum nobis sit, ut ad torcular Christi è Diaboli manibus infelices subducantur. Methodum, quâ id ex lege veteri fieri opportunè posse visum est, non solum Judæis, verùm & Mahumetanis idoneam, adjiciam, quanquam & hi ex nova sint lege convincendi.

IX
Quomodo ex veteri lege convincēdi sint de vero Messia [Christo.

Principio lapsus primi parentis, ac posteritatis ab eo maledictio, dein Messias ad liberandum hominem promissus ex recepta utrimque doctrina, in memoriam revocandus est: tum de persona Messiæ, de adventus tempore, redemptionis fine modoque, in quibus à nobis dissentiunt, suscipienda disceptatio est.

De

De persona quidem, probandum; quod homo, qualem ipsi futurum sentiunt, purus esse non possit: cum talis, etiamsi à maledictione haberetur eximius, Deo ex justitia satisfacere, nosque in libertatem vendicare nequeat, ob infinitam inter Deum læsum, & satisfacturum hominem, distantiam. Neque Deum solum esse, statuere conveniat, quod offensus hic placandusque, & remissio ab eodem sit impetranda. Nihil igitur in Christiana fide absurdum, sed rationi consentaneum, quod Messiam Theanthropum esse tradat. Et Veteris Testamenti sacræ Scripturæ id diserte testantur, solusque Isaias ad Messiæ descriptionem sufficit: *Ecce* ait cap. 7. *Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*, id est, nobiscum Deus, quod apertè magis cap. 9. exponit. *Parvulus*, inquit, *natus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen admirabilis consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis.* En hominem Deumq; nobis ab Isaia descriptum. Confirmat hæc eadem Jeremias cap. 23. *Dicit Dominus: Suscitabo David germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium in terra. In diebus illis salvabitur Iuda & Israel habitabit confidenter & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* vel, ut ex Hæbræo legitur, *Iehova iustitia nostra.*

No-

Nomen autem illud sacrosanctum *Iehova* non nisi soli Deo competit. Nativitas ex David hominem, Jehova Deum ostendit : Huc quoque illud facit Davidicum psalmi 44 (seu ut Hæbræi, uno semper psalmo, post decimum, posteriores , psalm. 45) *Audi filia & vide, & concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.* Quod, sive ad Deiparam , sive ad Ecclesiam Christi referas, Christi incarnationem Deitatemque exponit. Unde si in tanta Scripturarum luce Judæi, tanquam in sole, caligent, noctuæ sunt.

X Ex eadem quod ad mortem Messias destinatus fuerit clarè evincitur.

Jam de officio redemptionis per passionem mortemque implendo, non minus clarè Scriptura loquitur. Et Isaias quidem cap. 53. ad paschalem agnum, figuram Messiæ, alludendo. *Vulneratus, est*, inquit, *propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra. Posuit in eo Dominus iniquitates omnium nostrûm. Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur & quasi agnus coram tondente se obmutescet.* Quod testimonium cum magni ultimique Judæorum Prophetæ designatione convenit : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: & cum alia Isaiæ visione c. 63. *Quis est iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ?*

Ego

Ego qui loquor justitiam & propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus. Clarissimè omnium Daniel, & mortem Christi, & tempus mortis disignat. Postquam enim Gabriel docuisset 70 hebdomades abbreviatas, ut *ungatur sanctus sanctorum*, subjicit: *post hebdomades 62 occidetur Christus, & non erit populus eius, qui eum negaturus est. Et civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum* Duce *venturo, & finis eius vastitas.* Quas annorum hebdomadas, si à prædictione Gabrielis censeamus, cum Christi à Judæis in cruce interempti tempore conveniunt, probatissimo plerorumque calculo. Davidicumque carmen, cum tali morte *Regis Iudæorum* (quem titulum præfixerunt cruci) *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit à ligno.* Et Judæorum vetus scriptor Josephus, in sua de Antiquitatibus Judaicis historia, non obscurè in expositione mortis Christi, homine aliquid majus agnoscit. *Fuit*, inquit, *Iesus vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere. Erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt, plurimosque, tam de Iudæis, quam de gentibus sectatores habuit. Christus hic erat: quem accusatum à nostræ gentis principibus Pilatus cum addixisset Cruci: nihilominus*

cap. 9. *v.* 24. 26.

Psal. 95.

lib. 18. *cap.* 4.

nus non destiterunt eum diligere, qui ab innitio cœperant. Apparuit enim eis tertia die vivus; ita, ut divinitus de eo vates hoc, & alia multa, prædixerunt, & usque in hodiernum diem Christianorum genus ab hoc denominatum, non deficit. Ex quibus manifesta consecutio est, & debuisse Messiam juxta Prophetarum vaticinia interfici, & reipsâ jam interfectum. Quâ in re mirum est, non observare Judæos, ita depredicatam à Davide Dei misericordiam, amoremque in humanum genus, quo certè major excogitari non potuit; cùm & assumptum hominem ad divinam transferret dignitatem, & illius morte, mortem omnium redimeret.

Neque hic quicquam indignum tantâ personâ perpetratum, sed gloriosum atque immortale, id fuit, ita pro aliis sese offerentis, facinus. Et si laudabile Machabæis erat, pro legibus patriis fortiter, ac tanquam nocentes interimi, quantò laudabilius, pro omnium sese mortalium salute offerre ad mortem etiam ignominiosissam, Christo fuit? Clamant Judæi seductorem sceleratum fuisse Christum. Idem adversus Machabæos gentiles obtendebant: an iccirco verum? Ipse Pilatus de Christo professus est: *non invenire se causam mortis, ideoque manus*

lavit. Magna pars Judæorum innocentem sensit, adhæsitque, &, nisi autores mortis occultassent, resurrectionem ipsius (quam Josephus tamen, ut supra vidimus agnoscit) adhæsissent universi. Certè magna deinde pars præsentium Petri prædicationem secuta est, totusque orbis Apostolorum doctrinam, miraculis firmatam, diversissimis locis hausit: ut mirum sit Judæos, tot præ gentilibus instructos vet. testamenti oraculis, minus tamen adeò indubitatæ fidei argumentis cedere.

XI Nativitatis Messiæ locus tẽpusque convenit. *Mich. 5.*

An ignorare possunt, Judæos fuisse, qui Herodi tribusque Magis natalem Christi locum indagantibus ex Michæa Propheta indicarunt, his ex verbis: *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda, ex te enim mihi ingredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.* Unde cognitum & in Bethlehem nasciturum, & hominem Deumque futurum, ideóque & thus illi à Magis oblatum est. Denique quanto pondere verborum Jacob in suo, ab hac vita, excessu Judæos de hac veritate instruxit: *Non auferetur* inquit, *sceptrum de Iuda & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit exspectatio gentium, ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem fili mi, asinam suam,* (quibus Jerosolymam Christus, post excitatum Lazarum, trium-

Gen. 49. v. 10.

phans

phans subiit) *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ* (moriens in cruce) *pallium suum.* Ubi nunc Rex regnumque Judæorum in orbe uspiam est? Messiam igitur juxta hanc prophetiam venisse necesse est. Et quis ille, præter Christum? Certè jam tum post illius adventum Herodes Ascalonita ex stirpe Idumæa, & quidem sub Romanorum suprema autoritate, Judæis, sceptro à gente translato, imperare cœpit. Eodem verò seculo annis 30 & aliquot, à morte Christi, per Titum Vespasianum Hierosolyma cum templo prorsus eversa est; occisisque plusquam XI centenis millibus, tempore paschali (quo Christum occiderant) urbi inclusis, reliquiæ Hebræorum toto orbe sparsæ; ad tam manifestas Dei pœnas, & tot seculorum exilium, nondum resipiscunt.

XII
Christus Messias noster verus Rex Iudæorũ sed regnũ à resurrectione auspicaturus.

Sed obtendunt Judæi Messiam sese exspectare Regem, qui videlicet regat populum Israel. Et nos Regem esse sentimus; sed *cujus regnum non sit de hoc mundo.* Verùm qui regat populum suum in æternum. Hoc ipsi, vel ignorantes admiserunt, quando passi sunt sub hoc titulo illum crucifigi : IESVS *Nazarenus Rex Iudæorum.* Et talem David suis in psalmis agnovit : dum cecinit : *Attollite portas principes vestras, elevamini*

Psal. 23. vel 24. *portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum* (quas Judæi olim operantem viderunt) *ipse est Rex gloriæ?* Exhibuerat se jam ante etiam Christus Regem Judæorum in terris, quando suscitato Lazaro Jerusalem in asino triumphans, per ramos olivarum, & substratas ab eis vestes, lætasque acclamationes introductus est, juxta Zachariæ de Messia cap. 9. vaticinium *Exulta*, ait, *filia Sion, jubila filia Ierusalem. Ecce Rex tuus veniet tibi iustus & Salvator, ipse pauper ascendens super asinam, & super pullum filium Asinæ.*

Zach. 9. v. 9

En duo singularia Regis Judæorum signa: paupertas, & ingressus in urbem Sion, cum Asina eiusque pullo, quæ planè Christum Jesum designant. Idem tamen ingenti multitudine redemptorum ex lymbo Patrum cœlum à Davide subire triumphator prævisus est. *Currus*, inquit, *Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis, in Sinai in sancto. Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.* Alludit huc etiam Zacharias capite ante citato. *Tu quoque in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Quæ universa per historiam nostram Evangelicam de Christo, & lucem acceperunt, & impleta sunt. ut quemadmodum Judæi, aut etiam

Psal. 67. vel 68.

etiam Mahumetani, qui veteris teſtamenti libros ſcripturamque ac Prophetias agnoſcunt, excuſari cum ratione queant, non poſſim aſſequi. Præſertim cum tot ſuæ divinitatis, argumentis, editisq; ſupra naturam miraculis illuſtris Chriſtus emineat, ut non tantùm Mahumetum, ſed omnes veterum Prophetarum in operatione virtutes longè ſuperet. Quas cum & inſtituti ab eo Apoſtoli, & plures ex eorum ſucceſſoribus omni ætate, hodiedum quoque, admirandis operum ſupernaturalium effectibus æquent; inter Judæos verò, Mahumetanos, omneſque Acatholicos, nemo inveniatur jam à mille ſexcentis annis Propheta amplius, olim ſemper conceſſus, vel miraculorum patrator, qui vel cani cœco oculos reſtituere queat: manifeſta omnino Chriſti virtus fideſque, ceterorum verò error vanitaſque inexcuſabilis eluceſſit. Quocirca neminem illorum, qui quidem veteris cognitione legis ſufficienter imbutus eſt, per invincibilem reor ignorantiam excuſari poſſe. Et adducta ſuperius argumenta tam valida arbitror, ut quemvis, non præoccupatum affectibus perverſis, animum his expugnari neceſſe ſit.

Illud quidem fatendum eſt, tam abſurdis mendaciis fabuloſisque commendis Chriſtianam à Judæis ac Mahometanis diſcipli-

nam deformari, suisque illos in precibus tot hanc execrationibus detestari; ut horrorem rudioribus ingerant. Sed has ignorare fraudes diu non possunt, qui Christianorum legem vitamque familiariter inspiciunt, & hæc longè abesse deprehendunt; ut ab ignorantia salutis patrocinium vix reperiant.

XIII. SS. Trinitatis mysterium in veteri lege recōditum aperitur.

Trinitatis mysterium, quod utraque gens ignorat, facilius, admisso semel Theanthropo Messia, persuadetur; neque enim eadem persona in Deitate, & mittens, & missa esse potest. Tum deinde summum perfectissimumque bonum, excludere non potest bonum illud, quod in amore mutuo consistit, quem divinum esse Spiritum sentimus. Et hoc mysterium in ipso satis Genesis initio continetur: ubi legitur. *Bereschith Bara Elohim*, hoc est: *in principio creavit Deus*. ubi *Elohim* in plurali idem est quod *Dii*. nam in singulari *Eloah* Deus est. *creavit*, quod est *Bara*, tamen unitatem actionis, adeoque & voluntatis, & naturæ in *Diis*, hoc est, personis pluribus, indicat. Unde sequitur: *faciamus hominem*, ad actionis rursum in pluribus unitatem ostendendam: & *Spiritus Domini* (utique ad distinctionem rursus indicandam) *ferebatur super aquas*. Vox etiam *Bara* unica, ut hebraicè scribitur (ברא) tribus constat litteris, in quibus *Aleph*, ut Alphabeti

Princi-

Principium est *patrem* : *Beth*, ut altera in eodem litera est, *filium* : *Resch*, inter utramque posita, *Spiritum S.* designat. Præterquam quod *Ab*, vel *Abba* patrem, *Ben* filium, *Ruach* Spiritum significet.

Est prorsus admirabile ad hujus mysterii significationem, quod verba omnia tribus constent inter se distinctis literis, uno in verbo identificatis; ut si Deus, in lingua hac sancta, verbis singulis trinunam majestatem suam impressam voluerit. In Jehova nomine, unicam ajunt apponi He literam, ad naturæ humanæ conjunctionem insinuandam. Illud quoque Isaiæ 2. *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, veteres Rabbini exposuêre, S. Pater, S. Filius, S. Spiritus. Plura in hanc rem non congero, quod qui Christi disciplinam admissurus est, disertis hoc mysterium verbis ab eodem sit accepturus. Deus qui aperit oculos cœcorum, ut lumen cœli videant, cæcam hanc gentem ad salutem illustrare dignetur, quam inter Christianos divisis tam facilem offert volenti, quam difficilem recusanti.

Galat. lib. 2. c. 1.

CAPUT XXIII.

Quibus præcipuè signis in tanta religionum Christi varietate orthodoxi ab heterodoxis separentur. Et, num hi excusabiles esse possint?

NOvatores in studio religionis superiori hodiernoque seculo emersêre plures, ex quibus singuli, optimam se tutissimamque ad salutem reperisse viam gloriantur. Quos tamen inter se diffidentes, pugnantibusque invicem Ecclesijs divisos, aut errare omnes necesse est, aut non nisi in una partium veritatem consectari.

I. Religionū novitas ex nova scripturæ S. interpretatiōe nascitur.

Introducta *religionis* (cujus omnes Reformatores videri cupiunt) *novitas*, meritò omnes suspectos reddit. Nec satis tuetur, prætensa scripturæ S. vel divini Spiritus doctrina: cum ad hanc omnes hæretici provocent, certi, non aliâ se persuasione assensum vulgi obtenturos esse, nemo religione Deum alia, quàm ab ipso profecta, sciat esse colendum. Controversia igitur inter diffidentes & Christanos tota in eo consistit. Quænam partium rectius veriusque sacram Scripturam, aut Dei verbum, eiusque interpretationem sanam, assequatur? In qua disceptatione hoc indubitatum est, eo sensu sententia-

que

que rectius sacram scripturam intelligi, verbique divini veritatem exponi, quâ illud sententiâ Apostoli exposuerunt. Qui cum vel sua, vel aliorum scripta prædicando interpretati sunt, eodem divino eos moderante spiritu sunt locuti. Unde hæc denique quæstio nascitur. Pluśne illis credendum sit, qui, vel eodem cum Apostolis seculo, vel propinquo certè, non scripturam tantùm sacram, sed & interpretationem earundem, per se aliosve Majores excepêre; quàm qui nova hodie, ac dissentiente à primis Patribus religionis sententia, eandem interpretantur? Rursum, & alia emergit quæstio: An non aliud ab ore prædicantium Apostolorum Dei verbum, clariusque ac disertius, pro intellectu rerum credendarum, allatum sit, quàm quod scripto est comprehensum?

II. Apostoli quiq; illos proximè consecuti sunt, utiq; verius illam, quã moderni Novatores, sed nõ sine traditio Dei verbo, exposuerunt.

Ad utramque quæstionem prompta Catholicorum responsio. plus utique Apostolorum auditoribus, atque ab his denique instructis, adeoque proximis Christo primorum seculorum Patribus in S. Scripturæ interpretatione credendum esse; cum hæc ab Apostolorum excepta ore per secula facilè aliquot traditione excipi, propagarique potuerit. Neque enim (unde altera quæstio expeditur) fieri potuisse, quin Apostoli fusius, disertuisque, atq; ad vulgi captum explicatius, doctrinam Christi prædicatione, quàm scri-

pto, aut ipsi, aut Evangelistæ proposuerint.

Ita in actibus Apostolorum omnes prædicasse Dei verbum cap. 2. leguntur, & tamen solius Petri, nec illa, nisi per summa tantum rerum capita, oratio proponitur. Plura igitur eaque pleniore verborum explicatione auditores excepêre, quàm scripto exposita sunt. & hæ Apostolorum traditiones auribus animisque credentium exceptæ, ad scripturas deinde interpretatione certa exponendas utique valuêre, & cum domi, tum pro concionibus à Parentibus ad filios à doctoribus ad auditores posterosque transiêre. Quas, ut olim repudiare, suoque magis ingenio, in scripturarum expositione niti absurdum fuit, hæresesque repentè in Ecclesiam introduxit; ita & hoc tempore Patrum antiquorum scripta, eiusmodi traditiones complexa, aspernari protervum sit. Qui licet in oriente & occidente, perque diversa sparsi secula, tanta consensione tamen sententiarum de præcipuis fidei articulis differuêre.; ut hæc, nisi divino moderante spiritu fieri potuisse nemo facilè senserit: impudensque prorsus sit, qui hac ætate primis illis Apostolicæ sententiæ interpretibus ausit contraire. Et sanè hanc plerique huius temporis Acatholicorum exprobationem horrent. Tunc melius illa Ignatio, Irenæo, Tertulliano, Origine, Chrysostomo, Hieronymo, Ambrosio, &

Au-

Augustino, viris adeo sanctis doctisque, & tantò Apostolis propioribus sis assecutus? Illine, ubi in fide dissentitis, hæretici; tu orthodoxus censeri poteris? An forsan convenire te cum iisdem, & Luthero tuo, aut Calvino existimas? Adi Centuriatores, præcipuos tuæ Ecclesiæ veterum Patrum censores; hi jam tum primis seculis aliam Patrum, aliam hujus temporis Acatholicorum doctrinam agnoscunt & exhibent, ut necessario concludendum sit, aut hos, aut illos in errore versari. Hanc vero doctrinam fidei per sequentia deinde propagatam secula, atque in Romano-Catholica Ecclesia conservatam, licet innumeris scriptorum monumentis incompertum esset, tamen abundè ex hæresibus quovis seculo emergentibus constaret, quæ ex alia non prodierunt Ecclesia, nec contra aliam certatim pugnarunt. Romani hostes omnium, Romanorum hostes omnes.

III Prisci Patres & Novatores dissentiunt.

Vide 3 part. Meditatæ Concordiæ ubi hæc declarantur.

Nimirum adeò conspicua semper orthodoxa fuit Ecclesia, ut eam intueri ex Christianis omnes: adeoque notæ hæreses, ut eas nemo non posset agnoscere. *Quo manifesto indicio*, ait contra faustum Augustinus, *teneho Ecclesiam Christi?* Et subjungit *Dominus providens, ait, non potest civitas abscondi supra montem posita. Quæ utique sedes exaltata est sanctificatio nostra.*

IV Orthodoxa Ecclesia ab heterodoxa facillimè discernitur.

lib. 13. c. 13.

Mat. 7. Hier. 17.

Mat. 24.

Vt non audiantur illi, qui ad Religionum scissuram traducunt dicentes: Ecce hic est Christus ecce illic. Partes enim ostendunt: *cum illa civitas supra montem sit. Quem montem? nisi eum, qui secundum Prophetiam*

Dan. 2.

Danielis ex parvulo lapide crevit & factus est mons magnus, & implevit universam terram. Non fallit nos Christus *Prædicabitur hoc Evangelium in universo mundo, & tunc veniet consumatio.* Quod experientia didicimus hactenus factum, & missos à Romanis Prædicatores, atque Episcopos singulis seculis, alias aliasque gentes religione ac fide à se tradita imbuisse. Ita, ut notiora proprioraque nobis tangam, seculo primo & secundo conversi per Eucharium à Petro missum Treviri, per Maternum Colontenses & Tungri, per Dionysium Areopagitam & Clementem Galli. Seculo 3 Anglia fidem accepit, per Damianum & Fugatium ab Eleutherio Pontifice ad se destinatos. seculo quarto Constantinus Romæ à Silvestro baptizatus cum Matre Helena latè per occidentem orientemque Romanam fidem propagarunt. Seculo quinto Chlodoveus & gens Francorum à Vedasto Remigioque ad fidem Romanam transijt. Seculo sexto Saxones, qui Angliâ occupatâ, gentilismum reduxerant, per Gregorium Papam

Ab illa enim fides toto orbe propagata est.

Au-

guſtino Epiſcopo ſubmiſſo, fidem acceperunt. Seculo ſeptimo Friſij à D. Wilebrodo, Francones à S. Kiliano, Roma deſtinante converſi ſunt. Seculo octavo S. Bonifacius à Gregorio II Pontifice miſſus Haſſos vicinaſque gentes veritatem docuit. Seculo IX Poloni, Dani, Moravi aliique Romanæ Eccleſiæ ſociati. Seculo X Bohemi, XI Hungari ſub S. Stephano Deiparæ & Romanæ ſedi auctorati. Seculo XII Adrianus poſtea Pontifex ad Norvegorum converſionem incubuit. Seculo XIII Tartari per Dominicanos Patres à Pontifice miſſos Romanis ſacris addicti ſunt. Et quid pluribus? Novimus qui qualesque, & unde, ad indos, Japones, Chinas, & ſuperiori & hoc ſeculo deſtinati ſint, & qua religione gentes imbuti.

Hi eandem omnes fidem primùm acceperunt, quàm hodiedum tenemus. Neque alia præter hanc Chriſti religio inveniri poteſt, aut Evangelium toto orbe propagatum, in quod illa Chriſti prædictio cadat. Quam fidem ſi Germani, cum aris, ſacrificiis, imaginibus, confeſſione, defunctorum memoria unius ſpeciei communione, cælibatu Sacerdotum, aliiſque obſervationibus Romanæ Eccleſiæ erroris damnet nemo Majorum orthodoxa religione, ſed hæreſi imbutus eſt, ideoque ante Lutherum

Ch

Christiani omnes in Germania perierunt. Quod qui afferat, tam amens hactenus mihi nemo occurrit.

V
Orthodoxam hæretici ipsi coguntur agnoscere cum vocant Catholicã.

Hæc, cum ignorare nequeant, Catholicæ Ecclesiæ nomen usurpare non audent; neque in publicis unquam literis, ubi distinctione Ecclesiarum opus est, aliis quàm Romanis tribuunt. Et quamvis frustra Prædicantes Theologique heterodoxi obmurmurent, quod se consueta hæreticorum nota insigniri ac damnari videant; tamen cum agnosci aliter nequeant, suæ sectæ nomine, hoc est Lutheranorum, Zwinglianorum; Calvinistarum, Arminianorum &c contenti esse coguntur, aut certe aliam Protestantium, Reformatorum, Puritanorum, Hugonottarum, vel his similem nuncupationem; ipsi etiam inter se; ob discrimen admittere.

Quâ re manifestè se esse sectarios; Romanos verò orthodoxos profitentur, ut si aliud nullum esset ad veritatem explorandum argumentum, hoc unicum solumque sufficeret; quo Deus in extremo judicij die, pertinaciter in errore obstinatis dicat; *ex tuo te ore judico, serve nequam.* Non ignorabas solos esse Catholicos incorruptæ fidei possessores; nec te fugiebat, reliquos ab his digressos sectariorum in numero habendos, quâ igitur mente ac fronte, hos, quos ore ac nomi-

nomine orthodoxos profeſſus es, animo ac voluntate non es ſecutus? Nimirum libertatis tuæ, quàm veritatis meæ ſectator eſſe maluiſti. Expende quid ad hoc argumentum reſponſurus ſis, mi homo in tempore, ne ſerius cogites in æternitate.

VI
Vndè nullius articuli fidei, quàm quæ ſit Eccleſia Catholica facilior cognitio eſt.

Rem dicam admirandam, ſed tamen veriſſimam. Vide, an fallar. Non eſt in orbe Chriſtianorum alicuius fidei articuli cognitio facilior, quàm ubi, & quæ vera ſit Eccleſia? Hæc enim tot ſignis & argumentis veritatis in omnium ſeſe oculos animoſque infert; ut latere, niſi volentem, non poſſit, quando, ut dixi, ſolo ſeſe nomine omnibus etiam inimicis manifeſtat. ſemper aperta, ſemper una, ſemper toto orbe fuſa, ſemper in ſua doctrina ſancta, conſtansque, omnium temporum locorumque, hoc eſt, ut uno omnia complectar nomine, *Catholica*. Breviter Novatianum erudit Pacianus Epiſcopus: *Ne æſtues frater, Chriſtianus mihi nomen eſt, Catholicus cognomen: illud me nuncupat, iſtud oſtendit: hoc probor, inde ſignificor.* Hinc ad noſcendos olim orthodoxos, disquiſitum ante omnia, quorum doctrina eſſet Catholica? Sic Auguſtinus de collatione Carthaginenſi *Prima*, ait, *contentio facta eſt de nomine Catholico, Orthodoxis*

Epiſt. 1. ad Sempron.

In breviculo collat. Collat. 3. dies.

pro-

probantibus se Catholicos meritò esse, & vocari; quia Ecclesia toto orbe diffusæ ipsi, non Donatistæ, communicarent. Ipsum hoc nomen, tanquam veritatis insigne, semper ab heterodoxis ambitum, nunquam obtentum est.. Unde idem Augustinus: *Christianorum* inquit *cùm sint hæreses plures atque omnes se Catholicos dici velint.. Vna est Catholica, cui hæreses aliæ diversæ nomina imponunt, cùm ipsæ singulæ propriis vocabulis, quæ negare non audent, appellentur.* Ex hoc ergo hæreticorum ambitu huius nominis, & conatu avertendi hoc ipsum ab orthodoxis, per afficta alia nomina, cum Papistas Romanensesque frustra Catholicos dici postulent, clarè; vel ex hoc heterodoxorum studio, patet hoc nomine veram nobis designari religionem. Quod cum superioribus annis, in generalibus Comitiis Europæ Monasteriensibus, solum Romanis tributum fuerit, reliquique suarum sectarum nomina excutere non potuerint, sat manifesta confessione eorum tenemus, qui heterodoxi, aut orthodoxi censendi sint. Ita Gratianus olim, Valentinianus, & Theodosius Imperatores Catholicorum nomen Romanæ fidei homines tantùm amplecti jubebant. Et Ephiphanius illam, quæ ex successione Petri erat, Ecclesiam

De utilit. cred. c. 7. tom. 6.

Epiph. l. 2. hæsi 68.

Catho-

Catholicam dictam affirmat. Quocirca Augustinus citra controversiam statuit. *Tenenda est nobis Christiana religio, & eius Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est, & Catholica nominatur, non solum à suis, sed etiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolintve, ipsi quoque hæretici & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, nihil aliud, quàm Catholicam vocant, non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo universo orbe nuncupatur.*

De vera relig. tom. 1. c. 7.

Crederes Augustinum nostris, aut nos Augustini vivere temporibus, tanta morum in seculis diversissimis consensio est. neque hæc unquam consuetudo mutabitur. quia Deus facillimæ rei & notissimæ universis notionem veræ religionis ita affixam esse voluit; ut inexcusabiles, vel hoc titulo hæretici sint, & paucissimi illorum futuri sint, qui errorem suum, coram supremo Judice per ignorantiam invincibilem possint excusare. Unde ulterius consequitur, paucos admodum ex hæreticis salutem consecuturos. Sufficiens enim illis lumen oblatum est, ad errorem evitandum.

VII Rursum nihil facilius cognitu est, quàm qui sint hæretici.

Quid verò excusationis obtendere poterunt, si in altera illis Pharo lumen æquè clarum omniumque Christianorum oculis expositum esse demonstrem. Hoc nimirum est; quod hæretici tam manifestis notis prodantur, ut vix ul-

lum ratione utentem, neque suis excœcatum affectibus latere queant. Ostendi hoc alibi, in Augustino meo, Controversiarum ex S. Scriptura Decisore, nunc paucis idem exequar.

In Orthodoxa Eccl. August. c. 2.

Hæresis omnis ipso se nomine quoque manifestum facit, cum sit divisio, seu separatio quorundam hominum, qui à corpore Christi, hoc est, ejus Ecclesia separantur. Ecclesia Christi perpetua est, quia *fundata est super firmam petram & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, perpetuaque in eadem viguit divini verbi prædicatio, & Sacramentorum Christi administratio, ut ipsimet loquuntur Acatholici, & has ab ea notas inseparabiles esse tradunt. Per has igitur & manifesta semper fuit, & agnita, à tempore primo suæ institutionis. Hæresis autem omnis, illâ jam existente, atque etiam obluctante, cum insigni doloris & repugnantiæ sensu, nata est; non secus ac corpus obluctatur, dum membrum aliquod resecatur, aut avellitur. Unde latere per totam Ecclesiam hujus separatio non potest, quæ fit per doctrinam novam atque ab Ecclesiæ legibus, & pristino religionis instituto alienam. Ex ipso Ecclesiæ gremio emergunt, pugnantque contra matrem suam, à qua educati sunt, ingrati filii. De his observandis cavendisque Apostoli nos monu-

Obfervatu enim facillimũ, qui & à quibus exierint diffidentes.

monuerunt. *In vobis*, ait *Petrus*, *erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis.* Et Paulus Ephesinam Ecclesiam monet discessurus: *Attendite vobis & universo gregi*: additque causam; quia *ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* Et Joannes: *Ex nobis*, inquit, *prodierunt; sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.*

1. Pet. 2.
Act. 20. 30.
1. Joan. 2.

Jam quis unquam Lutheranorum, aut Calvinistarum, tam hebes, aut amens repertus est, qui nesciat aut neget Lutherum ac Calvinum in Catholica & Romana educatum Ecclesia, & illum quidem religiosum, hunc clericum ab eadem prodiisse, doctrinæ ac vitæ novitate ab ejusdem sese institutis separasse, eandemque pro viribus oppugnasse? Quicunque verò tales agnoscit, manifestè videt separationis atque hæresis autores esse. Nisi tam væcors sit, ut Catholicos, aut Romanum Pontificem cum suis inter Lutheranos vel Calvinistas vixisse dicat; & ab his discessisse. De quibus neminem, ante hos suos autores, vel somniasse crediderim. Hæresin igitur illi tam apertam auspicati sunt; & religionis, ante incognitæ, novitatem; ut nullus sectariorum huius exordia, à superiori ducta seculo, varietatēq; ac progressus queat ignorare;

Similemque nullam, ab Apostolorum temporibus usque, producere Ecclesiam; nisi manifestè quoque hæreticam, & jam olim damnatam. Cum tamen Catholici, quam modò, sub uno capite, toto orbe demonstrant Ecclesiam, hanc ad Petrum usque, successione, atque universalitate continuata producant, à qua hæretici omnes egressi, & contra quam pugnarunt universi. Adeò, ut nulla huic Romanæ similis, nulla alia perpetua, ex qua hæretici ceteri digressi, & cujus instituta oppugnarint, queat reperiri. Quæ si quis clariora ipso meridiano esse sole non videat, is videns volensque cæcutit. Nam inter sic pugnantes Ecclesias, aut has sectariorum, aut illam Catholicorum hæreticam pronuntiare necesse est.

VIII Hæretici facillimè, ex doctrina, & vita sua agnoscuntur.

Iterum hæretici ex vitæ morumque ac doctrinæ suæ libertate ac perversitate agnoscendi sunt, hanc enim licet simulata probitate ac virtutis specie semper obvelent, (neque enim professa malitia gratiam meretur) tamen latere diu non potest, quod violenter tegitur. Ipse nos Christus huc jubet animum intendere: *Attendite*, ait, *à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoscetis eos. Non enim potest arbor mala bonos fructus facere.* Primò igitur expendenda illorum doctrina: num quid veneni sub melle lateat, & sub ovina pelle lupinum. Lutherus præcipuè, Calvi-

Mat. 7.

nus-

nusque jactabant, opprimi ſub jugo traditionum humanarum conſcientias, ac Dei verbum negligi, neque ſcripturam S. ut par eſt, Pontificios interpretari, ideò Apoſtolicam per ſe & primogeniam Chriſti Eccleſiam reductum iri. Nihil illam de auriculari confesſione, de caſtitatis votorum obligatione, de quadrageſimali jejunio, de miſſæ ſacrificio, de operum humanorum meritis cognitum tenuiſſe. Quin adeò hæc abhorrere à vero, ut cum omnia opera noſtra à concupiſcentia originali inquinata ſint, damnationem ex natura ſua mereantur; quæ tamen ſpeciali fide Chriſto credentibus non imputetur. Deſperatum eſſe de omni bono opere noſtro meritoque, qui neque libertatem retinuerimus à lapſu Adæ ad bonum, neque præcepta Dei implere poſſimus. totam in Chriſti operibus collocandam fiduciam. Indulgentias Papales ridiculas, uti & illud de purgatorio igne commentum, quod ad impinguandos Monachos Clerumque ditandum repertum ſit, quorum bona in meliorem uſum jure ſint convertenda: Hæc aliaque, & pro concionibus, & integris ſcriptorum voluminibus jactabant, ingenti multorum ſolatio, qui ab abſtinentia, votorum obligatione, confitendi onere, bonorum operum cura, verbi divini, ut credebant, autoritate abſolvebantur. Nec minori aviditate aliorum, inprimiſque Principum hæc excepta ſunt, qui bonis Eccleſiaſticorum, ac Monaſteriorum

latè sparsis inhiabant, persuasi in meliorem à se usum hæc adhibenda. *Sed probandi hi spiritus an ex Deo sint.* Nam si *ipse satanas transfigurat se in Angelum lucis, non est ergo magnum si ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiæ, quorũ finis erit secundũ opera ipsorũ.* Iure igitur hæc licet speciosa, novitate suspecti esse debuêre.

1. Ioh. 4.

2. Cor. 11.

IX. Lutheri & aliorum sectariorũ temeritas in scripturis S. interpretandis quot repentè hæresesin- vexerit.

Et quidẽ incredibile erat, Lutherum hominem disertum magis audacemq;, quã solida eruditione instructũ, quiq; Latio vix sermone cum peritis didicisset loqui, plus in S. literis videre, quã omnes istiꝰ ætatis viri toto orbe doctissimi, quorũ magna pars in Trid. Concilio, adversus eundẽ, ex S. Literis pronuntiavit sententiam. Igitur ne errare magis universos, & longè exercitatissimos, quàm unum apostatã à religione & Ecclesia Monachum quisquam sibi persuadeat? At sectatores habuit non indoctos, idemq; secum tradentes. Quos illos? Caroloſtadium, Oecolampadium, Zwingliũ, Melanchthonem, Brentium, Pelargum, Calvinum deniq;. Præclaros enimvero, qui ut Sampsonis vulpes, caudis colligati, capitibus in diversa planè abibant, ut nemo demum esset, qui in omnibus rerum credendarũ articulis idem cum ipso sentiret, nec ipse quidem fidissimus omnium Achates, & Augustanæ Confessionis fabricator Melachthon. Adeò spiritus ille vertiginosus omnium animos occupârat. Et hunc quisquam à Deo esse contendat, nisi ab eodem spiritu agitatus? Carolstadius phantasta libris damnatis, ex Doctore Agricola, dice-

dicebat Adamo, & omnibus mandatum, *in sudore vultus tui vesceris pane tuo*. Zwinglius cum Oecolampadio Berengarii errore resuscitato Christi verba : *hoc est corpus meum*, non secus interpretabantur, quàm siquis de Christo picto idem pronuntiaret: *est* pro *significat* usurpando. Calvinus præsentem negabat in pane Eucharistico Christum; illum tamen, licet in cœlis tantum existentem, verè realiterque, mediante fide, à communicantibus suscipi tradebat. Brentius ut Luthero Christum sub pane præsentem sisteret, humanam Christi naturam, hypostasi divinæ junctam, ubique præsentem faciebat, juxta Pauli verba : *ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia*, Pelargus Anabaptistarum parens, omnes in adulta ætate, cum possent intelligere mysteria fidei ac credere, rebaptizandos statuebat, juxta Christi dictum: *nisi quis crediderit, & baptizatus fuerit: salvus esse non potest*. Deinde Munzero sibi in Thuringia juncto, homine docto callidoque, simulatâ sanctitate *omnia* voluit esse Christianis *communia*, etiam uxores. Cumque ex S. Scriptura ægrè sua tueretur, fingebat raptus, & inspirationes Dei, atque Angelorum colloquia. Quem plures deinde imitati per interpretationem scriptutæ stupendis erroribus orbem implevêre. Aliqui veterem legem de pluribus uxoribus permissis reduxêre, qua in re exemplũ dedit ridiculũ Leidensis quidã Monasterii, ex Sartore Rex Sion novus, qui XV Concubinas, comiti Harlemiensi

Eph. 4.

x Anabaptistarum impura factio.

Reginæ suæ junxit,nec ijs quidem acquiescẽs, in alienos thalamos transibat: gratiæq; locum interpretabatur à Dei Propheta sic amari. Alij ex illo Joannis; *Filioli novißima hora est*,ex occasione confusionis tantæ in fide, publicè hanc jam advenisse prædicabant. Ita Georgius Blaurock anno 1525 in Helvetia,Michael Stifelius 1533 in Saxonia,Joannes Campanus Lutheri etiam discipulus in Iulia, haud procul à Rura Masecæ tanta eodem tempore asseveratione prædicabant;ut certam se eius revelationem à Deo habere affirmarent,credulosque mortales ab agricultura opificiisque abstraherent,juberentq; frui partis. Et Campanus quidem eò demum insaniæ provectus est, ut triginta adhuc dies superesse diceret, quibus elapsis Archangelus Michael cum splendidis affuturus esset curribus,omnes,ut Eliam olim,in cœlum educturus;interea collatis in commune opibus læti hilaresque has dierum reliquias absumerent.cui operi,ut pronos haberet omnes,ipse sese Ducem præstitit. Ita per mẽsem integrum stolidi homines vixere hilaria. Quo lapso,cum pleriq; res suas,aut decoxissent,aut aliis,minus Prophetæ credulis,vendidissent,neq; extremus dies,aut quadrigæ cœlestes apparerent,Campano se subducente,longum post Bacchanalia,vivendum erat jejunium.Lindanus Ruræmundensis Episcopus,hæc literis,ut certa,mandavit ; cui factis hisce præsentes,atq; ipse adeò Campani hospes,notus fuit. Ille demum vinculis Juliæ

1.Ioan.2.

De fugien. idol.c. 10. & alibi. Remondus l.2. de ort. hær.c.16 n. 7.

Ducis

Ducis Joannis interceptus, poſt 26 annorum carcerem, ubi ſpem emendationis feciſſet, dimiſſus, libello edito *Pacis conſilium* cum palinodia anno 1573 vulgavit. Sed mox ad priſtinã relapſus amentiã varios, S. literarum prætextu, errores, ſparſit, multis adhærentibus, quos Campaniſtas dixêre.

Plura aliorum ex S. literis hauſta deliramẽta non tangam. Ipſe Lutherus, hanc, quam aperuerat interpretandi ſcripturas viam, non ſemper probabat: Cumq; revincere, ex his ſolis, diffidentes non poſſet, aut ad antiquã provocabat Eccleſiã, aut cæcos ſtolidoſq; eſſe, qui verbum Dei perverſo ſenſu affectuque diſtraherent, proclamabat. Quod cum illi Luthero regererent, mutuis ſeſe proſcriptionibus dãnabant. Jam quemvis ego mediũ harum partium, & minimè præoccupatum arbitrum ſciſcitor: æquiuſne ſit toti concilio Tridẽtino S. ſcripturam contra hos omnes interpretanti, vel etiam toti Eccleſiæ Catholicæ accedere? an alicui harum partium favere? Et cui harum ſi quidẽ velis, adhærebis? Verum ſe atq; infallibile ſequi Dei verbum, eiuſq; aſſequi Spiritũ clamant univerſi; & tamen pugnant invicem. Falluntur igitur ac fallunt hac probandi ratione omnes; quia nuſquam ſibi contradicit ſuprema veritas, nec pro principio ſumi poteſt, ex quo tam falſum, quam verum infertur. Et quiſquam tam amens reperiatur, qui hoc non capiat, aut tam perverſ9, qui nolit admittere? Cum nec ipſe Lutherus eidem contra

X
Lutherus ex ſola ſcriptura alias confutare nequit.

Anabaptistas potuerit insistere: nec ulla controversia inter ipsos etiam Acatholicos, nisi per Concilia Doctorum, aut supremi Magistratus finiri imperium: humanumque non sit, ne dicam prorsus stolidum; velle in religione ac salutis negotio plus unius capitis interpretationi, quàm totius Ecclesiæ decreto credere. Quod tamen qui Lutherum fecisse negat, is lunam negat in cœlo deficere, & Diabolum esse mendacem. Sed de his ad scripturam provocatoribus rursum erit inferius differendum, uti & de vano meritorum Christi prætexu, quo humanorum operum merita, curamque proscriptam cupiunt. Nunc quædam doctrinæ communioris capita impietatis plenissima expendenda sunt. Ex quibus desperata Acatholicorum perversitas elucescet. Dico *communioris*: quia quid singuli sentiant, nemo facilè assequetur.

XI Perversa doctrina Protestantium. *Cathes. Lutheranus Dieterici.*

Tradunt 1. Omnium hominum opera, etiam quæ vocantur bona, & fidelium sunt, originali concupiscentiæ vitio, ita esse inquinata; ut de natura sua mortifera sint, & damnationem æternam mereantur, fidelibus tamen ad reatum non imputentur. Hinc illis confessionem auricularem, jejunia, & cetera opera expiatoria inutilia esse, fidem solam sufficere, asserunt.

Tradunt 2. impossibile homini esse, etiam fideli, servare mandata Dei, tum ob causam jam dictam, tum quòd eâ perfectione,

quam

quam ex duplicis tabulæ exigit, nequeant impleri.

Tradunt 3. graviſſima etiam peccata, ut Davidis adulterium & homicidium fidelibus non imputari, ſolum eſſe incredulitatis vitium, quod eos damnare poſſit. Hoc ipſum tamen Calviniſtæ ajunt, non poſſe incurrere fideles; quia hi fide divina certi ſunt, ſe per merita Chriſti ſalvandos, atque ad vitam æternam deſtinatos eſſe. Lutherani hic ambigui ſunt, & in formula concordiæ non pauca contra Lutherum definiunt.

Cathechiſ. Heidelberg

Tradunt 4. vota caſtitatis & religionis non obligare quenquam, eò quod ſint de re impoſſibili, quæque in noſtra poteſtate non ſit, ideoque rectè Clerum & Monachos, quantumvis juratos, ad nuptias tranſire. Matrimonialem hunc ſtatum æquè ſanctum, quam virginalem haberi.

Tradunt 5 Neminem per quæcunque opera, etiam ſupernaturalis ac divinæ charitatis, ſanctificari; ſed per ſolam fidem effectivè, formaliter verò per juſtitiam Chriſti fide apprehenſam. Quæ cum una ſit in omnibus, eandem quoque omnium ſanctitatem coram Deo eſſe, parique in cœlo honore ac præmio decorandos, etiam Deiparam, (ut quæ aliâ, quàm Chriſti, juſtitiâ, apud Deum præmianda, non ornetur) coguntur admittere.

Tradunt 6 in ſalutis negotio, non habere hominem liberum; ſed arbitrium ſervile, quod divinæ gratiæ, ſi detur, nequeat

re-

resistere: in data quoque proficere gratia cooperando nequeat: ideoq; nec quicquam boni operis titulo mereri, cũ in quantum est bonum, Dei sit, non hominis opus: in quantum hominis, damnationẽ, non præmiũ mereatur.

Lutherani tamen hic iterum variant, Calvinistæ insistunt, utriq; errãt. Plura eorũ dogmata similia reperiet, qui Lutheranum Catechismum à Dieterico; Calvinisticum ab Ursino (maximè, apud illos, probatis autoribus) expositum, cum textu, excusserit. Nã his potissimum inhærent; cum Lutherus & Calvinus innumeris contradictionibus secum pugnent, quæ integris libris vulgatæ sunt. Adeoque sectariorum nemo sit, qui ausit, aut possit *jurare in verba Magistri.*

XII Horrendæ blasphemiæ, & impietas erga Deũ, hac doctrina cõditur, ac prodit abominandam hæresin.

Hæc verò doctrina an non manifestè blasphema, sacrilega, impia. contraque rationẽ humanam & Deum adeò pugnet, ut nemo gentilium aut atheorum paria unquã tradere auditus sit, judicent divinæ legis amatores. Ego si pro veritatis studio id paucis vestigem, adversarii ignoscent; qui non illorum confusionem, sed resipiscentiam specto.

Atheus, qui nullum sentit esse Deum, nihil quoque mali Deo attribuit; sed qui docent Deum præcipere homini impossibilia, præscribere leges, quæ nequeant ab eo servari, adimere libertatem, damnare æternum ob peccata, quæ vitare ex se, concessisq; etiam à Deo viribus, non potuit, hic Deum facit quovis tyranno crudeliorem, atque iniquiorem, imò sto-

ſtolidum fingit eſſe, qui hoc ordinet exigatq; quod nunquam queat impetrare. Ut ſiquis homini præciperet volatum, ſub interminatione horrendi carceris, extremique, ni faceret ſupplicii quod reipſa, impoſſibile mandatum non exequenti infligeret. Nec ſufficienter ſe ejuſmodi tyrannus purgaret, ſi diceret, parentem iſtius hominis Adamum fuiſſe Dædalũ & habuiſſe alas juſtitiæ, quas depoſuiſſet. Nam licet depoſitis alis, Filius jure careat; imperare tamen ei impoſſibilem volatum, & ob hunc neglectum punire, juxta leges juſtitiæ non poterit, idque pœnâ tam enormi ac horribili. Quod igitur iniquiſſimo nequeas homini, quomodo Deo juſtiſſimo tribuere poteris?

Quare, ſi aſſeras Deum illa, quæ agere poteſt juxta legem, poſſibilia imper-ſſe, iterũ præpoſterum, ſuiſq; in operibus ſibi repugnantem, Deum formas. Quomodo enim ipſe, qui ſummè bonus eſt, & *non vult mortem peccatoris*, & qui *odit omnes qui operantur iniquitatem*, poteſt velle, & imperare talia homini opera, quæ non ſunt ex ſua natura, niſi iniqua, & mortem peccanti adferunt, ſolo tantum Dei non imputantis beneficio innoxia. Aut enim neceſſarium eſt, ut nihil eorum, quæ homo agit, legi Dei, pro gratia & viribus obtemperans, præceptum illi eſſe dicas (quod in ſe contradictionem involvit) aut, ſi id aſſeras, præceptum eſſe peccatum. Id verò ſi neges, concedendum erit, opus ex natura bonum ab homine fieri, & à Deo fuiſſe imperatum. Quo ad-

admiſſo, plerique ſuperiores articuli evertentur. Nam admiſſo opere bono, & libertas, & meritum, & poſſibilitas implendi mandata admittetur.

Denique ſi ſtatuas, Deum homini fideli, ut Davidi vel Lutherano, aut Calviniſtæ adulterium & homicidium non imputare ad mortem; contra non fideli Romano, opus cultæ virginitatis, jejunij, aut eleemoſynæ pro ſcelere mortifero imputare. Sequitur ex Dei æſtimatione meretrices & homicidas Novatorum ſanctiores eſſe, quam ſint virgines Deo juratæ & inviolatæ Catholicorum: illos donandos cœlo, has devotas inferis victimas. Contrarium tamen videmus Dei judicium in Joannis Apocalypſi: ubi Virgines adſcriptæ cœlo, meretrices inferno ſunt. Et universè his ſceleratis dictum *regnum Dei non poſſidebunt*. Quocirca Deum Novatores omni magis Dæmone deteſtandum fingunt, qui & mendax ſit in verbo ſuo, quo operi bono mercedem, malo ſupplicium addixit: &, contra fas omne, ſceleratos ſola fide fretos, ſervet ad gloriam, innocentes ſola Proteſtantium fide deſtitutos damnet ad pœnam. Quis, obſecro, unquam gentilis, quis atheus, tam fœda, atque horrenda comminiſci potuit, quæ etiam pius calamus meminiſſe perhorreſcit? Et hæc Calviniſtæ quidem impietatis probra declinare non poſſunt, qui ſentiunt fideles ſuos etiam adulterando fidem non amittere, niſi forte auſint dicere, inter fideles ſuos

ſuos nullum adulterium, furem, aut homicidam reperiri. Tum exclamabimus. O ſanctum Calviniſmum! Lutherani tamen reponent forſitan, tales, ob mortiferum adulterij peccatum ſimul fidem amittere, ideoque hoc tanquam infidelibus imputari. Sed heus boni Lutherani. Si ob lethiferum ex natura ſua peccatum fide exciditis, ergo nemo veſtrûm infidelis eſt; quia omne opus etiam bonum, ex natura ſua lethaliter à concupiſcentia inquinatum eſt, aut igitur lethalis noxa fidem non aufert, aut ſi aufert, nullam poſſidetis. Utrumvis elegeritis, veſtrâ eſtis damnati ſententiâ. Hæc adverſus Deum ſtatuitis:

XIII Impietas erga homines, quâ Civilis & Eccleſiaſtica reſp. per hanc doctrinam evertitur.

Jam quantum hinc mali ad alenda hominum ſcelera, evertendasque reſp. derivetur, paucis tantum indigitemus. Etenim doctrina hæc vel deſperationem inducit omnis boni operis; vel confidentiam in quovis malo: quorum utrumq; mores, diſciplinam, ac remp. omnẽ evertit. Ex I quidem deſperare omnes de bono opere neceſſe eſt; tum quia fide tenent, mandata Dei impleri non poſſe: tum quia certi ſunt, quodvis opus, etiam quod bonum nuncupatur, originali vitiatum concupiſcentiâ, ex naturâ ſuâ mortem & damnationem mereri; fidelibus tantum ad reatum non imputari. Cum igitur impoſſibile homini ſit hanc exuere concupiſcentiam, adeoque vitare peccatum, neceſ-

necessariò de omni bono opere desperandum est.

2 Qui vident omni sese in opere peccare, sola tamen fide damnationem non incurrere, hos animosè confidenterq; peccare nihil vetat, imò ad hoc provocantur, cur enim vitent, quod vitari nequit? cur in opere discrimen faciant, cum mortiferum ex natura sit, quidquid agunt? cur ad illud perpetrandum timidi sint, quod credenti fidentique Christi meritis non imputatur? *Nullum*, ait Lutherus, *malum opus facit hominem malum, aut damnatum; sed incredulitas. Non enim personam bonam facit, nisi fides, nec malam, nisi incredulitas.* Quocirca idem Novatorum Apostolus liberè alibi ad fortiter peccandum, & sui quidem Evangelij collegam Melanchthonem, his verbis exhortatur: *Esto peccator, & pecca fortiter, sed fortius fide, & gaude in Christo, qui victor est peccati, mortis, & mundi.* subjicitq; haud multò post explicatissimè: *Ab hoc non avellet nos peccatum, etiamsi millies millies uno die fornicemur, & occidamus. Putas tam parvum esse pretium, & redemptionem pro peccatis nostris factam in tanto ac tali agno?* En confidentiam, ne dicam impudentiam, extremam in ista fide & meritorum Christi fiducia nixam. Verum quæ rationalis in mundo, etiam medios gentiles inter, creatura reperiri queat; cuius mens, ad tam irrationalem doctrinam, non obstupescat, atque animus non perhorrescat? Si ipse Diabolus incarnatus prodiret

Luth. tom 1. lat. Ien. de libert. Christi p. 440.

Tom 1. Ep. Edit. Cœlestini p. 345.

diret

diret in mundum ab inferis, an magis apertè & protervè peccatum suasurus esset? Et credamus quempiam excusari coram Deo; aut hominibus posse, qui eiusmodi hominis doctrinam, tanquam sanctam, & Ecclesiæ reformatricem admittat? qualis obsecro talium vita fidelium futura est, ubi talis recepta institutio est? Pudet, pudet ipsosmet, talem profiteri vitam, qualem admittunt doctrinam; ideoque & Lutherus ipse populum, & Prædicantes admonent, bonis instandum operibus, at quâ de causa? ne, inquiunt, scandalum detur. Ceterum pudet in vulgus profiteri, celantque speciosis ad bene operandum cohortationibus publicè; quod ob iustificationis suæ principia sentire coguntur; nullum ab ijs opus, nisi ex natura sua malum, quodque Deus ad salutem acceptet, perpetrari posse. Unde vetus illorum hymnodia à Luthero manavit: Es ist vmb unser thun verlohrn / verdienen nichts dan eytel Zorn. *De nostris operibus desperatum est, cum præter iram nil promeremur.* Si desperatum, fallitur Apostolus, dum ait: *omnia possum in eo, qui me confortat*: Si nil præter iram promeremur, fallit nos Petrus: *satagite*, ait ille, *per bona opera vocationem vestram certam facere.* Quis obsecro satagat, aut quis suadeat; iram Dei operando promereri? Malum profectò suadet, quisquis opus suadet, quo non possum, nisi iram promereri. At tale juxta Protestantes, sua ex natura est omne

Philip. 4.

2. Pet. 1.

opus nostrũ, etiam illud, quod dicimus bonũ. Ergo quisquis illud suadet, suadet malum.

At respondent; fidelibus non imputatur hæc malitia, sed per merita & justitiam Christi obvelatur, & vi huius acceptatur ad salutem. Ita ut salus tota non operibus, aut justitiæ nostræ, sed Christi solius tribuatur. Ecce imposturam. Quæro. Ecquid suadeatur fideli? an opus ipsum? at hoc naturâ malum. suadeatur autem bonum, quod contrarium malo est, ideoque incompossibile. Quid ergo suades? non imputari malitiam; aut imputari Christi justitiam? at hoc Dei est, non hominis. Si tamen Dei est, imputare bonum malo, aut habere vitium pro virtute. Ego hoc esse commentum in Lutheri primùm cerebro natum, chimærâ Philosophorum monstrosius, censeo. Et non erubescunt Adversarij humanæ rationi, Dei verbo, æternæque veritati, tam probrosè illudere? Suadetur impletio legis divinæ, jubemur implere mandatũ Dei, verbo facere bonum & vitare omne malum. Vetatur igitur, non præcipitur opus naturâ suâ malum. Cumque *bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu fit.* suadetur ac præcipitur, quod Protestantibus est impossibile? Frustra igitur consilia, mandata, leges, Prædicantes, Theologi? quando nemo eos aut sequi potest, aut tenetur; solius justitiæ Christi, si tãtum credat, umbra salvus. Et quid demum metuant illi Novatorum, qui sua etiam fide certi sunt, se nec fide, nec salute

sua

ſua poſſe excidere? Beatus enimvero fidelium populus, qualē hactenus ante Lutherum aut Calvinū univerſus orbis ignoravit, qui ſi millies fornicetur, ſalute tamen non poteſt excidere; cum Romani licet millies ſe contineant ac jejunent ſalutē tamen per hæc opera non queāt impetrare! Similiſne in toto orbe amētia unquam reperta eſt? Et quiſquam ſit, qui tam dilira credentibꝰ excuſationem reperiat?

XIV Malignitas erga Catholicos incredibilis qualis omnium ſemper hæreticorū fuit.

Accedit incredibilis hominum quorundam malignitas, quâ ut à Catholica Eccleſia ſuos avertant, fingunt ſtatuas iſtic, & creaturas, ſanctoſq;, tanquā Deum, adorari, Chriſti merita contemni, Antichriſtum pro ſupremo Eccleſiæ haberi capite, aliaq; id generis abominanda patrari. Quarū calumniarum, ſi fundamentum requiras, nil præter immane promunt odium. Quid enim in cultu ſanctorum aliud reperies, quàm imploratam illorum gratioſam apud Deum interceſſionem, opemque quâ Deo per eos conciliemur. Unde illud ſolenne *ora pro nobis*; qui uſq; adeò cultus eſſe divinus non poteſt; ut eidem ſuâ ex naturâ etiā repugnet. Ita, cùm omnem penè orationem cōcludat Eccleſia, *per Chriſtū Dominū noſtrū*, ac neget ullū, opus bonū, citra ipſius meritorū influxū dari, quomodo merita Chriſti aſpernatur? Si unū apud nos Antichriſtū eſſe dicāt: nos longè meliori fundamento ſcripturæ divinæ, omnes illorum verbi Præcones cum ſuis Anteſignanis tales eſſe cenſemus *Antichriſti*, ait, *Ioannes multi facti ſunt. Vnde ſcimus, quia noviſſima hora eſt ex*

1. Ioan. 2.

nobis prodierunt,sed non erant ex nobis. Quïnam isti, obsecro qui exierunt ? Romanusne Pontifex, an Lutherus, Calvinus, eorumque asseclæ ? an in re apertissima, divinatione nobis, incertisque sequelis opus est ?

Quid verò si vitam istorum spectemus Reformatorum; quæ in omnibus jure novæ religionis autoribus expendẽda est. Videndũ enim qui qualesque sint:quia,ut Paulus ait, *in novißimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, voluptatum amatores, magis quam Dei, habentes spiritum quidem pietatis, virtutem autem eius denegantes.* Vita Lutheri, Calvinique tot tantisque testibus, eorumque libido infamis, indomitaque superbia pervulgata est; ut eidem immorari non libeat; nec ignorare sectatores, ex ipsorummet scriptis(quæ multis iccirco, ab asseclis, locis castrantur) possunt. Exemplo è Lutheri libris prompto rem concludam: Sic ad Teutonici Ordinis DD. scribit, *Si conciliũ unum alterumque, quin centum & mille na concluderent; ut Ecclesiastici uxores ducerent. Ego potius unam, duas, aut tres meretrices eis indulgerem &c.* Ac rursum; *si concilium statueret, sub duabus communicandum speciebus; ego in aspernationem concilij, aut unam, aut nullam, damnato concilio, præscriberem.* Ex his de castitate, modestia, & amore veritatis, pretiosum hunc, ut appellant, Dei

1. Tim. 3.

XV Lutheri & Calvini mores, perditi.

Tom. 2. Alten. germ. p. 296. & Ien. p. 194.

Tom. 3. Alten. p. 467. & Ien. 274

Apo-

Apoſtolum facilius æſtimabis.

Admirabilis iſtius hominis & in loquendo fuit impudentia, & in viris etiam Principibus inſolentiſſimè perſtringendis arrogantia, ac protervia. Quas ſimilesque abominationes, cum plures ex eius tomis congeſſerint, mihi hiſce ſordibus non lubet chartam fœdare; uti nec eis, quæ ex Calvini ore ac calamo fluxêre. Cuius cum ob id gravatè nomen ſectatores eius ferant, mirum eſt doctrinam erroresque probari. Illud ſolum obteſtor literatos utriuſque ſectæ univerſos, ut conſiderent, quàm omnino nullum eis ad excuſationem erroris ab ignorantia præſidium, in tam manifeſtæ defectionis & hæreſis luce, ſuperfuturum ſit; cum nec vulgus quidem hominum hanc queat ignorare. Exiſſe illorum Duces à Catholicis, & doctrina tam inſolenti, & moribus tam ſuſpectis, toto nimium orbe eſt exploratum. Nunc tamen, an aliqua reperiri huic facinori pietatis, aut veritatis quæſitæ, larva poſſit, paulo attentius videamus.

CAPUT XXIV.

Catholicine an Proteſtantes verius magiſq; Chriſti meritis ac verbo Dei in ſuæ religionis articulis innitantur?

SPecioſo ſub velo meritorum Chriſti, & S. ſcripturæ reverentia, atque obſervatione

prætenſa, non paucos fefellere. Acatholici hactenus; ſub quo, oblata conſcientiarum vitæque libertas, & bonorum Eccleſiaſticorum rapina, traducendique ad profanos uſus facultas, blandum erat lenocinium. Quid enim non auſit homo, qui pœnis coërceri ſatis à ſcelere nequit; ſi & ſcelus virtutis ornetur colore, & pro pœnis exhibeantur præmia? Expendamus paucis doctrinam eiusque vim, ne quam adverſus innocentes ſtruamus calumniam.

Meritis Chriſti per bona, & juſtificantia opera hominis, nihil detrahitur. ſed maior virtus tribuitur.

Meritis & ſatisfactioni Chriſti, ajunt, detrahi, quidquid noſtris Sanctorumque operibus, meritisque, aut gratiæ, aut præmij, cœleſtis vendicamus. Illi uni ſolique deberi omnia: dicente Paulo *Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit .. per Ieſum Chriſtum Salvatorem noſtrum; ut juſtificati gratiâ ipſius heredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Nam *Chriſtus factus eſt pro nobis iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio.*

Tit. 3. 5.

1. Cor 1. 30.

Rectè aſſentimur Paulo; ſed non Proteſtantibus. affirmamus non tribuendum operibus noſtris, ſed Chriſti, divinæque miſerationi, quod ſalvemur. Dicimus cum eodem Apoſtolo: *non ego*; addimus tamen, *ſed gratia Dei mecũ.* Licet enim Deus *operetur innobis velle & perficere*: tamẽ & nos *adjutores Dei ſumus.* Hæc Apoſtoli ſententia eſt cooperationem noſtram deſiderantis. Unde vi gratiæ opera noſtra juſtificare & ad æternam ſalutem conferre

1. Cor. 15. Phil. 2. 13. 1. Cor. 3. 9.

affir-

affirmamus. Protestantes sentiunt hominem, suâ licet concupiscentiâ inquinatũ, solâ Christi justitiâ per fidem apprehensâ justificari, si videlicet credat pro se satisfecisse Christum, fidatque promissione ipsius, peccata sibi esse remissa, per Christi merita, vitamque ac salutem donatam. Catholici verò negant hæc sufficere quæ homini solum extrinseca sint; sed asserunt præterea, vi meritorum Christi gratiam spiritus S. in eundem transfundi, & justitia interiore tam operum, quàm habitus innovari, adeoque illam, quæ per Adamum amissa est, justitiam, restitui, hoc solum discrimine, quòd concupiscentia maneat; cui tamen per gratiam dominari possimus nunquã, nisi voluntariè assentienti, noxiæ. Et sanè par erat: ne plus Adamus noceret peccando, quam Christus prodesset redimendo. Nam *sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi* (quod amissâ interiore hominis justitiâ factum est) *ita per unius obeditionem justi cõstituentur multi.* Quocirca, merito Christi, non solum ipsius nobis justitia extrinsecè imputatur; sed *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum S. qui datus est nobis* Nihil igitur detrahimus meritis Christi, sed virtutem majorem tribuimus, qui non in solam arborem, sed & fructum illius, influere vi sua docemus: dicente Christo, *qui manet in me, & ego in illo, hic fert fructum multum.* Interea totum hunc operum fructum Christi meri-

Rom. 5. 19.

Ib. v. 5.

Quia non solum extrinsecè (ut volũt Protestãtes) sed & intrinsece, virtute tantũ suâ, hominem justificãt.

meritis justitiæque adscribimus, ut exemplo patebit. Sint enim duo, quorum alter intuitu Dei, alter hominis idem justitiæ opus v.g. continentiæ & eleemosynæ exerceant, hoc illi tantùm ad salutem profuturum dicimus; nec alia ex causa, nisi quia illud per gratiam Dei exercitum, vi meritorum Christi excellat. Peccatori par opus nihil proderit, quia Christi gratiâ meritisque est destitutum. Quis igitur non videat, vim totam salutis in Christi à nobis, licet cooperantibus, meritum refundi? Christus *vitis* est, nos *palmites*: hi omnem viti debent vigorem: quamvis sine palmitibus fructus non esset. Ita nec Sanctorum meritis, atque intercessioni quicquam tribuimus, nisi vi meritorum Christi, & divinæ amicitiæ. Unde Jobum pro amicis deprecantem exaudiri credimus, divitem in inferno negamus. Sanctos in cœlo gratia amicitiaque Dei fretos, & gaudere de nostra pœnitentia, & intercedendo hanc impetrare posse sentimus. Denique quidquid eiusmodi rerum est creatarum, unde aliqua nobis salus provenire potest, ad redemptorem Jesum divinamq; miserationem refundimus, cui (ut in sacramentis manifestum est) per creaturas suam ad nos gratiam transfundere non raró placuit: neque iccirco sibi quicquam censuit derogari. Vanus ergo hic Novantium prætextus, imò prorsus impius, & abominandus est quia destruit, non adstruit vim meritorum Christi.

Quis

Quis enim ſive Chriſtum redemptorem, ſive redemptum ſpectet hominem, in hac doctrina plurima, vel cogitata, horrenda non reperiat ? Etenim, ſi juſtitiam meritaque Chriſti ſpectemus, planè indignum eſt aſſerere, tantum non poſſe, ut lapſum Adæ reparent, & ſublatam per illius peccatum interiorem hominis juſtitiam reparent. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis,* ait Paulus, *abundantiam gratiæ, & donationis & juſtitiæ accipientes, in vita regnabunt, per unum* Ieſum *Chriſtum.* Et ſanè *multo magis*, quia *Charitas* Dei *diffuſa eſt in cordibus noſtris, per ſpiritum S. qui datus eſt nobis.* Potuitne quicquam ad hanc rem clarius pronuntiari ? Rurſum, quis non erubeſcat juſtitiam Chriſti facere velamentum ſcelerum, atque inquinatorum operum noſtrorum, quæ coram Deo habeantur *tanquam pannus menſtruatæ* ? Quid luci cum tenebris, Arcæ Dei cum Belial ? Si corruptorum Judæorum talia tamque immunda fuêre opera ; an iccirco Chriſtianorum omnium ſunt ? Denique quæ perverſitas eſt, Deo tale tribuere judicium, ut immunda fidelium opera, tanquam cœcus, pro mundis, propter fidem in Chriſtum, acceptet ? Dei incorrupta judicia ſunt, talem rem æſtimat, qualis ſuâ in naturâ eſt. Si acceptor perſonarum non eſt, quantò minus immundorum erit operum ?

II Abominãda doctrina eſt, quæ ſolã Chriſti juſtificationem extrinſecam ſalutiferã peccatori eſſe tradit quia redemptori injuria eſt.

Rom. 5. *v.* 5. & 15.

Jam ſi redemptum ſpectes hominem, Deum immortalem ! quâm abominabilis doctrina eſt

Deinde redempto noxia, quia in

sceleribus fovet, & conatum ad salutifera opera tollit.

est solâ illum fide (quam fiduciam in Christi meritis promissisque esse volunt) quantumcunque sceleratam vitam palliare: justum coram Deo censeri; non indigere aliâ, quam quæ per fidem (credentem omnia sibi peccata remitti) est pœnitentia; nullâ apud hominem confessione & enumeratione criminum opus esse, absolutione nullâ, operibus bonis ad satisfaciendum nullis; proposito emendationis in præceptorum observatione nullo. Hæc enim derogare Christi meritis, qui pro nobis abundè satisfecerit, & peccata nostra pertulerit in corpore suo, quantacunque illa demum existant.

Denique frustraneum stultumque conatum fore nostrum ad bona opera exequenda, quibus præcepta Dei impossibilia sint: nihil à nobis ad absolutam justitiam, salutemque exigi, quàm ut Christi meritis promissisque Dei fidamus. Præclara enimvero ad avertendum ab omni bono opere, atq; ad animandum hominem, ut *fortiter* peccet, oratio: ut scilicet Christi meritorum extollatur præstantia, per quæ tantò graviora remittantur, seu obvelentur, quantò detestabiliora & plura quisque admiserit? O dedecus Christiani nominis? O pudenda Germanorum (inter quos hæc amentia primùm exorta est) labes! Christusne, agnus ille ad occisionem ductus, idcirco carnem nostram, eamque immaculatam assumpsit, ideoque tam horrenda ad abolendum peccatum suo

Lutherus supra.

in

in corpore pertulit, ut sceleratis sicut antea inhærerent ipsius fideles operibus; & sub justitiæ tam suæ velamento aliorum iniquitatem tegeret? Quàm longè diversa nos & nativa ratio, & Ecclesia Catholica hactenus, tale monstrum justificationis ignorans, & ipse disertissimè Apostolus docuit. *Sic*, inquit, *dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, ut eam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ; ut exhiberet sibi gloriosam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi; sed ut sit sancta & immaculata.* Quidquid sanctum est, excludit omne peccatum, quidquid immaculatum omnem maculam. Unde verò Sancti & immaculati erimus? Idem nos docebit Paulus. *Simus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate.* Et quid fides, sine charitate? audi eundem. *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Nimirum, *ex fide spem iustitiæ exspectamus.* Sed *fide quæ per charitatem operatur.* Non enim Christi justitia, sed, quæ ex hac in nobis est, *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Denique quâ mente fidelis sibi persuadere potest, impossibilem Christi legem esse, de qua Christus ipse pronuntiat: *jugum meum suave est & onus meum leve?* Non alium, quàm mandatorũ observatorẽ, suũ esse agnoscit, dum ait *qui habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me.* Cõfirmat eadẽ Joannes Apostolus. *Hæc est*, inquit, *charitas Dei ut mãdata eius custodiamus: & mãdata eius gravia non sunt.*

Ephes. 5.

III
Fides sine charitate inutilis, nec, nisi per illam peccata operit, & sanctificat.

Ephes. 1. 4.
1. Cor. 13.

Gal. 5. 6.

1. Pet. 4. 8.
Nec charitas, nec fides sine impletione legis est.
Mat. 11.

Conclu-

Concludo cum eodem, certumque boni fidelis signum exhibeo. *In hoc scimus, quoniam cognovimus eum, si mandata eius observemus. Qui dicit se nosse Deum* (attendant Protestantes, qui negant servari mandata Dei posse, & ad Lydium hunc lapidem fidem suam probent) *qui*, inquam, *dicit se nosse eum, & mandata ejus non custodit mendax est.*

1. Ioh. 2.

IV
Operibus bonis merces vitæ æternæ promissa est, vi meritorum Christi, quæ summa eorum dignitas est.
1. Cor 3. 8
1. Tim. 4.

Porrò quantò ad bene faciendum & *currendam viam mandatorum Dei* illecebra sit, scire quod in meritorum Christi virtute ac gratiâ possim omnia: & cum Paulo profiteri: *Omnia possum in eo qui me confortat*; nosse, quia *unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem*, tenere quod *pietas ad omnia utilis promissionem huius vitæ habeat & futuræ*: quis non intelligat? Ita ad fortiter cum Christo patiendum, quantum, obsecro, incitamentum est credere; quod *momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operetur in nobis*? Et quâ fronte adversarii has tam manifestas bonorum operum, suamque mercedem in cœlo habentium, assertrices scripturas, possunt contemnere? Tales igitur cum nos fructus Justitiæ & meritorum Christi in nobis agnoscimus ac tuemur, majorem longè illis virtutem adscribimus, quàm si pallium tantùm faciamus nostrarum immunditiarum. Quare liberè vereque assero, cœcum esse, qui non videat, reverentiam dignitatemque multò excellentiorem

2. Cor. 4.

rem

rem à Catholicis, quâm ab Adversariis, Christi meritis tribui, quibus non solum extrinsecam, verùm intrinsecam quoque hominis sanctitatem tam disertis potentibusq; scripturæ divinæ verbis adstruunt. Et quis tam aversus à vero sit, ut negare audeat, utramque hanc sanctitatem justitiamq; hominis extrinsecæ uni præferendam esse?

V Ex sola scriptura S Acatholici nihil possunt, sed fallibilibus consequentiis nituntur.

Nunc alterum fundamentum Acatholicorum exploremus. Verbo Dei se majorem habere observationem, illique soli, suâ in fide niti; nos ad mandata & verba hominum transire affirmant. ideoque non divino, sed humano fallibilique fundamento nixos credere.

Hæc illorum prætensio si vera esset, obtinerent causam & jam pridem illorum accessissem partibus. Sed Catholici hanc accusationem in adversarios regerunt, habentque pro axiomate, *nihil fide divina credendum esse, quod verbo Dei revelato & cognito non innitatur.* hoc vero Protestantes, in articulis Romanæ fidei oppositis, non inniti, sic ostendunt. Quicunque nullum fidei Romanis oppositæ, articulum expressis minimeque controversis verbis Dei; sed humanis tantùm fallibilibusque nixum consequentiis exhibent, hi non verbo Dei revelato, sed humano solum ratiocinio nituntur. Hoc Protestantes faciunt. Ergo &c. Contrarium de Romanis sic demonstratur.

Quicunque in omnibus fidei articulis verbo

verbo Dei revelato, vel ſcripto, vel tradito, ſeclufis humanis fallibilibuſque conſequentiis, inhærent, hi non humanam, ſed divinam ſectantur fidem. Hoc Catholici faciunt, Proteſtantes non faciunt, Ergo illi, non hi divinam fidem ſectantur. Major utriuſque ſyllogiſmi indubia eſt, neque ab ulla partium repudiatur. Minorem quatuor partibus *Meditatæ Concordiæ* certam oſtendi. Vulgata etiam invitatione Doctorum atque Academiarum præcipuarum Europæ, ad refutationem & correctionem, ſicubi à veritate aberraſſem, directâque ad Principes Germaniæ & Ratisbonenſes legatos ſupplicatione, Quin addita Societatis, Eccleſiæque noſtræ, & Rectoris Univerſitatis Colon. approbatione, ne privatus illud agere, ac poſcere ſolum diccerer. Ita ut nihil omiſerim ad hoc tam rationabile votum impetrandum. Quare decennale jam & longius, ſilentium pro deſperatione cauſæ adverſæ & agnitione Veritatis, à Catholicis propoſitæ, habendum jure erit, abundeque cauſam noſtram videbor, omnibus, in hac re ſine affectu judicaturis, probaſſe.

Primò etiam articulos religionis noſtræ controverſos ex ſolo verbo Dei ſcripto, ſatis clarè propoſui, modò illud ex veteris & proximæ Apoſtolis Eccleſiæ ſenſu, eoque ſatis obvio, accipiatur.

Secun-

Secundò ostendi Adversariis Romanorum impossibile esse ex solo Dei verbo scripto, hoc eodem sensu sententiaque id ipsum pro se præstare. Imò nec consequentiis quidem id posse infallibilibus ex verba scripto deductis. Et hæc parte I Meditatæ Concordiæ duabus tractatibus executus sum. Parte altera Augustanam Confessionem ex S. Scriptura, per singulos articulos, magno numero sententiarum in re præsenti neglectarum, reformavi. orans Confessionistas ut toti Scripturæ S. eandem reverentiam dignarentur habere. In tertia parte idem præstiti Confessioni malè Reformatorum, utque utrisque gratificarer magis, certiorique illos veritatis firmarem vestigio, Veteris Ecclesiæ ex tradito Dei verbo interpretationem adjeci. Et ne dubitarent hanc adversus se suorumque errores procedere, propriorum Doctorum Confessionem, qui Patres adversum Protestantes stetisse faterentur, tum deinde & veterum Conciliorum decreta hodiernæ Ecclesiæ conformia adjunxi. Quarta parte primo ex Notis veræ Ecclesiæ, per ipsos Adversarios statutis, prædicatione scilicet verbi Dei, & sacramentorum administratione (quas perpetuas fuisse volunt) docui solam Romanam orthodoxam esse, denique Tractatu illius partis altero, verbum Dei traditum in Ecclesia æquè certò quàm scriptum extare demonstro;

pro

pro quo tamen Proteſtantes humanas tradi-
tiones, per fallibiles ſuas conſequentias è
ſcripto verbo malè deductas amplectantur.
Et hæc tam indubitatis principiis nixa eſſe
ſentio; ut nemo, non Proteſtantium ſo-
lum, ſed nec Dæmonum quidem convel-
lere poſſit. Quæ, fretus veritatis fiduciâ;
adverſus quemlibet hoſtem, alioquin te-
nuitatis meæ ſatis conſcius ex multis peri-
tioribus poſthabendus, tanta animoſitate
aggreſſus ſum; ut ad convertendos alio-
rum à fide aberrantium animos, vel cer-
tè ad hoſtes veritatis ſalubriter confunden-
dos, ex ſolis Adverſariorum principiis eoſ-
dem laceſſere; & ad ſalutem præſentem æ-
ternamque invitare, tam ſtrenuè auſus fu-
erim, Chriſtumque, meum forte brevi,
(quâ ſum ætate) futurum judicem, te-
ſtem in extremo die habiturus ſum; nihil
me, niſi tam cœcè infeliciterque aberran-
tium hoc conatu meo ſalutem, ipſiusque glo-
riam ſpectaſſe.

Interea tamen non defuêre ex Adver-
ſariis, qui primam mei operis partem, in-
tactis ceteris, ſed nec hanc quidem integrè,
vellicare magis, quàm refutare aggreſſi ſunt.
quibus voluntas ſubvertendi maior, quam
facultas adfuit: His ſeorſim poſtea, levi
brachio, ſuos errores adumbraturus ita ſum,
ut ex tenebris veritatis lucem poſſint intueri.

Ne tamen ſupradictas propoſitiones ſi-
ne omni probatione hoc loco tranſmittam:
Ut

ut 1. quod nullum articulum nobis oppositum expressis, & non controversis verbis scripturæ exhibeant. nec 2. ullum qui infallibili consequentiarum fide nitatur: manifestam experientiam testem exhibeo, nullum, neque in Confessione Augustana, neque in Gallica Calvinistarum proponi, qui iisdem in scriptura S. verbis reperiatur. Cùm tamen æquissimum esset, ex solo verbo Dei scripto reformationem pollicentes, vel unico illud articulo præstare. Quæ res, cum omnibus Confessionistis explorata sit, non video, quomodo per invincibilem illius fraudis ignorantiam quisquam possit excusari. Et sanè confunduntur peritissimi quique Adversariorum, quod diversis egomet exemplis probavi, quando ab eis poscitur, ut qui in tam variis à nobis articulis dissident, in quibus Romanos ex S. literis reformare moliuntur, vel unicum formalibus definitisque scripturæ verbis expromant: aut fateantur sese nisi per consequentias illud, seu ratiocinium suum, non posse. Objeci illud pluribus, exercitatissimisque. unus omnium fuit, jam per annos octodecim scripturæ S. expositionem in publica Academia Protestantium professus, cujus nomini parco, qui Coloniæ me convenit, agmine suorum non ignobili stipatus; sed repentè in fugam versus est, ubi se hoc telo peti vidit: licet in præsentia multorum promisisset, se aliquos formalibus scripturæ verbis articulos, nobis op-

VI. Impossibile est adversariis, vel unicum suæ Confessionis articulum formalibus verbis exhibere scripturæ.

positos, daturum. Nec multò post quosdam versus more Protestantium, ex scriptura nusquam cohærente, consarcinatos, obtulit per adolescentem. Quibus visis rogavi, ut tempus locumque addiceret. Verùm cum subinde nuntiaretur illum ex urbe parare abitum, etiam ante nundinarum solennem, qui instabat diem nisi, qui significaret homini; ne crederet, me nil, nisi veritatis indagandæ amore, cum ipso cupere, & siquem articulum invictis etiam consequentiis probaret, hunc admissurum, ultroque, si liberet, apud Acatholicam, quo diverterat, hospitem conventurum; secus ubi egisset, mei jam ante provocator, habiturum me illum pro homine suâ in causâ desperante.

Sed hisce omnibus spretis erupit, evasitque: mihique profundam de ingenti istorum hominum infelicitate cogitationem reliquit, qui cum falsam indefensibilemque se causam tueri vident, tamen vitæ præsentis conditione impliciti, æternæ, quàm hujus vitæ felicitate carere, stultissimâ electione, malunt. Alteri non ignobilis doctrinæ generisque homini hoc ante triennium loco in duorum imperii Principum præsentia addixi, (& toti Protestantium ordini hoc meo scripto addico, mundo cœloque teste, me, si vel unicum articulum fidei nobis oppositæ, aut verbis formalibus minimæque in sensu controversis scripturæ

Sacræ

Sacræ aut infallibilibus ex eadem conſe-quentiis ductis, exhiberet, idque, quâ par eſt fide ác firmitate præſtitiſſent, inter equos utriuſque partis arbitros: ad Lutheranos ego; aut, ſi ſecus, ad Catholicos ipſe tranſiret. admiſit pactum. Sed excepto præſenti, quo minus ad hoc inſtructus veniſſet, tempore, Francofurto ſe miſſurum ád Treviros probationem pollicitus eſt, quæ etiam num exſpectatur. Quía tamen Nobilis ampliſſimuſque Dominus Joannes Thomæ J. U. D. & Conſiliarius Saxonis, Altenburg. Conſiſtorii Præſes, ac Legatus ad Comitia Ratisbon. congeſtis SS. ſcripturæ ſententiis, meæque Confeſſioni oppoſitis, magna illud ſedulitate conatus eſt evincere, de illius poſtea ſucceſſu paucis videbimus, nunc ſatis eſt, aſſeruiſſe, ne talem in hoc ſcripto nullum agnoſcere. Neque memini, centies provocatos ad hoc præſtandum adverſarios; vel ullum Confeſſionis ſuæ articulum, aut definitæ ſignificationis verbis, aut conſe-quentiis ex ſcriptura S. infallibilibus exhibuiſſe. Si aliquo in libro talis extet, optem doceri. O infelices! ad viginti & plures ſuæ Confeſſionis articulos tenentur, & unum non præſtant. Quomodo, obſecro, tam malè fundatam cauſam, ubi de æternæ vitæ præmio pœnaque agitur, miſeri defendent? an pallium tam palpabili fraudi ignorantiæque ullum poterit reperiri?

VII Rursum impossibile est, vel unicũ ex infallibili, è scripto verbo Dei, cõsequentia deducere.

De consequentiarum ex S. scriptura ductarum fallibili fide sic facile evinco: quod humanis principiis, interpretationibus ac ratiocinijs nititur, hoc divinâ fide non est infallibile. Sed omnis syllogismus à Protestantibus in articulis fidei controversis, eis nititur. Ergo divinâ fide non est infallibilis. Major certa est. Minor in Conclusione Meditatæ concordiæ, seu quarta eius parte, aliquot capitibus probata est, ostensumque longè illud certius præstare Catholicos. Ita quæ olim fuere controversa de Christo à Patre ab æterno genito æqualique, de Spiritu sancto ab utroque procedente, contra veteres hæreticos; & contra Anabaptistas de baptizandis pueris, de non baptizandis in solo nomine Jesu, ut Paulus Act. 19 fecisse legitur: contra nos de remissione peccatorum Sacerdotibus non concessa Ioan. 20 De operum negata justificatione, mandatorum impossibili observatione &c. nemo hactenus divina quicquam fide conclusit, sed quoslibet ex scriptura elenchos multis partibus vitiosos fallacesque esse demonstravimus. imò universè quidquid ex principio uno naturali, & ratione nostra dependet, hoc purè divinum atque infallibile esse non potest, adeoq; ad divinam fidem fundandam non sufficit. Præterea licet utrumque principium ex Dei verbo desumptum sit, nisi tamen hoc unius ac definita significationis fuerit, definiti sensus sententiæque

que(quod ad certam fidem requiritur) conclusionem fundare non poterit. Et quæ obsecro scriptura, in controversis hodie fidei articulis, unquam producta est, quæ absolutè plures interpretationes sensusque, inter ipsos etiam Romanæ Ecclesiæ adversarios (præsertim cum originariæ expenduntur linguæ) non admittat? Quantò hic Catholici potiores sunt; quando non privato aliquo sensu suo; sed Apostolico perpetua traditione à Majoribus excepto, Patrumque consensione, & Ecclesiæ totius mente probato, conclusiones inferunt. Quod si Lutherus securitatis Catholicæ septum non perfregisset, staret fortassis pristina religionis in consensu unitas tranquillitasque. Nunc Protestantes, quando fluctuantes sequelas tueri nequeunt, ad traditiones symbolicorum suorum librorum, & catechesin unius seculi vertuntur, quæ tot locis tamen ferè, quot Ecclesijs divisi sunt, variantur: tum deinde ad suarum Ecclesiarum, Synodorum, ac Principum decreta, quibus pleræque controversiæ absolvuntur sese volentes nolentesque convertunt. Ut (ne remota tangam) in Hollandia & Hassia superioribus annis, tum in Saxonia pluribus exemplis compertum est; atque illo quidem eventu, quæ hæresum esse solet, in quibus peior semper causa triumphat. Nam in Hollandia Arminiani Gomaristis, in Hassia Rentelenses Marpurgensibus, in Saxonia Helmstadienses Wittenbergensibus, hoc est minoribus obnoxii

IX Longè Catholici securius tradito Dei verbo nixi, quã Protestantes suorum Principũ decretis inducti controversas illationes firmant.

erroribus, deterioribus accedere jussi sunt. Cuius demum indicio ? Non scripturæ. Nam hanc pars quælibet pro se stare constanter tenuit; sed Dominorum, quorum decretis standum fuit. Ita qui Ecclesiæ Catholicæ judicium detrectarunt, jam profanorum hominum coguntur admittere ; & qui scripturæ claram definitionem, in rerum credendendarum articulis, sibi vendicant, jam præter umbram inanemq; jactantiam nihil retinent, sensimque omnes in barathrum errorum devolvuntur. Lutherani ad Calvinistas, non integris solum Ecclesijs , sed etiam regionibus, majori credendi & vivendi libertate transeunt ; hi ad indifferentes, Quackeros, & nescio quæ monstra sectarum, atque ad Atheos denique , eodem quem jactant scripturæ Spiritu devolvuntur. Audiamus celebris hac de re Calvinistæ Puritani Alexandri Ros Angli in libro de mundi Religionibus testimonium. Ex his ait, alijsque impijs opinionibus, quæ hodie dum inter nos tolerantur , & defenduntur , videmus , quo prolapsa sit Christi religio hoc loci , ubi tanta quondam pietate & zelo florebat. Nos Christianam religionem inter primos Europæos amplexi sumus, an à Petro, aut Paulo, aut Simone Zelotes, vel Iosepho , haud satis liquet. certe primis suscepisse temporibus à Christo, omnes tenemus. Neque cuiquam populorum nos devotione ac Zelo concessisse tot templa , sacraria , cœnobia , collegia , scholæ testari poterunt. Quid super est, nisi mera religionis

part. 12. fol. 513.

larva,

larva, ipsa per tot hæreses, & blasphemias consumpta veritatis ac vitæ substantia! Cum Ieremia iure querar, quod decor & pulchritudo filiæ Sion ablata sit. Quæ verò causa? tertio post folio hanc aperit. *Babylon*, inquit, *novæ erigitur, plena impietatis ignorantiæ, & blasphemiarum. Hi fructus sunt, & consequentiæ, ex Scripturarum sacrarum lectione per ignorantes improbosque Spiritus tentatâ, qui aranearum similes, ex optimis saluberrimisque floribus venenum sugunt, & in sanis mortalibus similes, gladio verbi Dei ad se aliosque jugulandos utuntur, qui nobis ad defensionem contra hostes concessus est.* Denique sub Puritano regimine sectas centum ac sex emersisse, ex diversa Scripturarum interpretatione, Angliamque inundasse memorat. Porrò ut hanc perversæ expositionis culpam, Calvinistæ, Anabapitstis, ita hi illis, Lutheranisque, & hi, contra, reliquis imputant. Qui cum mutuo se de illo corruptionis vitio arguant, ijsdemque se invicem argumentis petant, credere omnibus non possumus; nisi quod errent universi: quia una omnium, quâ se arguunt falsitatis est ratio.

Pag. 517.

X Confusio religionis babylonica ex concludendi è scriptura diversitate.

Pag 569. *quæst.* 93.

Neque possibile est, ut eodem argumento verum ac falsum, vi illationis bonæ, probetur. Et quisquam in orbe hominum sit, qui hanc ex scriptura concludendi rationem, tot lapsibus obnoxiam, à Deo institutam

profectamque existimare possit : nec illam præferat, quæ ad unius Catholicæ Ecclesiæ sensum, in Concilio Doctissimorum hominum veterum traditione expensâ profertur ? aut excusabilem se coram Deo hominibusq; futurum putet, si in tanta sententiarum religionumque confusione ac varietate, consilium respuat, quod nemo juxta humanas prudentiæ, divinæq; religionis leges (quibus ad Patres Ecclesiamque ducimur) potest aspernari. Certè Lutherus violator huius regulæ manifestus grave Dei judicium cum sectatoribus, hac in re tam crassè delirantibus non declinabit, cùm quam in aliis proprii capitis interpretationem damnavit, ipse cum suis amplexus est.

XI. Lutherus & Calvinus protestantiũ principes in tanta dissentiendi inter se, & secum levitate Reformationem Deo autore non potuerunt auspicari.

Et quo demum colore Reformatores illi, Lutherus Calvinusque, tot contradictiones, tantamque ex scriptura reformandi inconstãtiam probare æquis de veritate æstimatoribus poterunt? aut enim divino, aut diabolico spiritu hoc cœptum est opus. Si divino; ergo nec alter alteri, nec ipsi sibi contrariari potuerunt, cùm divinus spiritus ignoret omnem falsitatem. Diabolico igitur cœptum oportuit; quia inconstantia & contradictio integris tomis demonstrata extant. Et quisquã credat alio rem esse terminatam spiritu, quàm inchoatam, vel, quod Diabolus reformationis opus cœpit (ignoscãt sic loquenti, qui aliter gravitatem rei explicare nequit) hoc à Deo esse continuatum? Ridiculi verò

ejus

ejus Sectatores sunt, qui cum negant, se, vel Luthero, vel Calvino obnoxios; sed S. tantum scripturæ adhærere; eodem tamen hanc modo legeque, quâ Lutherus & Calvinus interpretantur. Ut si Dæmon non minus asseclas, quàm malignæ reformationis autores possit fallere?

XII. Nec Protestantes inter se, nisi propter humana istorũ autorũ commẽta dissident, & diversa è scripturis concludunt.

At plerique, ut hanc maculam declinent, Apostolos sese primamque Ecclesiam, in scripturarum interpretatione eosdem assecutam, sequi, eiusque, non Lutheri, aut Calvini nisi ubi cum sacra scriptura loquuntur, sensu acquiescere profitentur. Sed quàm vanè ista jactent Europeæ nationes testantur; quid enim obsecro causæ est, quod integræ per Germaniam ac septentrionem regiones scripturam potius cum Luthero, per Hollandiam, Galliam, Angliamque cum Calvino interpretentur? Nunquid Patres, & Scriptura ubique ijdem? Conspiratio interpretandi utrobique diversa? Huius ego diversitatis conjuratæ principium postulo. quod nemo prudens in scripturam, veteremque & Apostolicam Ecclesiam; sed autores jam dictos, atque ab eis natas fidei Confessiones, hoc est, humana commenta, derivabit. Extra quæ impossibile foret integras nationes, alijs oppositas, ex eadem utrobique scriptura Patribusque interpretationes sectari.

Luce igitur meridiana clarius eſt, à divino Spiritu hunc interpretandi uſum manare non poſſe; ſed humanum commentum eſſe, à Diabolo in mortalium ruinam adornatum. Denique nihil illos tribuere primorum ſeculorum Patribus, ſatis exploratum eſt; quod non niſi excerptas quaſdam ſententias, inadæquatè eorum doctrinam complectentes, ſibi vendicent(non ſecus atque in S. literis) quidque universè tradant, minus obſervent. Eiſdem quoque notos quoſdam, obſervatoſq; à veteri Eccleſia errores exprobrent; ideoque, ſicubi adverſariâ doctrinâ premant, fallere eos tanquam homines (licet conſpirantibus ſententiis idem ſentiant) protervè reſpondeant. Ita ubi per SS. Patres te eviciſſe credideris, nihil deniq; ab obſtinatis Lutheri aut Calvini ſectatoribus, hac viâ impetraſti. Hoc reſponſo elidunt omnia: *homines ſunt, potuêre falli*. Quid ergo? an homines non ſunt, qui hæc aſſerunt? an SS. Patribus infalliiliores?

Quod ſi hoc ipſum de Confeſſionum diverſarum, quibus inhærent autoribus aſſeras: Ut negare non poterunt; ſic denique reperies, nullum illis, vel diſſentiendi ab aliis, vel conſentiendi inter ſe fundamentum relictum eſſe, niſi umbrabile, quod ſcripturam eſſe dicunt. Quæ cum eadem inter omnes ſit, manifeſtum eſt, non poſſe diſſentiendi ab aliis, & conſentiendi tantum eſſe cum ſuæ nationis hominibus fundamentum. Nihil igitur exco-

gita-

gitabile, nec proprius quidem privatusq; Spiritus, præter humanas constitutiones, relictum est, quibus suas consequentias tueantur.

XIII Protestantes, nisi admissa traditionũ Ecclesiæ infallibilitate, aut verbo Dei tradito, nec de S quidem scriptura certi sunt.

Ceterum, si traditiones Ecclesiæ Catholicæ, ab Apostolis usque ad nos propagatas, quibus in nostris conclusionibus nitimur, neglectum (ut faciunt) aspernentur, nec S. quidem scripturæ infallibiliter, tanquam à Deo profectæ, inhærere possunt. Nam Ecclesia, ut ajunt, eiusque traditiones fallibiles sunt. Ergo in traditione etiam S. scripturæ fallere potuit. aut si non possit: rationem edant, cur in hac faciant infallibilem, quæ fallere potest in ceteris? Quidquid dixerint causâ cadent. Imò ratio manifesta suppetit, cur in hac traditione illi Ecclesiæ, quam hæreticam esse sentiunt, tuto credere nequeant. Quis enim fidei Christianæ depravatoribus sacræ scripturæ fidat custodiam, quæ orthodoxæ doctrinæ fundamentum sit? aut si hanc Romanis credant, cur non æque fidelem eiusdem interpretationis traditionem? cum huius, utpote per diversa Patrum volumina sparsæ, corruptio longè difficilior scripturæ sanctæ, uno volumine comprehensæ, corruptione fuerit? Sane utriusque traditio integra, vel concedenda simul Ecclesiæ Romanæ erit, vel neganda. In illo tuta salus, in hoc nulla securitas; quod Protestantibus ad privatum Spiritum recurrendum sit; quem, cum in

Anabaptiſtis aliiſque adverſariis damnent, in ſe probare nō poſſunt. Nos Catholici certum habemus, quod Eccleſiæ ſuæ Chriſtus Spiritum veritatis promiſerit. Quo freta in legitimis conciliis, ſub uno capite congregatis, ſecurè de obortis controverſiis decidit. Quā conſuetudinem cum omnis bene ordinata ſervet reſp. rationique humanæ, ac divinæ legi conformis ſit, atq; ab ipſis etiam Apoſtolis introducta, contra omnes adverſariorum, qui unius nos Romani Præſulis diliramenta ſectari fingunt, calumnias inconcusſè tuebimur, nec inani affirmatione gloriabimur, multis nos titulis, de tradito Dei verbo, per diviſos toto orbe Patres conciliaque, ac perpetuam Eccleſiæ Catholicæ propagationem, infallibilemque ſententiam, multò eſſe certiores, quàm adverſarii de ſcripto Dei verbo eſſe poſſint. Quare ab illa confuſione, ac diſſipatione ſententiarum & religionis, ad meliorem S. Scripturæ uſum, conſtantiamque in fide, tam craſsè fœdeq; , per tot ſectas, aberrantes per amanter invitamus. cùm tam manifeſta omnium ad ſolam ſcripturam provocantium deliria ac diſſenſiones ſint, ut excuſationem coram Deo, & hominibus (extra hanc ſocietatem erroris poſitis) non queant admittere. Redeant ad concordiam pacemque & unius orthodoxæ Eccleſiæ matris gremium, extra quem, neque huius neque ſecuturæ vitæ felicitatem exſpectare aberrantibus licebit?

CAP.

CAPUT XXV.

Acatholici in tam manifesta operum divinorum virtute ac luce, quâ orthodoxa illustratur Ecclesia, inexcusabiles sunt.

SI in orbe terrarum aliud nihil esset, quo Catholica religio sola orthodoxa, Protestantium vero heterodoxa demonstraretur, miraculorum ad hoc abundè invincibiliterque præstandum gratia sufficeret. Pro qua veritate agnoscenda pauca suppono.

I Miraculorum divina vis infallibili signo Orthodoxã Ecclesiam ostendit.

1. Cœpisse Ecclesiam Christum per miracula, quibus à Deo doctrinam suam esse testaretur, & hanc ipsam ab Apostolis eorumque successoribus propagatam inter gentes, omni ævo usque ad hoc seculum nostrum ad orthodoxam fidem conversas, nemo potest inficiari. Christi promissio indubitata apud Marcum extat, *Euntes* ait Apostolis, *in mundum universum prædicate Evangelium.. Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis.. super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Ubi bene observandum, quòd ipsis credentibus, citra exceptionem, hæc vis miraculorum promittatur. Et ne quis perperam intelligi hæc existimet, apud Joannem, cum auxesi virtutis communicandæ, repetitur: *Amen, amen,* ait, *dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.*

Marc. 16.

Ioan. 14.

2. Hoc

2. Hoc signum miraculorum Dei, ad dignoscendam orthodoxæ doctrinæ veritatem evidens esse supra quæst XVIII num. V. ostendi. Et manifestum in Christo docente est: qui nisi novæ legis doctrinam virtute miraculorum probasset, excusationem Judæi habuissent, ut ipsæ Christus fatetur. *Si*, inquit, *non venissem, & locutus eis fuissem, & si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius, peccatum non haberent. nunc autem excusationem non habent.* Doctrina igitur cum ejusmodi operibus conjuncta sufficiens est, omnibus aliis argumentis remotis, ad veræ Ecclesiæ demonstrationem. præsertim cum suis fidelibus Christus promiserit, quod majora ipso effecturi essent. Certè quintam luculentis veritatis signis, illam non videt, volens cœcus est.

Ioan. 15. v. 23. & 24.

II
Ipsi huius signi certitudinē hæretici agnoscūt; & frustra affectant miracula, ut Luthe-rus, Calvinus, aliiq;

3. Adeò hæc probandi ratio ab omnibus Christi fidelibus recepta est, ut etiam hæresiarchæ atque hæretici, veteres ac recentes, miraculorū famam, quacunq;, arte, captare sint conati. Lutherum in Dæmone ab obsessa pellendo ad extremas compulsum angustias notissimâ historiâ, ex præsente Staphylo tenemus. Qui, ut alii ex patratis miraculis, ita hic ex non patrato ad Catholicam rursum fidem impulsus est. Quomodo verò idem Lutherus ad Nesenum in Albi submersum adductus, tanquam eundem resuscitaturus, aliquid in aurem immurmurârit, vano ridiculoque conatu Cochlæus eidem coævus memorat. Neque

In actis Luth. an. 1532.

que Calvinus in aucupandâ hac famâ ſibi defuit. qui, ut magis vafer, artificio ad hanc rem non vulgari uſus eſt. Genevæ magna is novitatis cupiditate audiebatur, cum Brulæus Oſtoduno eodem cum uxore delatus, ut erat rerum inops, Calvino ſupplex factus, orat ſubſidium. quod obtulit haud gravatè primum: deinde etiam liberalius eidem pollicitus eſt, modò ſecreta in re votis ſuis obſecundaret. Addicente Bruleo, jubet Calvinus morbum gravem ſimulare, intereaq; eundẽ pro concione vulgi precibus eleemoſyniſq; com̃endat. Mors deniq; ejuſq; ex pacto vulgatur, & cũ de ambulatũ prodijſſet Calvinus, Uxor lamentis ejulatibuſque fictis prodit, oratque Calvinum, ut tanquam vir Dei, ad religionis à ſe prædicatæ gloriam, viduæ miſereatur. conjugemque vivum reſtituat. Nec cunctatus ipſe & ad preces cum ſuis verſus, Deum obteſtatur, ut ad veritatis Evangelicæ, quam prædicaret, atteſtationem, vitam mortuo reſtituat: ſubinde apprehenſa manu, jubet in Dei nomine ſurgere. Cumque ſe non moveret, eadem ſæpius iterat, accedit & uxor, movetque atque impellit; ſed ubi rigentem; vereque ſenſiſſet mortuum ad Calvinum, ſeriâ jam lamentatione, verſa, impoſtorem illum, ſiccarium, ac latronem nuncupat; totamque ex ordine fraudem pandit. Verùm is inſanire mulierem calamitans, tantoque beneficio indignam, cum ſuis ſe recepit. Quanquam apud prudentes æſtimatores non mino

Ex literis Tilm. Bredenb. & Bolſeco in vita. c. 13

confusus sit, quàm olim Cyrola Arrianorum in Africa Episcopus, in homine cœcitatem simulante, & post attactum Cyrolæ verè excœcato, quem Catholici deinde Episcopi restituerunt. Nil tamen hoc eventu territus Prædicans Polonus, haud procul Cracovia in pago Biethagæ anno 1558 simulatum ejusmodi mortuum feretro inferri templo, dum ad concionem verba faceret, instituit, atque istic in veritatis, quam prædicaret contestationem, jubet surgere; quo frustra inclamante, cum uxor deprendisset verè mortuum, non verba tantum execratoria in perfidum convertit, sed vix manus ab eodem abstinuit. Lepidius aliquantò est recentiusque quod anno 1608 Saxonia inferior in Præfectura Lauensteinia, haud procul Hamelia, evenisse vidit. Christus istic redivivus (ut Lutherus varia fidei monstra, suâ sola scripturâ & fide excitârat) cum Maria & Petro, aliisque Apostolis, pœnitentiam, ut ferebat, prædicaturus advenera.tPræmisit ille ad Molitorem Petrū, qui moneret venienti Christo parandum hospitium. Excepit ille, ut poterat, tergore suillo, pane grosso, zythoq;, tum Christus, ceu tenuitatem miseratus; Petre, ait, ad proximum te salicetum conferto, istic reperies nobis in cibum præparata, Ivit ille, assatumque (quem deposuerant) anserē, cum albo pane, ceu oblata cœlitus, depromit; tum verò lagenam mandat impleri aqua, (vino jam ante completam) benedicensque molitori propinat hospiti

Baron. ad an 484.

Alan. l. 6. Dialog. Lindanus in Dubit.

111 Lepidus miraculorum captator capitur.

hoſpiti, merumque præbibit. Attonitus tali re molitor, Chriſtumque ſolicitè reveritus, jubetur ſiquid domi pecuniæ habeat depromere, fore, ut duplicato ære accipiat gratiam. Ergo 40 daleros imperiales profert, Chriſtus Petro duplicandi negotium imperat, qui foras egreſſus præludenſque miraculo in vaſculo eoſdem quatiebat; ſed denique in fugam verſus diſparuit. Chriſtus, ceu indignans, ad Petrum revocandum parabat exitum. At molitor fraudem veritus, morabatur, cumque erumpere demum vellet, rapta ſecuri, poſitaque reverentia, ni ſubſiſteret, cædem minatur.

Inter hanc contentionem accurrunt alij, & Petro nuſquam comparente, Chriſtus *ille* novitius, in captivitatem abſtrahitur, prout eodem tempore dum hæc geſta ſunt, & Petrus undique inveſtigatus, litteris mandatum comperimus. Quæ licet animi magis, quàm probandi cauſa interſeram, conſtat tamen abundè miraculorum opinionem ab hoc genere hominum ambitiosè captatam. Et verò, ſi hanc, vel apparentem Dæmonis ſubſidio conſecuti eſſent (ut Antichriſtus in fine mundi obtinebit) totum poſt ſe, in tam molli religionis ad cœlum via, orbem abducerent. Sed Deus tales miraculorum aucupes in ipſo conatu plerumque manifeſtat, ut ſuis fraudibus innoteſcant.

Nulla in his ficto diuturna, nec Antichristi quidem esse poterit: Simon Magus volatu suo olim cœlum petere visus, à D. Petro brevi in terram depositus est. Magi Ægyptiaci Moysi denique victori concessere runt.

IV
Miracula Ecclesiæ Catholicæ toto orbe cognita proe bataque præsertim Deiparæ.

In Catholica Ecclesia miraculorum virtus nunquam deficit. omne ævum, omnisque Ecclesiastica historia, iisdem referta est. Jam triginta & amplius tomos (quorum VIII jam vidimus) moliuntur Belgæ Patres, Bollando & Henschenio auspicantibus, ubi per singulos anni dies, & superiora usque ad Christum secula, infinita penè deprehendimus miracula, ex ipsis plerumque autographis locorum, aut certe coætaneis scriptoribus deprompta, ne autoritas deesset. Neque hac etiamnum ætate gens aut natio Catholicæ religioni addicta reperitur, quæ non aliqua celebrata miraculis loca possideat. Imo vix ulla, quæ singulari Deiparæ Virginis patrocinio, in gravissimis etiam morborum ac mortis casibus, non perfruatur. Quis enim ignorare potest in Italia Lauretanam, in Hispania Cæsaraugustanam, in Germania Oetinganam, in Belgio Aspricollensem. Quorum miracula locorum non solum Europæ incolis; sed barbaris etiam nationibus, & innotuere, & quandoque etiam communicata sunt, ut constat Turcarum Bassam Corcutum anno M. D. LII Constantinopoli ex pectoris apostemate, in extrema jam vitæ linea constitu-

V
Turcis etiam explorata Deiparæ virtus.

ſtitutum, conſilio ſervi orthodoxi ad Lauretanam converſũ Virginem, ſanitati redditum, quod in chirographo his Arabicè verbis teſtatum reliquit. *Quod, inquit, bonum fortunatumque nobis eſſe velit, magnus & miſericors mundi Dominus. Cum mihi ipſi divinitus quiddam evenerit. Ego Corcut Baſſa rem omnem ordine exponam. Ortum erat atrox apoſtema in pectore, jamque haud dubium imminebat exitium. Cum, deſperata à Medicis ſalute, meus me ſervus adijt, & ſane fidenter; ſi mihi libertatem pollliceris inquit, Dei mei Matrem exorabo, ut priſtinam tibi reſtituat valetudinem. Itaque ego conſeſtim, accerſito tabellione, libertatem ei promiſi, ſi ipſe promiſſa præſtaret. Extemplo ſervus poſitis humi genibus, & quædam ſuper ſe ſigna ducens manu, rogitat, ut ſemet verba præeuntem ſequar. Inde ipſe præire his verbis cœpit: Ego B Mariæ Lauretanæ opem imploro. Monenti obſecutus, triduo poſt Deo favente, convalui. Ergo ſervo in libertatem vindicato, hoc chirographum dedi, cum votivis donis, quæ meæ obſervantiæ gratique animi monumenta ſint B. Mariæ parenti præpotentis Dei, qui nos ſalvos velit.* Venit Lauretum cum donis ſervus, obtulitq; præter argenti non vile pretium, rari operis mantile, pharetramque cum ſagittis, ac cereos ingẽtes. In Gallia meminit Gregorius Turon: excitatam à Conſtantino Magno Eccleſiam

Beyerling. in Theatro lit. M. p. 245.

Deiparæ raro viſendoque opere, pro quo exciſæ columnæ pedum in ambitu ſedecim, cum levari nulla arte poſſent, D. Virgo per quietem artifici machinam oſtendit, quâ tribus ſolum è ſchola pueris adhibitis, quò lubebet, columnas traduxit.

Greg. Turon. de gloria Mart. c. 9.

VI Recens in Hiſpania D. Virginis tibiæ reſtitutæ miraculum.

Sed memorandum in primis Cæſarauguſtanum in Hiſpania D. Virginis templum, quod vulgo dicitur *Noſtra Domina de Pilari*, quia ejus effigies in columna proponitur. Cùm à D. Jacobo gentis Apoſtolo in honorem Deiparæ excitatum, jam à temporibus Apoſtolorum hucuſque miraculis coruſcet. Quod exemplo hujus ſeculi, innumeris graviſſimiſque teſtibus probato, confirmare viſum eſt. Michael Joannes Pellicer, Calandâ Arragonum pago ortus, Valentiano in regno, apud avunculum Jacobum Blaſcum curru lapſus, tibiam fregerat, quæ malè curata, cum ſacrũ traxiſſet ignem, in Noſocomio Cæſarauguſtano, à Joanne de Eſtanga chirurgo, quatuor infra genu digitis cum pede reſciſſa, terræque mandata fuit. Ergo, ut erat conditione tenui in patriam reverſus mendicatò panem collegit. Demum anno 1640, Martii die 9, colligendo fœno defeſſus, ligneo pede depoſito, ad lectum, Deiparæ patrocinio ſe committens, abiit. Mater hora XI conceſſura ad quietem, duos in filij lecto pedes admirata patrem accerſit, qui excitato filio, cum eodem rei ignaro ad utrum-

que

que pedem obſtupeſcunt. Is verò ſubjecit, viſum ſibi per ſomnium, quod Cæſarauguſtano in Deiparæ Sacello oleum S. lampadis cruri illeviſſet. Parentes admirationeplenivicinos accerſunt. vulgatum repentè miraculum plurimos traxit, juveniſque frequenti populo manè ad templum pro gratiarum actione ductus, ac Cæſarauguſtam cum teſtibus accerſitus fuit annoque integro, ad explorandam ſolidiſſimè veritatem detentus, quæ ab Eccleſiaſtico civilique magiſtratu, multis ac graviſſimis teſtimoniis, & ſententiâ publicâ, eſt confirmata, atque ab Hiſtoriographo regio Tamayo de Vargas in regni Annales relata.

Alphonſus Veneri Hiſpanicè. Petrus Neuras Med. Doct. latinè cum longo ordine teſtium vulgarunt.

VII
In una Diœceſi Treverica variis locis inprimiſque Cluſæ miraculis celebratur.

In una quandoque regione, plura Deiparæ Virginis loca miraculis illuſtria repertu-rus es. Diœceſis noſtra Treverica in parte inferiori Antonacenſem Eccleſiam, in monte Carmeli, & Frawenkirchanam, haud procul in ſilva, diſſitam S. Genovofæ caſtiſſimæ Principis memoriâ, & tutela Deiparæ celebrem, deinde Borenhoffenſem ac denique Bleidenbergenſem, utramque peregrinationibus frequentatam cenſet: ut Biſchoffſteinianam epilepticis propitiam omittam. Superior duas inprimis, Burichianam & Cluſanam, dignitate ac miraculorum gratiâ præcipuas numerat. Ex quibus hæc longè frequentiſſima, integro mirandorum eventuum volumine eſt celebrata, teſtibuſque idoneis,

mortuorum quoque ſuſcitationem confir-mantibus, honorata. Horum & in Annalibus Trev. quædam dedimus, & in Metropoli nondum edita nonnulla exhibemus. Unum, ex viginti quos cenſent excitatis mortuis, recentius ex hoc ſeculo rarumque apponam. Barbara ex Wehlen Moſellano pago oriunda Oppenheimij, in palatinatu viro ducto, conſederat, hæc prolem enixa, ſed mortuam fuit. De cuius æterna magis, quàm temporali ſalute anxia, cum jam ſepulturæ mandanda eſſet, D. Virgini Clauſanæ peregrinationem ac cereum offerendum promiſit, ſi proles vitæ reddita baptiſmi capax fieret. bis terve idem ardenter precata, vivere prolem comperit, quæ baptiſmo admota cum idem Barbaræ nomen accepiſſet, bis quodammodo à Matre genita, rurſus inflexis in mortem oculis, cœlo adſcripta eſt. Matremque voti ream, non ſine Calviniſtarum natos ſine baptiſmo ſuperis aſſerentium, confuſione, reliquit. Idem recentius anno MDCXLI Margaritæ Joannis Schillingi cõjugi in Pruttig, mortuam prolem enixæ, pridie S. Jacobi contigit, quæ dum baptiſmi ſolam gratiam poſtulaſſet, vitam illi conſtantem impetravit. Quid? quod vidimus, anno MDCXL Rudolphum Baronem de Ulmena, cum ex deſperata valetudine ac morte imminente Annam Magdalenam de Miſſigel Lutzenburgenſem conjugem voto ad Deiparam Cluſanam facto, vitam recepiſſe conſpiceret, ejurato Cluſæ Lu-

thera-

theranismo. Catholicam religionem amplexum ; ne indignus beneficio viveret.

VIII Apud Belgas diversis locis eadē honorata, & hæreticis infesta.

Hinc si ad Belgas transeamus , præter Asperum collem, plura istic miraculis frequentata loca reperimus. Hallensis virgo prodigiis clara, & Justi Lipsij calamo exornata est. Ex quo, ut lepôre aliquo seria adspergamus , cōstat, quod, cum Oliverius Tempelius Hallas invaderet, Joannes Sibickius miles ipsius jactare auditus sit ; se mulierculæ Hallensi (Deiparam indicare voluit) nares amputaturum; nec impunè hæc scurra ; nam plumbea mox glande sibi è vultu nasum sensit ablatum, risumque deinde movit socijs, qui sæpius eum postea Hallas ad repetendum nasum ablegabant. Gravius eadem expeditione alter graviorem quoque contumeliam luit. Is Joannes Kisselmannus fuit qui medio sese Bruxellensi (unde egressi erant) foro, statuam Hallensem crematurum minatus est ; sed haud multo post grandioris tormenti globo secundum os impium verberatus , animam scelestam, ardenti consumptus pulvere evomuit.

Iust. Lipsius in Virgine Hallensi.

Verùm eius generis innumeris insistere actum esset agere. Cupidum talium lectorem ad mille Scriptores orthodoxos remitto , & ad quædam perpetua in eodem Belgio (hæreticis, quò ignorare nequeant septo) miracula transeo, meis etiā oculis, quantū brevi

temporis viæque transitu licuit, usurpata; Atrebati in Gallo-belgica non vulgari Deipara cultu Sodaliumque frequentia honoratur.

IX Miraculo candelæ salutiferæ & perpetuò ardentis celebrata. *Guilielmus Gaz. & Atreb. Pastor Gallicè & P. Ioan. Roberti in histor. S. Huberti latinè q. 5. pag. 371.*

Originem celeberrimæ istic Congregationi Deiparæ rarum ingensq; beneficium per duos oblatum Citharœdos dedit. Itierus unus, alter Normannus dictus fuit. Hi, quàm amici quondam ludendi contubernio, tam deinde hostes capitales, ob illatam germano Itieri à Normanno necem. Ibat annus Christi MCV & gravissima urbs tota conflictabatur pestilentia, humanisque erat remediis desperatum, quando implorata Deipara, per Itierum Normannumque conciliatos, offerre opem decrevit. Illi igitur, atque huic, divisim agentibus, apparet, jubetque adire Episcopum loci id temporis Lambertum, ac monere, ut primo Sabbathi diluculo adesset cum eis in templo, se quoque præsentem istic adfuturam, maloque grassanti ostensuram exitum. Normannus, ut loco propior, convenit primus, visumque exposuit; sed Episcopus pro somnio habuit, neglexitque. Interea supervenit aliunde Itierus, de Normanno ignarus, idemque mandatum sibi refert; tum Episcopus, & Normannum paulò antè proposuisse hoc ipsum; ac, num fortè colludant? subjicit; Normannus (excipit Itierus) fratris mei sicarius, cui hunc gladium & mortem debeo, hoc loco adsit? peribit mea manu. Tum Episcopus, non sine destinatione hos di-

divina sibi offerri ratus, periculi admonet, Christique exemplo suadet ignoscendum, ac persuadet denique, ut accersito & deprecanti Normanno amore Christi ignosceret. His conciliatis, primâ sabbathi luce templum subit. quibus præsentibus Deipara Virgo, cœlesti circumfusa lumine, succensum manu cereum deferens, adfuit, ex quo defluentes ab igne guttas, aquâ excipi, & hanc laborantibus propinari jussit, quæ innumeris repentè mortalibus saluti fuit. Cereus in honorem Divæ asservatus, ejusque solennibus festis succensus, inconsumptibili hactenus, per annos 500 & amplius, cerâ ardet, defluæque quot annis ex eo in aquam guttæ colliguntur, aliosque atque alios promunt cereos, pro insigni munere ad proximas Ecclesias submittendos. Aqua guttis tacta, toto anno incorrupta perstat, ac salutis gratiâ à diversis bibitur, unde & ego, post spectatum cereum, hausi. Hic, ne qua fraus interveniat, à juratis Ecclesiastici civilisque ordinis viris custoditur, nec sine testibus exhibetur. Quod verò nonnnuquam ab igne consumi ac decedere visum, hoc ubi ex capsa, cui includitur, rursum profertur insensibili accessione, velut succrevisse, videtur. Ut verò in oculis omnium ejus prostet custodia, amplæ antiquæq; in foro pyramidi inclusus servatur, Sodalitatisque eius loci hominum, quam vocant ardentium, commissus, quotannis publica solennique processione circumfertur.

 Huic

X
Alterum miraculũ perpetuũ Congregationis Bethuniensis.
Hohenberg. ex Archivo urbis: apud Beierl. in Theatro tit. Ægri.

Huic alia affinis nec minoribus celebrata prodigiis congregatio apud Bethunienses, eodem in Belgio, ſub patrocinio B. Eligii Flandrorum Apoſtoli, eſt inſtituta. Is anno MCLXXXVIII duobus Ferrariis Fabris (ut Fabrorum patronus eſt) alteri Bethuniæ in urbe, alteri Beuriaci, in pago facilè paſſibus mille diſſito, per viſum noctu apparuit, juſſitque avertendæ luis, quæ paſſim invaluerat, gratiâ, cereum conficere, & ad aram offerre. Simul hunc ad urbem, illum ad pagum tranſire voluit, communicatiſque cum primum obvio conſiliis, quid agendum ſit deliberare. In via igitur cum mutuò ſibi Fabri occurrunt, & mandata promunt; viſum eſt, pro rebus conſultò tranſigendis, Rogonem Bethunienſis ſuburbii Priorem, virum id temporis ſanctitate celebrem, adire, ejuſque ſtare judicio. Hic expenſis mandatis, cereum imperatum jubet conficere, quem ſolenni deferendum offerendumque proceſſione ſuaſit, quo facto lues ſedata eſt. Ex hoc cereo, feſtivis temporibus accenſo, nihil unquam deperire viſum eſt, Fraternitas ſubinde inſtituta eſt, cuius magiſtratus, ex vigiti honoratiſſimis urbis viris lectus; quibus cura eſt mortuorum, peſtilentiæ in primis tempore, curare funera, quod citra omne contagionis, à ſe contrahendæ, periculum, jam pluribus ſæculis præſtant, eis ſolum demptis, qui aliquid ex domo mortuali ſecum auferunt, quod impunè non audent. Fraternitas hæc ſub

ſub patrocinio S. Eligii charitatis, ab hoc di-ᶜta officio eſt, cui aliquando in templo ad ſa-crificium collectæ interfui, beneficiique lo-co habetur, ſiquis aliquo viginti virorum mor-te ſublato, accenſeri his poſſit. Cereus im-mortali hactenus lumine, ſacris ſolennibus, jam quingentis propemodum annis lucet, fra-ternitaſque, à peſtifera contagione innoxia, ſub uno Præpoſito aliiſque quatuorviris regitur, quorum imperio ceteri ad do-mos peſtiferas, & funera curanda de-ſtinantur.

Nunc ad tertium, quem & ipſe præſens luſtravi, perpetuis celebratum miraculis locum tranſeo. S. Hubertum videlicet Andainæ in Arduennæ receſſu, & Mona-ſterio Patrum Benedictiorum gloriosè cultum. Huic per Angelum ſtola à Deipara Virgine, cum Romæ à Sergio conſecrare-tur Epiſcopus ſuppeditata, claviſque à D. Petro cum gratiâ ſanitatum, rabioſis luna-ticiſque potiſſimùm impertienda, cælitus ob-lata eſt, quibus innumeri ad hodiernum diem uſque mortales curantur, remedio non minus, quàm ſanitatis eventu cunctis, qui hæc vident, noruntve, obſtupeſcendo. Sto-la enim hæc etiamnum durat, licet per annos octingentos penè indies aliquid reſecta ex parte dematur, nam ſi quibus diebus ceſſetur, aliis frequentiori ſectione opus eſt. Par-ticula verò ſolenni more quotannis, ad

I. Roberti in hiſt. S. Huberti part. 3. q. 5. & al.

XI Tertium miraculũ perpetuũ ſtolæ D. Huberti inconſũptæ, & gratiæ ſanitatum.

medii

medij digiti latitudinem de ſtola, latitudinis propè tridigitalis, amputatur, quæ minutim diviſa curandis rabioſis adhibetur. Et hanc tamen quis non obſtupeſcat, tot ſeculis perſtare inconſumptam? Vidi ego menſuram ex funiculo demptarum particularum, quam per 500 circiter annos ſignârant, cuſtodes, & præputatores ſtolæ; quæ plurium ſtolarum æquaret magnitudinem. Unde jam à ducentis & amplius annis, nullo, ut credebant, menſurandi operæ pretio, ceſſaverant. Stolæ quoque reſiduum in capſa (quâ evolvi ad dimenſionem non patiuntur) arbitratus, tam candida byſſo, fulgentique, quo intertexa mirabiliter erat, auro, comperi; ut ſi recens ex artificum manibus prodijſſet. Ratio per ſtolam ſanandi hæc eſt. præputata exilis particula è filo, ſciſsâ in fonte Rabioſi pelle, inter hanc & carnem inſeritur, fronsque per novendium obligatur, quæ decimo à Sacerdote die ſolvitur, poſt quos vulnus coaluit, natura (quod in nullis aliis humana caro patitur) filum nec conſumente, nec rejiciente. Dies verò noveni, certo pietatis victusque, qui præſcribitur, ritu, inviolabiliter tranſigendi ſunt; & ſiquid neglectum, repetendi.

Ita curatus, alterius læſi rabiem, per quadraginta dierum inducias, bis terve & ſæpius, ſi res & perſona exigat, poteſt ſuſpendere, dum limina D. Huberti curandus ſubeat. Ipſe etiam à beſtia rabioſa ite-

iteratò læſus, tridui oratione & abſtinentiâ præſcriptâ domi ſuæ uſus, rabiem amplius non contrahit. Vulnera à rabioſis inflicta clave aduſta curantur. Cuius aduſtio variis etiam animantibus ad cautelam, & immunitatem à rabioſis morſibus adhibetur. Uti & panis ad S. Hubertum benedictus. Accedit poteſtas in dæmoniacos, intoxicatoſque, ac lunaticos, ſive inſanientes, qui magno hic numero per exorciſmos ciboſq; benedictos curantur. Fueruntque eâdem, quâ aderam, ſeptimana, quibus reſtituta eſt ſanitas. Et mulier haud multò ante, ex intoxicatione catenã ferream clavoſq; trabales, vix faucibus transmittẽda (adeo craſſis hærebant anſis) evomuerat. Neq; obſcura hæc curationum fama ſolũ Belgium Germaniamq; ſed Gallias, Sabaudiamq; jam olim pervagata, ipſum Calvinum rabioſo afflictum filio, quamvis hoſtem venerationis Sanctorum (cum alia omnia remedia deficerent) eò inflexit; ut Genevâ filium Andainum deſtinaret. qui, ut intelligas divina etiam beneficia obvenire ingratis, S. Huberti ſtolâ, rituque pietatis novendiario ſanitatem recepit, Patriſque ejuratâ hæreſi, Catholicorum avitæ religioni immori conſtituit, non animo minus, quàm corpore reſtitutus. Cuius æternum Bartholomæus Honorius monumentum, elegiaco verſu exaratum ſupereſſe voluit quod in hiſtoria Leodienſi & Hubertina reperies.

XII
Calvinus ad S. Huberti patrocinium confugit.

Vide Chapeavil. tom. 3. Epiſc. Leod. in Roberto Regu c. 4. & Roberti ſuprà.

Hæc

Hæc de stola ejusque virtute miramur, &, fortè, cum stolidis etiam hæreticis ridemus? Sed cur non illud æquè, quod gravissima autoritate olim D. Paulinus Episcopus Nolanus ad Severum, missâ pro consecratione basilicæ Dominicæ Crucis particula his verbis testatur? *Quæ quidem*, ait, *Crux in materia insensata vim vivam tenens, ita ex illo tempore, innumeris penè quotidie hominum votum lignum suum commodat, ut detrimenta non sentiat, & quasi intacta permaneat, quotidie dividuam sumentibus, & semper totam venerantibus; sed istam imputribilem virtutem, & indetribilem soliditatem, de illius profectò carnis sanguine bibit, quæ passa mortem, non vidit corruptionem.* Affine huic est, multisque ut refert Bozius Eugubinus, ipse loci popularis, quod Montoni in Italia haud procul Eugubio, in spina coronæ Dominicæ evenit. Hanc quondam Fortebrachius celebris militiæ Dux oppido intulit, quæ stato quot annis passionis Christi die, expositâ in oculis conspectuque omnium flosculos ex arido pullulantes acumine, cum tenuibus florum capillis, ut spinarum sunt, emittit, simulque sudore quopiam ab hora 6 ad nonam usque defluit. Id tamen evenisse maximè in conferto populorum accursu, frequentiorique dominicæ passionis cultu, observatum est. quod, scribente hæc, & petente Bozio, Paulus Marius Episcopus Calliensis publico instrumento anno

Epistol. ad Severum.

XIII Crucis lignum divisione nihil imminutum, & spina arida florens

lib. 15. c. 35. de signis Eccles.

1472 ſub novem teſtium juratorum fide, per Moſcardinum Notarium ritè confecto, teſtatus eſt. Alia paſſim nota celebrataque orthodoxæ fidei perpetua miraculorum obſervantur ſigna; ut ſtillans è D. Catharinæ in monte Sinai, & Walpurgis in Bavaria, Sanctique Nicolai Myrenſis ſepulchro, quod Barii eſt, oleum, morborum diverſorum remedium. Sola Neapolis in Italia, plura quotannis in Martyrum ſanguine miracula conſpicit. S. Joannis Baptiſtæ ſanguis, qui lapidis inſtar in ampulla concretus eſt, feſto Præcurſoris die, dum ſacra peraguntur officia; illa, quâ caput cenſetur amputatum horâ, colliqueſcit, efferveſcitque. Idem ſpectaculum Sanguis D. Stephani, per Oroſium Hiſpanienſem allati, ibidem ſolennis tempore ſacrificii, tertia Auguſti die, exhibet. mirumque eſt, quod reſtituto à Gregorio Papa XIII Calendario, decendium, cum eodem, ceu correctione hac divinitus approbata, anticipet: quod in D. Joannis ampullâ pariter obſervatum eſt. De Januarii Martyris Beneventani Epiſcopi virtute, quid dicam? Sanguis illius phialæ incluſus, qui in pilæ formam collectus induruit, quo die ſolenni proceſſione Neapoli circumfertur, ubi in capitis ejuſdem Divi conſpectum venit, repentè ſolutus liqueſcit, &, velut modo

XIV Perpetua diverſi generis miracula.

ex vulnere defluens, solvitur, capite verò remoto in prioris figuræ sphæram rursum coactus obdurescit. Et hæc toti orbi, eiusque inprimis regionis notitiâ fruitis, explorata sunt.

Verùm non arbitror quenquam tam fore impudentem, qui hæc aliaque, quæ per omne ævum spectantur miracula, aut neget fieri, aut illudente solum Dæmone perpetrari: nisi veterem juxta novamque Christi Ecclesiam, infinitis propè testimoniis, aut mendacem arguat; aut cœcam, & diabolicâ prorsus amentia infatuatam simul affirmet. Si quod aliquando per fraudem Diabolicamque artem obtrusum sit: (quod incognitum perpetuumque Deus esse, nunquam passus est) an iccirco dānanda sunt universa? an frumentum omne rejicimus, quod fatua nonnunquam grana misceantur? aut matrimonium, vel cœlibatum Ecclesia repudiat, quod vaga quorundam libidine temeretur? Quot miraculis post Apostolos prima fulsit Ecclesia, quæ Diabolo eiusque machinamentis tribui non potuêre! An quod D. Augustinus meminit, S. Stephani Reliquiarum virtute, quinque mortuos vitæ redditos, id Diaboli artibus tribui potuit, cuius se nunquam virtus ad reddendam mortuo constanter vitam extendit? Quod oleum S. Lampadis, in Irenæi filio vitæ restituto, eodem teste, præstitit, hoc Lucifer cum omni Dæmonum vi nunquam præ-

XV An possint hæc miracula falsa esse, aut Dæmonis opepatrentur: Quidque ille nequeat, ac possit.

lib. 22. de Civitate Dei c. 8.

ib. cap. 8.

præstabit. Lignum crucis Dominicæ ab Helena Constantini Matre repertum, se repentè per mortuæ excitationem probavit; & quis iccircò dignum huic honorem, & Diabolum potius, quam Christum per lignum hoc dicat operari? *Sapienter*, ait Ambrosius, *Helena agit, quæ Crucem Christi in capite Regum levavit, & locavit; ut Crux Christi in Regibus adoretur*: quod opinor, non diceret, si Dæmonem per hanc crederet potius, quam Christum miracula perpetrare. Et si per lignum, quidni Sanctos eorumque corpora, viva Dei sacraria? Et qua ratione vitam animamque mortuis redderet, qui nec oculum quidem, aut sublatum restituisse afflicto pedem, unquam auditus est? Unus est Creator conditorque rerum, cuius solius est ex nihilo aliquid producere, vitamque ac membra amissa reddere. Dæmonis supra naturam virtus nulla, nisi simulata; potest tribui, ignes ille de cœlo deducere, tempestates ciêre, effundere potest maria, transferre per aëra homines, ficto motu mortuorum illudere corporum, exercitus formare aërios, aliisque præstigiis oculos fascinare. Quando igitur eiusmodi res sunt, quæ à Dæmone aut eius ope patrari ab hominibus possint; & autoris vita, & facti intentio expendenda sunt. Si illa jam probatis virtutibus ac sancti-

De obitu Theodosij.

XVI Dubiæ fidei miracula quâ ratione cognoscantur: autor finisque spectandus.

tate illustris sit, nullum ei cum Dæmone commercium intercedere poterit : *quæ enim conventio Christi ad Belial?* præsertim si gravissimis ista scriptoribus, à morte Sanctorum, posteritati sint commendata. Quis enim sibi persuadeat D. Gregorii Thaumaturgi miracula à Gregorio Nysseno in eius vita, & D. Basilio de Spiritu S. exarata, fictioni aut Dæmoni esse obnoxia? Quis illa, quæ de D. Antonio Athanasius & Hieronymus, de Gervasio & Protasio D. Ambrosius, de S. Stephano aliisque Augustinus. de S. Martino Sulpitius, de D. Benedicto Gregorius Magnus, de Malachia Bernardus, de Francisco Bonaventura, Sancti viri de Sanctis perscripsêre, diabolicæ fraudis arguere audeat?

2. Cor. 6.

cap. 29.

XVII D. Francisci Xaverii miracula, etiã à fidei hostib9 probata.

Sed & finis ejusmodi miraculorum spectandus est. Si fides per hæc Christiana propagetur: si pietas atque erga Deum devotio; bonorumque operum cura augeatur, Diabolus, ab his longè aversus, autor esse non poterit. Francisci Xaverii, huius & superioris ævi thaumaturgi, quàm admiranda stupendaque celebrantur opera ? Dum vita ipsius ad Romanæ canonizationis leges strictè expenditur, quinq; & viginti eius ope tam à mortuo, quàm vivente restituti vitæ, suis testibus producti sunt, qui nunc à quibusdam ad duos & quinquaginta censentur.

Unius

Unius alteriusve proderit meminisse. In regno Travancoris Cõvalani haud procul Comorino, fidem Christi pertinacius resti-tantibus inculcabat; *Cum suggerente animo* (verbis autoris loquor) *die proxime præcedenti humatum illic fuisse mortuum.* Hoc *mihi, inquit, sepulchrum pandite, cadaver quod illuc heri defodistis, extrahite, inspicite propius. Et erat mors adeò evidens, ut jam putresceret. Suspensis barbaris ausu novo, positis genibus vir sanctus, breviter precatur, surgit, defunctum compellat, ad religionis quam ipse prædicarat certam & indubitatam fidem incredulo populo faciendam, jubet sancto Dei interposito nomine, surgere, & ad vitam redire. Ad quam vocem defunctus, non quasi ex tumulo, sed ex levi expergefactus somno, vivens ac valens se nullius adminiculo attollit.* Non *sufcere de cetero hæc gesta corroboranda hortatu verborum, tantum prodigium totum peroravit.* E-*rupit omnium una vox: magnus Christianorum Deus, & vera lex, quam docet magnus* Pater. *Subinde omnes genitali ex aqua renasci velle &c.* Hæc ille, moxque aliud in ora Alicale eodem in regno factum subjicit. *Erat, ait, ex primariis adolescens pestilenti febre sublatus, efferebatur ab utroque parente, magnâ propinquorum turba funus cohonestante, iis felici casu obvius apparet Xaverius. Circumsistere omnes, Dei Apostolum deprecari, dulcissimi filii ob eius oculos projecto cadavere, rogantque ploratu non consolabili. Nec deesse vir sanctus valuit,*

Ioninus ex Bartolo in vita S. Xav. lib. 1. n. 48.

oravit, defunctum lustrali aqua sparsit, iussit funebri linteo educi, tum cruce signatum, manuque apprehensum, Christi nomine erexit, suisque viventem tradidit. Facti monumentum indigenæ Crucem loco eodem grandem statuerunt, ad quam preces deferre soliti, & quam Deus, in famuli gratiam, cuius illic poscebant opem, continuis nobilitavit miraculis. Iam tot populorum conversio, tot mirabilium fama universas pervaserat Indias: cum ultro per nationes requisitus frequentabatur earum legationibus, & literis, quibus vocabatur. Quid magis admirandum quàm quod Malacæ Mulierem pro filiæ jam triduò sepultæ, vita obnixè deprecantem, jusserit ad tumulum abire, & filiam terra regesta viventem recipere, quæ & fidem viro sancto habuit, & vidit restitutam? quid magis stupendum, quàm quod filium Mahumetani in Chinensi navigatione, ante sextiduum ex navi delapsum submersum, non tantum vitæ sed maximo aquarum intervallo, eidem navi restituerit?

Alia ab eodem supra naturæ vires effecta sine numero, nec integris quidem libris comprehenduntur, quæ vix tam aversus hactenus ab orthodoxis homo repertus est, qui improbaret; quòd eis per latissimas Indiarum plagas, religionem Christianam inter gentiles provectam adspiciat, & pietatis Zelum per Europam videat inflammari. Certè de Indiis Halcuiti Angli Romanorum ho-stis

ctis, hoc testimonium, Francisco datum, legimus; *Pius, ait, ille Confessor, & solers Indorum institutor, post multos exantlatos labores, post iniurias & calamitates magno animo superatas. omnibus benedictionibus spiritualibus plenus obiit, anno 1552. postquam multa millia ad fidem Christianam perduxisset. De hoc viro, virtutibus eius, ac mirabilibus, omnes recentes Indorum historiæ testantur.* Talis igitur si inimicis ipsis visus sit, Deique virtute apud Indos religionem Christi propagavit, an Diaboli virtute apud Europæos, & post mortem quidem, operari hodiedum tam admiranda, propulsatâ superioribus annis à plurimis mortalibus lue, poterit? Equidem hominum ego, talia asserentium, vel temeritatem, vel amentiam non assequor. Natura operum, persona exequens, finis consequens, omni ratione, tam immanibus contumeliis reclamant. Iuvat hoc loco præteritis singularibus Xaverii facinoribus, ipsius Rectoris S. Ignatii de Loiola peculiare factum prodere, & heterodoxis examinandum offerre; ut judicent, quo illud autore, Diabolo an Christo, perpetrasse censeant. Barcinone is agebat, cum ex Lysanis duobus fratribus lite commissis, alter causæ sibi abjudicatæ dolore, ad eam desperationem redactus est, ut suspendio sese præfocarit. Erat domus in vico Bellioco mare versus, ubi, re à familia-

XVIII. D. Ignatii factum a Diabolo alienissimum.

Dan. Bart. in vita D. Ignat. lib. 1. c. 29.

 milia-

miliaribus comperta, ingens lamentatio, & vicinorum concursus, funestum hunc exitum deplorantium, fuit. Ignatius ex Parthenone Angelorum hàc transiens, eodem subit, animæque infelicis potius, quam corporis cladem miseratus, funem, rescindi jubet, ac cum nullum superesset vitæ vestigium, ad preces se Deique misericordiam implorandam convertit, tantillumque solum vitæ reducis spatium rogat, quo de suis dolere peccatis, & confessione scelerum peractà ritè posset expiari. Nec frustra. Cunctis (ut Auditores Rotæ in facti examine loquuntur) stupentibus, Lysanus ad vitam rediit; ac, ne dubium foret, cuius id factum precibus, confessione peccatorum atque expiatione peractâ, cervicem rursum oculosque in mortem inclinavit. quod unicum miserantium tantâ in calamitate fuit solatium. Potuitne hoc in miraculo humanæ aut diabolicæ fraudis suspicio oboriri?

Plura non ingeram. Qui enim tam manifestis Catholicæ veritatis argumentis non impellitur, huius expugnandæ pertinaciæ nulla unquam suffectura putem. Negare factum & tam recens, & validissimis firmatum testimoniis, & paribus factis aliis stabilitum impudentis erit; asserere diabolicum, protervè calumniantis, nolle in tam manifesta religionis luce, veritatem intueri, voluntariè cœci, vilemque animam orco immolantis.

Cum

XIX Quanta hominũ perversitas sit, & unde nata quod, in tã manifesta veritatis luce, errare pergant.

Cum tamen ad miracula Christi, mortuos quoque in vitam revocantis, pertinax immo-taque Judæorum gens, suo in errore steterit; quid mirum, si idẽ hoc tempore experiamur. Tanta videlicet mortalium perversitas est; ut etiam cum peccare se non nesciat, perire tamen, quam præsentibus abire commodis ac cupiditatibus renuntiare malint. Quod cum tot, inter ipsos etiam orthodoxos, præceptorum Dei prævaricatores abundè testentur; quid ni igitur, ubi speciosum aliquod solutæ vitæ cupiditas velum reperit, istic pertinaciter adhærescant? Miraculum, clamant hæretici, est, quod Lutherus Calvinusque, brevi temporum intervallo, tot mortalium suæ autoraverint religioni. Ego verò majus esse miraculum censeo, quod plures eisdem restiterint, adeò in malum præcipites homines, quàm quod alij fuerint obsecuti.

Quis enim nescit, quod vitæ libertas, etiamsi dissuasores habeat, non satis vitetur; & miremur, si suadentibus illam, impunitatemque ac virtutis etiam speciem obtendentibus, plures obsequi non recusent? Interea, ut malè peccantium adversus divinam legem error ac multitudo, sequaces à scelere & pœna non eximit; ita nec in fide aberrantium frequentia asseclas novæ nullisq; miraculis probatæ religionis excusabit. Sed stabit immota hæc veritas; ad tantã miraculorum lucem in vera Christi Ecclesia refulgentem, quicunque

Joan. 15. oculos clauserint: *excusationem non habent*: nec invincibilis eos ignorantia coram supremo Judice poterit, suo in errore, tueri.

XX. Alia quoque suppetunt Ecclesiæ orthodoxæ signa conspicua; sed miraculorum gratia, ad ignorantiã tollendã, sufficit.

Possem alia hoc loco signa, toti Christianorum orbi conspicua, ut successionem Pastorum, & orthodoxæ Apostolicæque doctrinæ prædicationem in Ecclesia Romana perpetuam; tum verò unitatem consensionemque in fidei substantia, per omnes mundi partes singularem, incognitas universis hæreticis dotes, exhibere; quæ tam aperta rursum sunt, omniumque oculos atque aures ferientia, ut latere vix quenquam possint, frustraneisque adversariorum artibus commentisque arguantur; sed cum virtutem miraculorum Christus ad expugnandam infidelium pertinaciam roborandamque fidem nostram sufficere declarârit, & superiora illa successionis atque uniformitatis argumenta, ab alijs abundè exposita sint, à me etiam in Conclusione Meditatæ Concordiæ, ex ipsis adversariorum principiis communique opinione, deducta sint, tut, qui constantem verbi Dei Apostolicæque doctrinæ prædicationem, Sacramentorumque divinorum administrationem, pro infallibili orthodoxæ Ecclesiæ signo habeant; ad hæc cupidos solidioris probationis remittere, quam otioso hic labore regerere malui.

Quo-

Quocirca sic argumentor. *Quicunque manifestis, & à Christo præscriptis totoque orbe cognitis veræ Ecclesiæ religionisque signis, ad eam amplectendam non moventur, hi per invincibilem ignorantiam non possunt excusari.* Subsumant adversarij, & qui tales sint, maturâ, & à partium affectibus liberâ, illatione concludant: ne graviorem contra obtrectatores supremus Judex sententiam inferat.

XXI Catholici coram supremo Iudice sua in fide securi; Protestantes inedefensibiles.

Equidem, ut facilem video Romanorum coram hoc Judice rationem fidei poscente, ita difficilem planè Adversariorum exitum. Respondebunt illi; secutos se fidem universo orbe prædicatam, quamq; ipsi hostes Catholicam esse professi sint, majores institutione sua ex scripturâ S. Patribusque, perpetuâ successione firmatam tradiderint; cùm alij ex his, per schismata & hæreses divisi, abierint; sacramq; scripturam, non ex veterum traditione sententiaque; sed propriâ interpretatione, contra ipsius scripturæ monitum, exposuerint; novos incognitosque, tanquam veteris Ecclesiæ sensus, magnamque vitæ libertatem, suspectâ hæreticorum illecebrâ, obtruserint: nec tamen, doctrinam hanc novitiam Christi esse, ullo miraculo contestati sint; cùm passim miraculorum gloriâ totâ Ecclesia Catholica illustretur, multorumque, per omne seculum, hominum sanctitas eandem ornarit; per hanc latè gentes, & nationes barbaræ ad Christi agnitionem cultumque adductæ sint;

ut rationem, Deique promissa, sacram scripturam, & instituta majorum sequendo, ad aliam se Ecclesiam transferre, conscientiâ salvâ, non potuerint. Quid verò hic nostri Protestantes? Sacram, fortè dicent, scripturam secuti sumus. Sed quis interpres? nosipsi. Ergone vos in sensu illius eruendo infallibiles? vestromet judicio vos arguo; *homines estis, potuistis falli*. Nunquid tutius longè erat, stare Majorum totiusque Ecclesiæ receptâ jam olim interpretatione, tantâ hactenus miraculorum luce illustratâ; quam proprio, novo, & ad omnem vitæ libertatem ducente, sensu niti? Quid adhæc? Heu, infelices! *Melius vobis erat, non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod traditum est.* Hæc expendite dum licet, corrigite dum potestis; veniet tempus, cùm neq; licebit, neque poteritis.

Serius hic sapere desipere est.

CAP.

CAPUT XXVI

Quod Concordia in religione frui Germania nequeat, quorundam Protestantium, malevolentiæ tribuendum; & quinam isti quam malè fundati.

QUod illa felicitate Concordiæ, quæ in religionis societate consistit, frui Germania imperiumque Romanum, quam jam dudum Catholici spectarunt, non possit, solam facere quorundam Protestantium inexorabilem inflexibilemque pertinaciam, & illorum præcipuè qui ex studiis eristicis ac prædicatione novi Evangelij alimenta sectantur, certis rationibus palam faciam, ut reliquorum ad Concordiam inclinati animi, & fraudes istorum hominum facilius penetrent, & incumbentia sibi cum eisdem salutis discrimina evitent.

I Via ostenditur inclinatis ad Concordiam Protestantibus, ad aliorum fraudem pertinaciāq; deprehendendam.

In rebus, inter homines dissentientes, controversis, ita ferè evenit, ut penes se quisque æquitatem, penes adversarios stare iniquitatem causæ interpretetur. Quare syncero inter hos arbitro hoc inprimis agendum est, ut, sepositis partium affectionibus, ceu medius, velut inter filios Pater, adsistat, & causæ tantum momenta ponderet. Unde in Nova praxi indagandæ veritatis, hanc animi indifferentis virtutem ante omnia postulavi, quam si solam in hac mea dissertatione impetrem, persuasi.

Non

II. Quo discrimine Catholici & Protestantes verbum Dei sibi vendicent.

Non sumus nescii præcipuam à Protestantibus culpam discordiæ in Catholicorum obstinationem animi, cedere ad clarum Dei verbum detrectantis, una omnium voce, derivari. Negare verò hoc ipsum Catholicos æque est exploratum; sed profiteri nullam sese agnoscere fidei veritatem, quæ verbo Dei, per revelationem cognito, non innitatur. Ita est, & qui secus asserit, aut ignorantiam suam, aut malitiam prudentibus manifestat. Illud solum inter diffidentes in asserendo negandoque discrimen est; quod hi, ut ajunt, præter verbum Dei scriptum, etiam traditum ex S. literis agnoscant: illi scriptum, sua satis significatione definitum, clarumque, ad necessarios fidei articulos, esse affirment; hi, sine tradito, definitum inde in controversis fidei thesibus sensum haberi posse negent: illi per necessarias infallibilesque consequentias hunc inferri asserant, Catholicis manifestè fallibilitatem earum arguentibus, eò quod nihil plurium capax sensuum, simul possit uno esse eodemque sensu definitum ac necessarium. Quæ infra pressius discutiemus. Alteram discordiæ culpam imperitiores Protestantium, aut certè malevolentiores (quibus nihil interest verane, an falsa commemorent) in Pontificum Rom. fastum elationemque conferunt, ut præter Concordiæ meæ Antagonistas nuperum quendam religionis nostræ Apostatam

III. Criminationes Protestantiū in caput Romanæ

fecisse

fecisse memini. Cum illos non tantùm supremam in Ecclesiasticis rerumque credendarum articulis dictaturam occupasse, verum etiam in politicis super Reges Principesque jus dandi auferendique regna invasisse convitiantur. Unde universos mortales ad pedes suos prostratos videre gestiant, excommunicationis quos lubet fulmine perstringant; juramentorum alios fide absolvant. Verbo, quandam Dei in terris potentiam æmulentur: atque interea suis non raró vitiorum sordibus ad infamiam usque immergantur, ut credibile non sit, tale, tamque dissimile Apostolicæ vitæ instituto, caput suæ Christum Ecclesiæ imposuisse; sed ad Antichristi dominatum tantam arrogantiam ablegandam esse. His aliisque criminationibus integros libros infarciunt, seque per hæc abunde Ecclesiam Rom. confutasse arbitrantur.

Ecclesiæ Pontificē jactæ, confutantur.

Verum ut in his falsa veris miscentur, variæq; controversiæ ac calumniæ, jam diu à Bellarmino aliisq; discussæ tanguntur; ita paucis eorum facile vanitatem, tum hoc loco, tum sequentibus ostendero. Et I hic vix quicquam esse, quod fidei orthodoxæ substantiam tangat evertatq;, jure sentio. Quid enim si Pontifex fastu atq; ambitione regnandi efferatur, aut etiam vitiis, domi sordescat, an iccirco Christi fides (in verbo illius, non in homine aliquo eiusque moribus fundata) evertetur? Tuâ quid refert, quæ ipsius vita sit, de qua nūquam rationem à supremo judice posceris? Do-

Doctrinam illius totiusque quam regit Ecclesiæ intuere disciplinam. Nam *super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi,* & tamen fidelibus dictum, *omnia quacunque dixerint vobis facite, secundum opera autem eorum nolite facere.* Nec Lutherani, nec Anabaptistæ, nec Calviniani habent magnopere, cur glorientur in suorum capitum sanctitate, domique suæ purganda invenient, ut non sit cur alienas sordes tam anxiè rimentur. Romanus ager siquæ attulit lolia, etiam segetem præstantissimarum frugum dedit, in viris omni honore ac memoria dignissimis, qualem ad calendas Græcas à Sectariorum Ecclesia exspectabimꝰ. Jam verò quod ad supremā jurisdictionem summorū Pontificū attinet, quos *Deus posuit regere Ecclesiam Dei,* & quibus, tradidit *claves regni cœlorum,* ligandique ac solvendi potestatē in terris summā tribuit; hanc par est Reges etiā Principesq; agnoscere, eiq; , ut Pastori oves, subesse, qui & ligare ac plectere refractarios poterit, & vinculis noxiis impeditos absolvere. Defensores ex his, per imperiū regnumq; etiam terrenum inunctos, suæ creare Ecclesiæ, & huius subversores, quacunq; defensionis iustæ viā poterit, amoliri. Quibus summi boniq; Pastoris officium, & oves Christi propugnantis, & lupos profligantis continetur. Cui si propterea supremus honor majestasq; in christiana accesserit rep. post Constantini Magni, Regumque mundi subjectionem, qui abjecti tugurij pallijque in sordibus suum caput Pastoremque noluerunt immo-

Mat. 23.

tari, quid est, cur æquo æstimatori stomachum nauseamq; moveat? Sed his, per quæ fidei substantia, nec adstruitur, nec destruitur, non lubet inhærere.

Quod ad rerum credendarum in rebus controversis judicium definitionemque attinet, hoc rursum agit, quod Pastorem & Ecclesiæ universalis Doctorem decet, cuius est subditos à veritate fidei aberrantes, sanà institutione revocare, credendaq; exponere. Quibus tamen non acquiescentibus, totius Ecclesiæ senatus in concilio œcumenico collectus auditur, quodque ille demum statuit, cum suo capite, hoc pro regula fidei habetur. Hæc tot seculorum consuetudo, jam superiori etiam seculo, adversus Lutherum, Calvinum, & reliquos Sectarios usurpata, cum latere adversarios non possit, quæ protervia aut ignorantia illorum est, asserere quod Romanus Pontifex pro arbitrio fidei nostræ articulos cudat, eandeinque fingat ac refingat? Illud quidem haud inviti fatemur, quod in exorta aliqua sententiarum per Ecclesiam hæresi, ab ipso velut capite & ore Ecclesiæ, membrorum directio, & controversiarum definitio exspectetur, quâ si deinde Ecclesia acquiescat, ut in Jansenismo emergente proximis annis factũ, de veritate non ambigimus; quod Ecclesia cũ suo consentiens capite errare nõ possit. Neq; pro hac certitudine, ut fingunt Adversarij, ad solam Papæ infallibilitatem nobis recurrendũ est, quando fide divina & ubiq; recepta, certi sumus, universalẽ Ecclesiæ errare non posse.

IV In cõtroversiis fidei definiẽdis, ut Pastor supremus Doctorq; suos instruit subditos, & per Ecclesiæ cõsensũ certos reddit.

Et hoc nobis in quavis controverſia aſylum ſecuritatis ſemper patet,neque ante tenemur credere, quam nobis de ipſius conſenſu exploratum eſt,cui Deus Spiritum veritatis & indefectibilem fidem promiſit.

Et hæc Cynoſura noſtra eſt,ad quam ratim dirigimus. Eccleſiæ conſenſus requiritur,etiam cum de ipſius Pontificis infallibilitate eſt quæſtio. Antequam igitur Adverſarij Catholicorum hac de re doctrinam infeſtis calamis atque ore proſequantur,par eſt, ut expendant; num illam,ut fidei articulum, verbo Dei nixum; an ut Theologicam ſolum aſſertionem,cui nonnulli etiam orthodoxorum obnitantur,proponant: ne ſolis tantùm in Romanos calumniis improbè graſſentur, ventoſque pro veritate amplexentur. Cæterùm hac in cauſa haud difficulter evicero,plus ſibi autoritatis juriſque in definiendis rebus fidei controverſis,non ſolum Proteſtantium arrogare Senatores ac Principes; ſed & privatum quemque Acatholicorum, quam ipſe Romanus in Cathedra Pontifex.

V Proteſtātiū Principes in rebus fidei cōtroverſis definiendis plus ſibi arrogant autoritatis quàm Rom. Pōtifex.

Inprimis hactenus in Eccleſia Dei inauditum eſt, quod profani homines in rebus fidei controverſis,ſibi poteſtatem definiendi arrogent. Jam tamen quid factum ab Hollandiæ Proceribus in diſcordia Arminianorum & Gomariſtarum, tam in Dordracena ſynodo, quam extra eandem fuerit,illis ad ſilentium exiliumque damnatis; quid deinde in Haſſia Rentelenſes inter & Marpurgenſes,

in eandem Ecclesiam, tam pugnantibus inter se fidei articulis, imperio Principis conflatos; demùm quid inter Wittenbergenses & Calixtinos in Saxonia, quamvis invitè sociatos, actum in re satis nota, & alibi in Concordiæ Meditatione exposita, hic repetere prolixius non attinet, monuisse sufficit, solâ Principum ac Magistratus secularis definitione in rebus fidei coactos acquiescere: quando alius inter pertinaciter, etiam in synedrijs, dissidentes exitus non poterat reperiri. Hanc igitur si nos Pastori summo, quam suis Protestantes Magistratibus autoritatem, indulgemus, an jure possunt indignari? Quid? quod in Romana Ecclesia ad Concilium provocantibus, ut Hussi ac Lutheri tempore patuit, via facta sit, cum Protestantibus à suorum Principum decretis, ad scripturam Judicem ultimum, aut etiam ad Ecclesiam universalem suam provocatio, ceu inutilis ad consensum non pateat. Unde manifestum est, quod ab ultimo controversiarum suarum Judice scriptura S. ipsimet (sive ad Magistratus, sive etiam Synodos abeant) probrosè discedant, adeoque ridiculè ab infallibili, ut sentiunt, Judice ad fallibilem, pro definitione controversiarum fidei, transeant.

Jam consideremus hinc Pontificem Romanum res fidei controversas definientem, & cum quolibet Protestantium, in certi-

tudine sentētiæ comparemus. Pro illius in definiendo veritate sic possumus argumentari: Quandocunque Pontifex loquitur, ex mente totius & universalis Ecclesiæ, nō potest in rebus fidei errare; sed in definitione tali ita Pontifex loquitur, quia ut os Ecclesiæ eiusdemq; Pastor loquitur, supra quem fundata Ecclesia est, quam portæ inferorum nunquam subruent. Licet enim tali e.g. casu (ut in Lutheri discessione) Ecclesia in partes scissa secum dissentiat; tamen istic ubi capiti subdita cohærēt consentiuntq; membra, vita solum, Ecclesiæque sensus verus esse deprehenditur; istic verò mortua, ubi à capite divulsa est. Et hæc infra, ubi de Petro. petraq; agendum, stabilientur. Quid videtur Protestantibus? tantumne illi præsidii rationisq; pro suis fidei definitoribus habituri sunt? Ubi non soli Principes, sed quot capita, tot Pontifices, qui credenda sibi ex scriptura definiunt, ijq; ut sentiunt, infallibiles (quis enim se falli posse credit: aut si credit, quomodo de veritate securus est?) reperiuntur, adeò quod in uno Petri successore temerè reprehendunt, hoc illorum centena millia, insana persuasione, committunt, dum sibi ex S. scriptura, quantumcunque controversa, ultimam dijudicandi, ipsos etiam Doctores synodosq;, potestatem reservant, ut nec proprium quidem Patriarcham Lutherum aut Calvinū hoc suo judicio eximant, eumq;, ubi visum, tanquam perversum scripturæ interpretem damnent, suamq; interpretationē ac sen-

VI Privatus quisque Protestantiū plus sibi arrogat in definiendis fidei articulis, quā Romanus Pontifex licet os caputque Ecclesiæ sit.

ſententiam, velut infallibiliorẽ præferant. Et quid hoc aliud demum eſt, quàm ſe ſolum, in formando ex ſcriptura judicio, ubi falli omnes ut homines poſſunt, conſtituere infallibilem? ut quot deniq; inter Proteſtantes capita, tot reperiantur definitores, niſi Principes ſua autoritate intercedant, rerũ credendarum Pontifices. Negent, ſi poſſint tantam abſurditatẽ Novatores, qui & doctores ſuos, & concilia, & Principes falli poſſe, in ſcripturarum & articulorum fidei expoſitione conſtãter tradunt, atq; in ſuo demũ judicio ex ſcriptura formato tanquã ſecuro acquieſcunt, ſecurũ autem nihil eſſe, niſi infallibile non poterit. En quo poſtremũ amentiæ devoluti ſint, poſtquã ab infallibili Eccleſiæ Catholicæ judicio (cui ſoli in fide divina nos conformamus) in ambigua ſcripturæ, & rerũ credendarũ diſceptatiõe deflexerũt, ut ſive ſuis ſynodis, ſive Principibus, ſive ſcripturæ S. aſſentiãtur nunquã tuti ſint.

Mirum eſt, quomodo omnem hic formã vultumq; adverſarii induant, ne tantæ reprehendantur ſtoliditatis, quæ cum omni humana divinaque ratione pugnat. quod pluriũ conſentiens interpretatio unius jure ſententiæ, ubi de conformitate articulorũ cum verbo Dei agitur, ſit præferẽda, quis enim neget, ubi omnes errori in judicando obnoxii ſunt plus tribuendũ decem conſentientibus, quam diſſentienti uni?

XVII
Proteſtã-
tiũ quili-
bet ſe toti

Quare ſi hac eos parte invadas, dicaſq; plus ſanctorũ Patrũ in Eccleſia præſertim veteri,

Ecclesiæ in scripturæ præfert intelligentia.

sententiæ, in scripturæ sensu conspiranti; plus synodis Ecclesiæque Doctoribus in ea congregatis, quàm merè unius expositiōi sententiæque tribuendum: admittunt negantque, se à priscis discedere orthodoxæ Ecclesiæ Patribus, eiusque synodis, Doctorumque consensu velle.

At si urgeas: cur igitur, vel Lutherus, vel Calvinus alijve discesserint, totique Romanæ Ecclesiæ, per oppositam scripturæ sacræ expositionem objecerint sese? an non omnibus contra unum alterumve jure adhærendum? repentè, mutatis velis, à Patribus, Doctoribus, Synodis, Ecclesia deflectent, talesque & errori fuisse obnoxios, & facto ipso aberrasse, pronuntiabunt: Lutherum autem, vel Calvinum, magis conformia tradidisse scripturis, propptereaque his adhærendum. En vertiginem insaniamque Anticyris dignam, qui ante judicabant, in oppositis scripturæ interpretationibus, plures uni præhabendos esse; nunc, versâ ad Lutherum fronte, unum toti Ecclesiæ præferunt. utque absurdiori etiam prævaricatione adversus veritatem omnemque rationem pugnent, ubi Ecclesia universalis Catholicorum Lutherum difformia sacris literis tradere sentit, istic privatus quisque Acatholicorum suo judicio statuit, conformia illum tradidisse. Et licet in Lutherana Ecclesia plures hoc sensu conveniant; tamen nemo hæc aliis credit errori obnoxiis; sed suo solius judicio, ex scriptura

ptura & conformitate Lutheri deprompto. Si causam huius infallibilitatis, quâ firmantur, quæras, scriptura, inquiunt, & Dei verbum est, quod fallere solum non potest. Vide insignem stoliditatem. Eadem scriptura est, quæ objicitur, & ex qua judicant omnes. Si ergo, ob infallibilem scripturam, infallibile judicium est credentis, nemo omnium, licet contraria ex illa judicantium, errabit: aut, si errat, manifesta fraus est, negantium se errare, quod infallibili Dei verbo nitantur. Ex judicio igitur infallibili cuiusque hominis de veritate, Spiritu, ac sensu scripturæ tota pendet credentis securitas. Quam cum quisque privatus suo, non Synodi, aut Ecclesiæ judicio, tanquam infallibili, tribuat, plus sibi quisque Protestantium, quàm Romanus Pontifex in fide autoritatis vendicat, cùm hic etiam à suo ad Ecclesiæ transire judicium, eique infallibilitatem soli deferre cogatur. Qui hæc nescit, aut negat, vel ignorans, vel malevolus est.

VIII Diversorũ diversa, ex eadem tamen scriptura judicia.

Denique observa palpabilem istorum hominum fraudem ac væcordiam, quâ & seipsos & alios dementant. Infallibili, ajunt, scripto Dei verbo nitimur, ideoque non possumus falli. Et tamen ex tot volumînibus scriptorum contravertentium, imo ex ipsa, cui innituntur, scripturæ literâ compertissimum est: nullum esse eius locum fundamentalem, quem contra Romanos producunt, qui non ex vi significandi

IX Scriptura S. plurium sensuũ capax eius diversitatis objectivũ Principiũ: unde formalis sententiarũ dissensio est.

 plu-

plurium sensuuum capax sit, sive cum aliis scripturæ locis, sive cum linguis originalibus, sive cum vocabulariis etymorumq; expositoribus cõferatur. Patetq; re ipsa, cum alius aliusq; à diversis, pro cuiusque lubidine sensus arripiatur. ut e.g. *Hoc est corpus meum.* quod ex natura vocũ, tam de vero, quam figurato corpore, & tam de pane, quã Christo potest universè loquendo sumi. Unde factum, ut aliter Lutherus aliter Caroloſtadius, aliter Zwinglius, aliter Calvinus intelligat; & tamen singuli horum se infallibili scriptura niti affirment. Manifestè igitur hæc prætensio falsa & vecors est; sed nulli nisi proprio pertinaciq; judicio, obstinatè, hæreticorum omnium, more, adhærent, quod ut tueantur, obtendunt scripturam; non ut catholici, juxta veterem Ecclesiæ sensum, & interpretationem usurpatam; sed vel juxta mentis suæ, novitatẽ in sensu captantis, lubidinem; vel juxta novarum confessionũ suarum analogiam & conformitatem. Illud primi Novatores hoc illorum asseclæ faciunt. Unde etiam passim in ore & calamo ipsorum est, in dubijs scripturæ sensibus recurrendũ ad libros symbolicos, & fidei anologiam. Et hinc, ut supra docui, apud Lutheranos Luthericè, apud Calvinistas Calvinicè Scriptura sancta (quæ tamen apud utrosque eadem est) exponitur. Quod nisi diversis Confessionibus extra S. scripturam adhæreant, prorsus erit, in tanta ingeniorum judiciorumque, ini eodem

etiam

X. Primi Novatores religiõis aliquẽ sibi pro arbitratu cõtra Romanos sensũ asseclæ verò suorũ ducũ, pleriq; sententiã delegerũt. Vnde ex sola scriptura nil definitè probãt.

etiam climate differentia, impossibile. Ita, qui Catholicam Ecclesiam eiusque consensum reliquerunt, jam unius, vel Lutheri, vel Calvini, vel Mennonis, commenta amplectuntur. Porrò qui istorum hominum irrationalem nulloque nixam fundamento pertinaciam intueri & admirari fusius voluerit, is ***Meditatæ Concordiæ*** partem primam Tractatum secundum adeat, ubi pluribus illam inveniet probè detectam, & confusam.

Ad quæ cum hactenus argumenta, licet coram toto mundo à me postulatæ Academiæ Theologicæ, seu quicunque alii publica Ecclesiarum suarum (ut à me præstitum) Approbatione freti, conticescant: desperatæ causæ infamiam ac dedecus subire, ni veritatem admittant, planè coguntur. Ut Clarissimus D. Andreas From Theol. Licent. & apud Lutheranos Diœcesis Brandeburgicæ Præpositus, in nupero ad Catholicos transitu, inter suæ Conversionis Motiva non erubuit confiteri. Cui, ut video, Nifanius Ravensbergensis Theologus ita occurrit, ut pænè universa, quæ tractat, adiaphora sint, res verò ad substantiam fidei pertinentes desperatè vel prætereantur, vel pertractētur. Ad postulatam meæ Concordiæ vel acceptationē, vel refutationem singulorum, (præsertim tertiæ partis) quod attinet nequeunt,

XI. Impossibilitatem suo fatentur silētio cum provocati inexcusabiliter obmutescāt. 1. Pet. 3. 15.

à tam

à tam iniqua detrectatione purgari, si bonæ causæ æquitate freti subsistant. Cum in Electoralibus Francofurtensium Comitiis, publicata ad concordandum ex scriptura S. Confessione Catholicorum invitati, eandem Lutherani acceptare visi sint, atque iteratò, vulgatæ suas majori charactere (ut infra testatum faciam) opiniones interseruerint; ideoque, meditandæ porrò concordiæ mihi suggesserint occasionem. Quâ fretus, quid Protestantibus ad plenam Conciliationem præstandum, quemadmodum Confessiones ex Scriptura S. reformandæ, & hæc, non nisi ex mente Veteris primævæque Ecclesiæ, interpretanda: orthodoxa denique Ecclesia ex ipsis Protestantium signis agnoscenda, prævio ad rem exemplo omnibus concordiæ amatoribus exhibui. Et quid obsecro est, cur tam æquis, ut supra ostendi, postulatis, pro veritate indaganda, pro concordia, in tam fœdè scissa religione, instauranda, pro sua denique, & tot aliorum mortalium salute ex manifesto præcipitio revocanda, morem gerere detrectarint? ubi divinæ honoris cura, proximorumque ac patriæ totius amor? Cur non subscribitis, ubi manifesta veritas est? abjuratis, ubi damnandus est error? Admittere errorem hominis est; agnoscere cum resipiscentia, prudentis ac demissi; perseverare in agnito contumacis ac desperati. Vestro vos bono provocavi & commodo, nil exegi, nisi quod ipsi sponte aliàs obtulistis, lege tantùm

&

& methodo ad veritatem explorandam aptiori, quâ si offendamini, salutem concordiamq; non amatis; si uti recusetis, opprobrium in errore contumaciæ non vitabitis. Turpe est fugiendo latere velle, quando hostis, abjectis etiam armis, occurrit armato, telisque adversarium suis uti jubet, cessurus in illius captivitatem, si vincatur, licet inermis. An non illud actum? Monui, incitavique, ut scripto Dei verbo ad vestras sententias propugnandas, nostrasq; infringendas pro viribus uteremini. Suggessi etiam scripturas in vestris Confessionibus ad sanum judicium formandum desideratas, vestris ubique principiis usus, ut tantò magis probarer vobis, placeremque; at quo animo hæc à nonnullis accepta sint, haud multò post apparebit.

Sed Antonius Gunter Frizius in suis considerationibus Politicis, me privatum hæc sine autoritate ac mandato Pontificis, Generalis nostri aliorumque in imperio Procerum, ad Concordiam meditatam prodire miratur; utque illam ante præstem, quàm hanc postulem, exigit; neque ab Academiis Protestantiũ citius responsum exspectem, eosq; tam arroganter provocem. Cuius deinde vestigiis Ursinus Ratisbonensis, superintendens inhæsit, eadem probrosè regerens.

Consi. 2. & 6.

XII Approbatio Concordiæ ex mea parte sufficienti autoritate est præstita.

Frigidum sanè extortumque à desperatione bonæ causæ subterfugium. Plusne quis-

quam à me æquus arbiter autoritatis publicæ, quam attuli, requirat ? Dedi ipse ab Ecclesiæ Coloniensis, in qua tunc versabar, Censore Adriano Waleburgio, nomine Archiepiscopi, eiusque Archiedicecesalis Ecclesiæ subscribentis, dedi ab universitatis eiusdem summo Rectore, dedi Generalis Præpositi Societatis nostræ approbationē, per Provincialem eius mandato expeditam. Addidi & parte altera eiusdem autoritatis viros; etiā Archidiœcesis Moguntinæ Suffraganeum Episcopum Petrum Waleburgium sui Electoris vice hoc scriptū consiliumq; meū rati habentem; idq; supra consuetū societatis nostræ morem, cum Romana Ecclesia sola Generalis Præpositi Approbatione (quæ non nisi Theologorum examine ac subscriptione prævia obtinetur) plerumq; acquiescat. Deinde sub patrocinio sum̄i Pontificis, cui, & dedicavi, & per amicos exhibui cum egregia illius volūtate, quam mihi per literas Cardinalis Rospigliosij, postea Clementis IX significavit, cuius opinor testimonium dare poterit Celsissimus Princeps Padebornensis Ferdinandus, tum Romæ in aula præsens. Quin & Imperatori Romano Leopoldo, Electoribusque tam Protestantium, quàm Catholicorum & dedicavi, & obtuli per me, aliosve: omnibus promptam, inprimisque Moguntinensi, præcipuo Teutonicæ Ecclesiæ capite, ad conciliationem animum adferentibus. Et Protestantium unus quidē versionem Germanicā flagitavit (quæ

&

& præstita est) alius perlectâ Concordiâ, moderationē scripti laudavit, de tertij mihi sensu nihil relatum est. Ceterum suis illi exhibuere Theologis, qui longo hactenus ad rem præcipuā silentio testantur, ea se concordandi lege desperare victoriam, maluntque errorem dissimulare, quàm deponere.

XIII
Prævisa adversariorū in errore defēdēdo impossibilitas animos provocādi fecit, quos commiseratio pereuntiū accendit.

Quæ, cum præsaga mente futura prospicerem, via ac ratione quavis, modo non illicita, censui perurgendos; ut quos salutis communis amore non possem, saltem pudore, in tam honesta & æqua provocatione non comparendi tangerem: ne concordiam & Patriæ tranquillitatem aversari, suaque in causa religionis desperare viderentur. Ut ut igitur hoc factum meum interpretentur adversarij (quorum plerorumque, si pertinaciter suo errori insisterent, de me judicium, jam tum scribens, parum semper æquum exspectavi, contempsiq;) ego Deum conscientiamque meam testem habeo, & Fritzium quoq;, si comparemus in judicio, ad quod provocavit, habiturus sum, me certissimæ exploratissimæq; aberrationis Protestantium detestatione, & veritatis Catholicæ persuadendæ amore, salutisq; Germanorum, & divinæ, per Concordiam, gloriæ studio, hunc inflammatum provocandi ardorem concepisse; quod persuasissimum mihi esset, Adversarios hac sua reformationis ex Scriptura sola promissione, in æternum non posse subsistere.

Unde

Medit. cōc. part. 1. tract. 2.

Unde futurum ſperabam, ut hac impoſſibilitate tam manifeſtis argumentis expoſita, cognitaque, à ſua pertinacia & errore, ad mitius conſilium ſenſumque aliquem veritatis, ſalutiſque, non tantum communis, ſed & propriæ, tandem inflecterentur. Tangebar, tangorque etiamnum miſeratione, tot animarum ex hac religionis diſcordia æternum, per cœcam quorundam tantum pertinaciam, miſerè pereuntium. Nam, *qui non credit* (fide Catholica) *jam iudicatus eſt, & ira Dei manet ſuper eum*, quia *ſine fide impoßibile eſt placere Deo*. Porrò tam manifeſtum eſt, quod Proteſtantes omnes in errore fidei verſentur, quam quod Catholica errare in fide non poſſit Eccleſia, cui iſti repugnant, & à qua voluntaria diſceſſione avulſi ſunt. Non enim habebit Deum Patrem, qui Eccleſiam noluerit habere Matrem.

Ioan. 3. 18. 36.

Expendant hæc medij rerum controverſarum arbitri, & num iniuria hoc Zelo pro conſenſione in una Catholicorum veritate zelaverim, æquo judicio definiant. Deus novit, quod non calamum atramentumque ſolum, verùm & ultimam ſanguinis, pro Adverſariorum noſtrorum ſalute guttam impendere paratus ſim, quid enim temporalis ſalus mea, pro illorum ſalute æterna, & quid Servatori meo par rependerem, tantillum pro inimicorum æterna vita, vitæ amiſſurus. *utinam ſaperent, & noviſſima providerent*.

Ego

Ego nemini deinceps meis hisce consiliis scriptisque obtrectantium molestus amplius futurus videor, jam enim ætate fracto & septuagenario sensim propiori, cœlestia extremaque, utque venturum placem Judicem, meditari potius, quàm eristicis hisce immorari visum est. Siqui tamen ad Concordiæ meæ, & hic etiam tactæ probationis leges, fidei suæ explorare decreta cupiant; hi, & promptos ubique Catholicorum tam Principes, quàm Doctores, atque etiam in Societate nostra, multò me peritiores reperturi sunt, qui suam ad hoc operam studiumque commodent. Me hic, non Plato, sed Christus jubet quiescere.

XIV. Exceptiones Protestantiũ contra Meditatã Concordiã, nulla responsione dignæ, paucis tamẽ refelluntur.

Priusquam tamen hinc abeam, paucis Adversantium *Meditatæ* hactenus *Concordiæ* vel calumnijs, vel queremoniis, vel etiam oppositis thesibus obiter respondendum est. Verùm sola charitatis lege, obligatione nulla. Cum Protestatus (& jure) in *Meditata Concordia* fuerim: non responsurum me, nisi publica autoritate Universitatis, vel Ecclesiæ seu Lutheranæ, seu, ut vocant Reformatæ (utrorum enim reducendorum ad veritatem curam habui) approbatione fretis, quod cuiuslibet privati phantasmata, fluctuantesque opiniones diluere, & otiosum, & infinitum fore crederem; cum vix duos inter Protestantes reperturus sis, qui eosdem in particulari definiant fidei articulos ad salutem necessarios. Et iniquissi-

quiſſima noſtra ſit futura conditio, qui nec in unico quidem minimoque, ut ſic loquar, fidei articulo, ab univerſali Eccleſiâ recedere poſſumus, quin repentino anathemate ac fulmine execrationis proſcriptioniſque liber, atque ipſe etiam, ſi perſtet, autor percutiatur: ideoque totius orbis Eccleſiæ judicio conformari teneamur; ſi contra de Adverſariis à nobis oppugnandis non conſtet, utrum alicujus Eccleſiæ, aut Univerſitatis ſuæ judicio conformes prodeant, & ſuorum approbationem mereantur. Ita enim, qui me erroris in fide convicerit, totam ſuperaſſe Eccleſiam, qui Adverſarium, unum videbitur ſolum hominem; ſi negent ceteri, eam à ſe ſententiam fidei probari. Ante igitur per ejuſmodi autoritatem publicam, quid commune, quid privatum ſit, erit dijudicandum. Quod judicium cum Adverſarii, ob doctrinæ ſuæ in fide inconſtantiam ac fluctuationem, declinent (ut ſuperioribus, in Haſſico Syncretiſmo inter Lutheranos & Calviniſtas, annis vidimus, quando plures articuli, ante de fide habiti, adiaphori declarati ſunt) hinc paſſim ſine approbatione publica, in lucem ſeſe, privato criterio armati, efferunt, omnemque oppugnantium ſuos errores ictum umbratili quadam pugnâ deludunt, ut cum univerſam te Proteſtantium Eccleſiam debellaſſe credas, denique verſatilem aliquem Proteum ſub integri exercitus ſimilitudine delituiſſe com-

comperias. Quare nulli deinceps Catholicorum autor sim, ut sub totius Ecclesiæ suæ, quam sustinere debet, autoritate publicâ, tam impari victoriæ sorte ac præmio, adversus privatos hujusmodi digladiatores in arenam descendat. Ne tamen ignoret Lector, qui qualesque in Meditatam à me Concordiam, non ut bellatores aperto & æquo Marte pugnarint; sed ut exploratores, leviculâ solùm velitatione invecti sint, ac repentina mox fuga subducti; paucis eorum juverit meminisse. Quanquam plerique eis, quæ supra objeci; vallis, jam circumscripti inclusique teneantur.

CAPUT XXVII.

Subterfugientium Concordiam meditatam causæ doctorum, non causæ, ex sola desperatione defensionis natæ.

1 Protestantium quatuor ex Lutheranis, primã Med. Cõcordiæ frõtem, qua ratione oppugnarint,

QUanquam Protestantium nemo, vel unam integrè, ex quatuor Meditatæ Concordiæ partibus convellere aggressus sit, quatuor tamen prodiêre, qui impetu in illam facto; primam labefactare potissimum fron-

frontem conati ſunt. Unius digna viro docto rationalis vis, aliorum plerumque irrationalis & irrita. ille ex ſcripturis ſanctis, hi otioſis fere diſcurſibus, aut etiam deliramentis chartas oblevêre, dignas cucullis aromaticis, ut honeſto ſaltem officio defungantur.

Primus ex Wittebergenſi Saxonum Academia Theologiæ Licent. & ſuperintendens *Iodocus Schlafius* diſſertatione me ſibi Academica oppugnandum delegit anno MDCLXIII. Alter tanquam immanis quædam ex orco furia in orbem erupit, Suecicæ dominationis Grypswaldiæ Doctor ac Satelles in Pomerania, *Anton Gunter Fritzius* Juriſc. qui anno MDCLXIV Conſiderationes politicas XXX in *Meditatam Concordiam* meam vulgavit, quibus me Jeſuitasque omnes orbe toto, ob iniquas machinationes in regna & reſp. proſcribendos exſcindēdosq; penitus eſſe ſtatuit. Tertius Ratisbonenſis Superintendens Joannes-Henricus Urſinus Fritzii veſtigiis inhærens, ſatis quoque onuſtis calumniarum plauſtris, invectus, omni arte ingenioque Concordiæ obniſus eſt; me tamen, methodumque præcipuè, ne averſari tam Chriſtianum nomen crederetur, aggreſſus; ut his illam quoque ſubrueret. Ingens certè peſſimæ cauſæ mentiſque argumentum eſt, tam honeſtæ, & ex Adverſariorum fundamentalibus ſcripturæ rationibus poſtulatæ cōciliationi, quibuſcunq; tandē illā modis etiam obtrudamus nolle acquieſcere.

An

An si creditori de solutione desperanti, demum sua offeratur pecunia, is de modo, sive autoritate offerentis diu inquisiturus est? solutionem certè noluisse æstimabitur, qui tam futili illam examini subjecerit. Quartus denique D. Joannes Thomæ J. U. D. Consiliarius Saxonis Altenb. Consistorii Præsidens, & ad comitia Ratisb. Legatus, longè & Jurisperito Suecorum & utrisque Theologorum honestior, æquior, peritiorque tam suæ, quàm Romano-Catholicæ religionis rem, ut par erat, ad concordiæ studium promovere contendit, quando solis S. Scripturæ verbis, sententiisque Confessionem Lutheranorum exhibuit: paratus utique aliis (si ad hanc rem suppeditentur) Scripturæ verbis eandem magis magisque ad veritatem expolire, ac confirmare; ut deniq; quantum licet, una producatur definita, absoluta, ac clara, rerum fide divina credendarum, sententia, quâ deficiente, ad infallibiles ex Scriptura conclusiones Protestantes transeant; hisque totum pro viribus, confessionis opus absolvant. Huic ego, ut dignissimo omnium operi, eis, quibus malè opponi Catholicis sensi partibus, suisque adhuc destitui Scripturis, atque ad solidum robur egere consequentiis, pro facultate mea, subvenissem, si vel Ecclesiæ Saxoniæ, vel Universitatis Approbatio, pro more nostro accessisset; ne (ut nunc cum

II. Vnus ceteris æquior ac peritior responsionem meritus est, nisi publica autoritas defuisset.

Francofurtensi Confessione à Symmystis vel negata, vel explosa sit) præter autorem ac hominem unum, nemo eam velit agnoscere. Quo enim magnopere religionis & concordiæ emolumento, unius concordiam magno temporum laborisque dispendio quæram, cujus mutatione vel morte, noster omnis conatus interlabatur. Ceterùm lubens huic, licet Meditatæ Concordiæ fortiter; sed cum discretione (quam admisisse plerique reliquorum videntur) adversanti, hanc gloriam tribuam; quod neminem hactenus viderim, ex principiis Lutheranorum solidius causam illorum urgentem. Promittoque illi soli, si Deus vitam dederit, isque autoritate postulata Confessionem vulgarit, me illam quantum ad Scripturas S. attinet, totam admissurum; modò tamen illæ non in quavis conjunctione; sed ista, quam vetus Ecclesia tenuit, socientur, & neglectæ quibusdam locis interserantur. Quam si ipse operam negligat, meo illa labore, cum Notis deficientis sensus ab illo quæsiti, adjicientur, solùmque Lutheranis restabit, istic, ubi definitus ad Confessionis suæ articulum conficiendum sensus defecerit, per infallibilem illam consequentiam stabiliendi. Sed, ut candidè veritatem fatear; *hoc opus, hic labor erit*, ut & supra indicavi, & haud multò post, exemplis docebimur. Adeò ut doleam ingeniū immor-

immortalitate dignum, ad malæ causæ defensionem sortemque pertractum esse.

Vident igitur, quæ me hactenus ratio potissimum tenuerit, quo minùs cœptum Meditatæ Concordiæ opus tuitus sim, promoverimque, contra Adversariorum insultus.

III. Iure publica Protestantium in scriptis autoritas requiritur, quod sine hac inutilis sit refutandi labor.

Exegi in Med. Concordia, ut, siquis contra niteretur, publicam vel Ecclesiæ, vel Universitatis approbationem adferret, neq; enim alia me conditione responsurum. Et sanè par erat, ut quod à parte Catholicorum, quam tueor, præstitum, id pars adversa, si æqua disceptatione rem geri velit, non recusaret. Nihil tamen horum cùm sit impetratum, (nisi quod Schlaffius in disceptatione prorsus inutili Academiæ nomen præfixerit) nemo à me prudens exigere poterat; ut totius Ecclesiæ autoritatem, unius privati hominis judicio, facilè ab aliis rejiciendo opponerem, ut nunc in Francofurtensium Confessione exhibita, suum ingenium Lutherani produnt, quam negant suæ se Ecclesiæ agnoscere, quod privati cujuspiam hominis conatus & criteria non æstiment. An ergo adversus tales, quos contemptim ipsimet aspernantur, ego cum aliqua utilitatis spe prodire videbor? Nimirum hæ sunt fraudulentæ Acatholicorum machinationes, quibus Catholicis illudere gestiunt, ut siquis suorum eventibus

contra nos secundis utatur, tum omnes cum illo velut suam amplectantur victoriam; si amiserint, uno tantùm victo nihil amisisse, hostes verò inutili labore fatigasse videantur. Doleo ad hanc artem tam paucos hactenus Catholicorum, quibus sine publica approbatione nihil vulgare fas est, non aperuisse oculos. Præsertim cum Protestantibus vix gravius imponi onus possit, quàm ut suæ, vel per solam Germaniam Ecclesiæ consensum impetrent; quando alibi, ut exemplo utar, vix discernere Lutheranos à Calvinistis in religionis ritu queas: alibi vix à Catholicis in templis, aris, imaginibus sacris & Confessionibus discrimines. Ut mirum non sit, si Wittenbergensibus displiceat Confessio, quæ Francofurtensibus fuit probata. At nostra, quæ fidem spectant, toto probari Catholicorum orbe necesse est, aut anathematis fulmine flammisque aboleri. Ut iniquissima sorte Catholicis cum Adversariis, tanquam Proteis quibusdam pugnandum sit.

IV. Dilatæ responsionis causa altera, exspectata Succorū in Fritzium justa animadversio.

Altera responsionis neglectæ causa fuit, non calumniosum modò, verùm & seditiosum Fritzii Pomerani scriptum, quod, cum manifesta injuria, & Pacis Monasteriensis violatione conjunctum, Societatem nostrã universam, Romanum Pontificem, Cæsaremque gravissimè læderet, atque ad arma insuper provocaret, ad nos imperio Romanum-

numque Hierarcham ſede ſua deturbandos, à Carnifice jamdudum abolendum potius fuerat, quàm honeſto calamo confutandum. Illud tamen ſub Car. Guſtavi Wrangelii Suecorum in Pomerana gubernatoris tutela (ſub quâ eidem inſcriptum prodiit, totoque imperio ſparſum eſt) cùm hactenus impunè per multorum ora manusque vagatum ſit, neque ſolùm nulla damnatione perſtrictum; ſed aliorum etiam collegarum ſcriptorum laude ornatum, prorſus à me intactum præteriri denique non debuit; ut poſteritati inter Catholicos conſtet, quinam ſint, qui diſcordiarum tubas inflent, quando ab aliis pro concordia, &, ut religionis, ſic animorum conſenſione laboratur. Acceſſit his tamen parum vacui ad hæc ſtudia temporis; cùm Superiorum & Electoris Treverici volũtate ad hiſtoriæ Eccleſiaſticæ tractationem avocarer, à quo tantillum quod nactus ſum otii, huc tranſtuli, ne Spartæ huic tuendæ viderer, in æquiſſima cauſa, defuiſſe.

V. Calumnioſa Fritzii contra Medit. Coucordiam machinatio, & innocentum gravis traductio.

Conatus Adverſariorum præcipuos, in quibus Fritzius Urſinusque inprimis conſpirant, in pauca aliquot puncta conferam. Universè ejuſmodi Concordiæ locum nec deberi, nec dari poſſe contendant, ejuſque ſententiæ cauſas prætexunt prorſus, ut apparebit frivolas & calumniarum atrociſſimarum plenas. Prima, ait Fritzius, eſt, quia

 Ma-

Consid. 1. n. 5. Masenius Concordiæ suasor Jesuita est, ex Societate illa, quæ *quot tristissimorum bellorum & immanium cladium, vastationum, parricidiorum auctrix, instigatrix fuerit, sanè nec cujusquam, vel disertissimi, edisseret calamus.* Et §. 8. infra, *quam sitis pacifici, testatur Gallia, ob patrata illa duo inaudita , quamdiu sic universus stetit orbis, regicidia, &c.* §. 9. Non inveni, quot sciam, Iesuitam qui hæc in Gallia ab ipsis patrata, aut negaret, aut refutaret. *Convicti scilicet apertâ veritate, non audent illi in os obloqui.* Probant *factum illorum infamis expulsio, &c. Testatur Anglia in proditione pulveraria* cum Garneto cõmunicata, ut ex actis & supplicio constare §. 10. docet, seq; in *Politica Iesuitica* ostensurũ tradit accuratius. *Testatur resp Veneta &c. Testatur vestri ausus in evertendis sanctis, & immotis imperii legibus fundamentalibus.* causam addit, quod anno hujus secul. 27 Iesuitæ obtenderint Confessionem Augustanam jam prorsus mutatam , ideoque pristinam ab Imperatore religionis formam reducendam, meque idem per Meditatam Concordiam agere, &c. Longum sit insistere universis accusatoris hujus criminationibus, quibus ipsa Calumnia si os frontemque Fritzii induisset, atrociora non posset comminisci. Quin & in ipsum ausus Cæsarem dentes exacuere, quod Iesuitas secum esse patiatur, quos funesta quævis consilia suppeditare autumat. Consid. 7. §. 5. *Crede mihi*, inquit, *Cæsar*

Leo-

Leopolde, non tibi per omnia confidere Evangelicos Principes, qui ex plurimis factis tuis, non voluntatem, sed facultatem perficiendæ intentionis avi Tui Ferdinandi II deficere, perquam apertè, vident. Nulla erat causa, cur tuus ante quadriennium exercitus optimam imperii provinciam Pomeraniam, à Ferdinando II. excisam, à Ferdinando III. vastatam, tuque intra 5. septimanarum spatium cultißimam adeo diruisti & evertisti, ut in Pomerania vix Pomeraniam reperires: quot millia innocentißimorum hominum, in ea crudelibus mortibus absumpta? Accedit injusta illa investituræ denegatio, quàm corona Suecica justis modis petiit; tu verò inopportunè, & incongruè denegasti, quasi verò illa tam absolutæ eam censeat neceßitatis, quin potiùs, sua vi potentiaque nixa, poßit semel possessam defendere, atque injustos, si qui metuendi essent, propellere assultus. Mitto alia notiora in vulgus, quàm mallem: Hæc omnia provenire ex Iesuitarum schola persuasum est omnibus, &c. Amove à te Iesuitas, deinde tam turbulenta scripta, ut hoc Maseniï de concordia opus est, comburi Carnificis manu jubeto. Præsens in Comitiis statibus adesto. Offer te, ut Ferdinandus III. Ductorem exercitus, consilia in medium proferri jube, quâ ratione peßimæ fidei possessor Papa ex Româ pellatur, avulsa repetantur, &c. Hæc aliaque novus ille pacis buccinator, si Concordia mea, si Jesuitæ omnes, si Romanus Pontifex de medio auferantur, ad solidiorem Concordiam, quàm ipse

VI. Turbulenta adversus Cæsarē, Iesuitas & Pontificem consilia.

machinatur, profutura Cæsari occinit. Vide sis Grypswaldice Aman, ne patibulum quod erigis, Carnificemque, quem pro me postulas, tuo serviat, unde hæc malè emanant, jugulo. Si jurisconsultus es, Fritzi, an ignorasti pœna talionis eum teneri, qui capitale crimen intentatum, non probat? At tuum te in caput mentitum esse, qui Jesuitis duo regicidia in Galliis, Henrici opinor III & IV (nam alia eorum tempore ignorantur) quorum illud 1589 à quodam Jacobo Clemente Monacho, hoc 1610 à Francisco Ravaillaco didascalo perpetratum est, malè imputasti; tota Gallia testabitur. Tantum abest, ut quispiam Jesuita id tibi concessurus sit. Profectò ignorantissimum te historiarum ostendis. Et si tam rudis in vulgatissima re es, quæ ad Jesuitas spectat; quomodo illorum tu politiam meditaris prodere, quorum fortè nec unicam quidem familiam inspexisti, ne dicã, quod pernoveris. Si thrasonem pyrgopolinicem agere calumniando decreveras, circumspectius mentiendum erat. Illud verè dixisti Societatem Gallia expulsam; sed alia causa fuit. Nam anno salutis 1594 pluribus ante mortem annis Rex à studioso Parisiensi Joanne Castello, cultro, sed frustrato ictu, appetitus fuit; qui cùm diceret se audisse tyrannum licitè occidi posse, Jesuitæ, quorum Discipulus fuerat, tanquam ejus do-

Text. in l. fin. C. de accusat. & in l. 2. C. de exhibend. reis, & gloss. in l. si quis alicui C. ad l. Juliam majest. Bald. in l. sed si is ff de in ius voc.

VII. Regicidia duo Iesuitis falsò imputata, cum aliis sceleribus.

doctrinæ (cujus tamen Gueretus præceptor ejus convinci non potuit) ab æmulis, Provinciis aliquot regni depulsi sunt; at causa deinde accuratius expensa, cùm Rex invidiam æmulorum, & Societatis deprehendisset in facinore innocentiam, non revocati solùm fuêre Patres, verùm ad intimam quoque Regis gratiam admissi. Loquatur medius partium Henricus Spondanus Episcopus Appamiarum, isque præcipuus Galliæ Historicus, suique factum ævi exponat. *Anno* inquit 1604 *ab Henrico Rege Christ. Religiosi Societatis Jesu, qui post Joannis Castelli Parricidæ supplicium decem antehac annis regno abire jussi erant, quatuordecim urbibus restituti sunt: novumque ac celebre Collegium Flexiæ in Andibus, ubi Rex conceptus fuerat, recens ab eo institutum, & magnis reditibus dotatum, frustra his intercedente Senatu Parisiensi... Rex verò P. Petrum Cotonum, ex eadem Societate virum doctum, probum, & eloquentem, sibi in Confessariũ & Prædicatorem elegit; annoq́; sequenti iisdem plenissimè toto regno restitutis, etiam Pyramidem illam, quæ fuerat in eorum ignominiam, ante palatium Senatus, in area diruta domus Patris Castelli erecta, dejici voluit, ingens à tanto Rege eorum innocentiæ, & integritatis testimonium.* Quod filius deinde ab occidione Patris, æmulis, priorem doctrinæ nostræ sugillationem iterantibus, inconcusse firmavit, Confessario ex eadem Societate delecto.

Spondan. an. 1604

De Henrico Garneto, in Anglia, demus conſcium fuiſſe proditionis; at, cùm ex ſacramentali Confeſſione eſſet, mortem ante ſubire, quàm hanc violare tenebatur. *Confeſſus*, ait Spondanus, *ſe rem ſciviſſe, ſed tantummodo in Confeſſione Sacramentali, quâ eam omnino diſſuaſerat. Ex ſanguinis ejus gutta in ſpicam tritici decidente, formata eſt in illa ejus effigies, cum corona & cruce. Vnde non parvâ ſanctitatis ejus ſparsâ famâ, habitus eſt pro Martyre.* Venetos proximè quoque ſuperioribus annis cum publica declaratione innocentiæ, & lati quondam, ceu in immerentes decreti irritatione nos in ſuam reduxiſſe remp. toti Europæ cognitum eſt: ac fortaſſe jam te pigebit hoc ipſum objectaſſe. Iſtas igitur tam manifeſtè abſterſas, integrorum regnorum confeſſione, & tot annorum experientia, calumnias, dum tu ab inferis revocas, quo illud autore præſtes, an ab illo quià Calumnia (*b*) nomen ſuum ducit, tuū erit expendere, ac, ſi ſapis, palinodiam adornare, neque hac dignam ad corvos uſque differre pœnitentiam.

Annal. Spondan. an. 1605.

b διαβολὴ.

VIII. Cæſari immerito inſultatur, & ſuadetur crudelitas.

Sed quid obſecro immerenti Cæſari ac Pontifici Meditatæ meæ Concordiæ, ſiquæ ſunt, delicta imputas; ut illum injuſtitiæ accerſas, hunc etiâm cum Jeſuitis omnibus exciſum cupias? An per meam Concordiā Leopoldus excitatus Pomeranis bellum intulit, aut injuſtè Sueciæ Regi inveſtituram

ram negavit ? Quis te utriusque rei arbitrum, aut secretorum causæ inspectorem, judicemque inter utramque coronam publicum delegit, ut tam repentè Cæsarem injustitiæ publico scripto condemnes, suadeasque eidem, credo in prioris delicti expiationem Jesuitarum & Romani Pontificis excidium. Quàm tu præstiteris, hac in re Suecorum Regi, Reginæ, ac proceribus gratum obsequium, quos Austriacam domum saniore affectu prosequi in multis comperimus, id fortassis Europa intelligere desiderabit. Ego me honesto & magnanimo Duci Wrangelio, Coloniæ nos invisenti, librum Concordiæ obtulisse credidi; sed hāc tu illi gloriam hac defensione, sub ejus patrocinio suscepta, invidisse videris; dum tam enormia facinora, sine legitima probatione ipse legum Doctor, producis. Noveras utique, nisi tuâ professione indignus, testes hic requiri omni exceptione majores, non tuæ farinæ homines, Jesuitarum, & Pontificis hostes. Ignorare non poteras, te seditiosum adversus pacem initam scriptū protrudere, cum juncta vobis Cæsaris arma consiliaque, in Jesuitas & Pontificem concitares. Quid enim, si ego suaderem Cæsari ut devincta sibi consanguinea Borboniorum domo, *amoveret Prædicantes Doctoresque Protestantium ab imperio, & videret quemadmodum pessimæ fidei possessores* (tuis verbis utor)

tor)N.N.imperio Romano-Catholico pellantur, *avulsa Catholicis bona repetantur*; an non me novæ seditionis suasorem, pacis communis violatorem, perduellionis ac læsæ Majestatis reum proclamares. Age Fritzi, dic hac in re dignam Jurisperito sententiam, & statue, cui patibulum, quod erexisti, debeatur, quis nostrûm discordiarum fuerit seminator, & num hoc titulo Meditatam à me Concordiam quisquam possit aspernari? Et hæc prima Adversariorum ad Concordiam propositam evertendam machinatio est.

IX. Altera subvertendæ Concordiæ machinatio, ex negata mihi facultate frivolè ducitur.

Alteram declinandi causam adferunt: quod nulla potestate mandatoque instructus, hanc Concordiam offeram. Quam cum Fritzio Ursinus urget. Mira & frivola prætensio! quam Lutherus attulit potestatem cum vobis discessum à Catholicis, discordiamque cum eis suasit? Majorem certè autoritatem exhibeo I à Deo concordiæ & pacis cum proximo autore. Ut, si *unicuique mandavit Deus de proximo suo*, præsertim in salutis cura, quid ni & mihi? Lutherus, si ex eo causæ quicquam habuit, quod ad verbum Dei provocaret; eandem & mihi, jure non impari, vendicavi. Concordiam pacemque religionis detrectant, qui à Scripturæ probatione, quam polliciti sunt, nunc desperantes terga vertunt. II Natura & ratio hanc mihi potestatem dedit. Cujus enim

Eccli. 17.

bos

bos & asinus in puteum cadit, & non continuò extrahit illum? Ego vos,quos lapsos certâ fide atque experientiâ teneo,bobus atque asinis non habui viliores. III Tota Christiana Catholica Resp. hanc societati nostræ, ad reductionem aberrantium,tam gentium quàm hæreticorum institutæ, suisque prærogativis ac legibus,hunc in finem,ornatæ, potestatem contulit; ut Societas mihi. Et vos de re,toti orbi cognita, quâ mente, nisi in causa sua desperante,dubitatis?IV Quãtum autoritatis publicæ à diversis Ecclesiis Romano-Catholicis, ipsaque sede summâ afferrem & Universitate (ubi id temporis morabar) Coloniensi, jam antecedenti capite ostendi; ut ab Adversariis contra tendentibus majorem nunquam autoritatem sim postulaturus.Unde hujus subterfugii aperta nimis vanitas patescit. Quid vos adfertis simile Fritzi,& Ursine, quorum nec Ecclesiæ quidem Janitor scripta probavit? Quod occasionem hujus scripti fictam à me esse dicatis,infra à vobis fingi ostendam.

Luc.14.

Tertium subterfugium à causis & intentione perversa Concordiæ quærunt. Nulla, ait, Ursinus, imò injuriosa Concordiæ postulatæ causa est, quod ad Principes Imperii *in Præfat.* scripserim: *non posse illos concordiam,salvâ existimatione atque integritate, rejicere.* Sed cur dicti rationem malevolè præterit? sequitur enim: *quia ex vestris legibus,ac prin-*

Vrsin. p.11.

X. Tertia oppositio,ex negaa causaj u-sta,& in-

principiis (Scripturæ S.) *concepta est: vestra & divina autoritate nititur.* Et hanc tu, Ursine, quempiam salvâ existimatione, & autoritate censeas posse negligere? Hoc sanè de tuis te sentire Principibus injuriosum sit. Huc spectat, quod dixi *Concordiam, sine communi salutis bono, aspernari neminem posse,* &, *expendendum quantum in orientis & septentrionis regnis hæreses turbarum dederint.* Egone hæc sine meo crimine atque offensione tua suggerere non potui? Deum immortalem, quid illis demum censoribus ad evertendã Concordiam non improbabitur! Denique Ursinum caput non leviter turbavi, uti & Fritzianum ac Sclafii, quod dixerim: *Quosdam tandem Protestantium errores suos agnoscere, quosdam humana cupiditate, & liberiori vita excusso continentis Sacerdotij, Confeßionis, jejuniјque onere, aut etiam opulentis teneri possionibus, ac præcipuè nonnullos Prædicantium, Doctorumq́, agnitæ licet veritati superbè obniti, ac quandoq́, nos etiam calumniis mendaciisq́, ac fictis gravare, ad suos avertendos, dogmatibus, ut Idololatriæ, Antichristianismi, &c.* Nihil eorum revoco. Ah quam cuperem memet aberrasse! Hoc ipso te in vestigio cum Fritzio mendaciorum deprehendo, quando hæc ex jam dictis colligis: *Videte, quotquot Masenij somnia non probant. Si Principes Dominiq́, sunt, hi neq́, prudentes illi, neq́, honore digni, imò proditores salutis suæ videntur. Si Theologi sint,* per=

(margin: ...sentione prava concordiæ ducitur.)

(margin: Id. p. 13, & 15.)

(margin: pag. 16, lin. 4.)

perditi desperatiq; nebulones, & nec sole hoc, nec terrâ digni, MaseniJ judicio censentur. Hoc nomine illis pacem offert. Oportebat te saltem, dum me calumniarum arguis, easdem manifestâ imposturâ non admittere. Hanc tuã esse interpretationem, non meam, quisquis mea legit, & non videt, tecum cœcus est. Malevolorum hominum atque in errore obstinatorum ingenia descripsi, in quorum sese Catalogum si Ursinus cum Fritzio aliisque ingerant, me faciunt invito, Aliis certè æquioribus pacem obtuli. Verba mea & Fritzii magno discrimine separantur. Nunc Fritzium de intentione meæ Concordiæ differentem Lector miraberis. Primò, ait, me per hanc velle *destruere plurimas imperiJ leges fundamentales*, quæ nitantur Confessione Augustana semel in imperio admissa; hac verò per meam Concordiam eversa, collapsuras. Fidam illi defensionem promissam: & hanc jure præstandam. Rz. Quid ni? Id unicè salvis maximè Dei & regni legibus, cupio, si veritatem fidei vestra Confessio salutemque nostram tueatur: at si ab hac deflectere cognita sit; an tu ejus defensionem requiras? Et Arianismo in Polonia tutela Regum addicta fuit, an igitur probandus? II Papæ me asserit *tyrannidem, potestatemq;, in Principum ac subditorum capita, revocare velle*. Quænam illa? an hæc intolerabilis hoc tempore Catholicis? quàm opta-

Obser. 3. part. 1.

Consid 7 §. 7.

XI. Intentio concordiæ perversè expenditur.

An Papæ tyrannis per illam stabiliatur?

optabilis vobis esset, tanta, sub uno capite, religionis toto orbe sparsæ consensio: qui nec in uno quidem Germaniæ angulo, nec in Academiis quidem duabus, per omnia religionis decreta cæremoniasque sacrorũ, conspiratis! Quæ vos de Papa commenta, ad vulgi horrorem, nescio, an non etiam dementiam vestram fovendam, circumfertis; hæc nos pro nugis ad colum anilibus ridemus, miramurque, vos apertis oculis non posse cum noctuis solem veritatis intueri. Quod vos principium nostræ religionis primum esse statuitis, de Papa articulos nostræ fidei condente, ac pro libitu mutante; hoc nos pro insigni delirio vestro, quo volentes desipitis, explodimus. Adeò nobis Ecclesiæ totius sententia consensioque in articulis fidei curæ est, ut ad hujus interpretationem rerum credendarum solam vertamur omnes, etiam ipse Pontifex. Qui, si Lutheranus, aut Calvinista esset, longè majori libertate, suo ingenio expositæ Scripturæ acquiesceret, judicaretque Ecclesiam sanctosque Patres fallibili intelligentiâ aberrare posse, se verò infallibiliter, per Spiritum S. loquentem sibi per Scripturas, sensum verbi Dei apprehendisse, eique niti, quod modò in credendis non facit. Mirum proinde est, quod tam indomita Protestantium Theologi malevolentiâ, Papã Romanum fingant ex Cathedrâ quævis credenda, suo

XII. An Pontifex novos condat articulos fidei? an potius Protestantes?

ſuo judicio concipere, ac mundo imperare tanquam infallibilia. Ut Fritzius, Urſinus, Sclafius protervè comminiſcuntur, exemplo unius in cœna ſpeciei, immaculatè conceptæ, & corpore aſſumptæ in cœlum Virginis utuntur, nullibi in Scriptura fundato, pro articulis tamen fidei, (ut Fritzius imperitè loquitur) à Pontifice imperatis. Verùm, ut inconſtantiam illorum videas hominum, Gallicanam Eccleſiam (quam Catholici, ipſeque Pontifex ſuam eſſe agnoſcit) hanc negant decernendi infallibilem vim Papæ concedere. Sic enim Sclafius in orat. paneg. *Neq; ipſi qui hodie in ſpeciem adhærent Papæ ſuſtinent, jure divino ſupremum Eccleſiæ Iudicem, eumq; infallibilem, eſſe Pontificem Romanum, ut de Gallis notorium eſt.* En imperitiam iſtorum hominum, & malevolentiã ſimul extremam. Imperitiam, qui inter ſententias noſtrorum Theologicas, & articulos fidei poſt tot annorum, ea de re, diſceptationem, nondum vel ſciunt, vel volunt diſtinguere, ut calumniæ aliquem tantùm colorem reperiant. Quâ in re? & quis, mi Fritzi, Paparum, *circa ſubſtantialem*, ut loqueris, *fidei articulum nova appoſuit credenda?* videlicet: *Euchariſtiam ſub una dicunt ſpecie Laicis ſufficere.* An hæc nova, cùm ſemper in Eccleſia, aut ſub una, aut ſub duabus licuerit? ut alibi tradidit. Pergis, *planè novos effinxit articulos fidei:* ut *hoc anno*, ſeculi 64, *novus*

Conſid. 7. §. 7.

n. 5.

Med. Cõcord. p. 3. de cœna:

novus accessit de immaculata Conceptione B. V. Mariæ. Fritzi, nisi in humano jure, quàm divinâ fide peritior sis, multos falles. In scholis Catholicorum valdè rudis es. Pontifex contrarium doceri publicè vetuit: non pro articulo fidei haberi præcepit. Uno verbo Fritzi, Theologiæ adeò imperitus es; ut nec fidei nostræ, nec propriæ, [ut tuis in scriptis reperire est) placita assequaris. Illud Apelleium tibi cogitandum erat: *ne sutor ultra crepidam.* Nimium enim abludis, neque quid in Gallia disputatum fuerit, quidve conclusum, satis assequeris.

Consid.7. n.10 & seq.

XIII. Discordia in Concordia quæsita falsò prætenditur.

Porrò quod addis, me hoc agere, *ut religio mutetur, utq; in nostra castra transeant omnes Theologi.* Id sanè me egisse atque etiamnum agere profiteor; at pro salute vestra, ut ab errore ad veritatem reducam. Sed malevolè de universis subjicis: me agere, ut pellantur è Principatibus, & Cæsaris arma in Evangelios concitem. Cùm disertè tradiderim indignum esse, ut ad veritatem transeuntes alimentis spolientur, ideoque his providendum; licet Theologos convictos, de hæresi, nisi suis Dominis cesserint, pellendos jure existimârim. Quod enim remedium in peste præsentius, quàm infectos submoveri? Tantùm igitur abest, ut in Concordia discordiam, aut litium diffidentiæque semina, inter Principes subditosq; sparserim; ut, cum unius religionis vinculū ad

ad charitatem pacemque aptissimum sit, ad hanc conciliandam mentem studiumque omne converterim, quod ille unicus cordium scrutator Deus novit, qui me, teque Fritzi, aliquando est judicaturus, palamq; facturus orbi; uter nostrum verior Concordiæ, suo in labore sectator fuerit.

Fritzius, consid. 8. Vrsin. q. 1. §. 4.

XIV. An methodus conciliandi à me proposita à Protestantibus jure declinetur, ut impossibilis.

Quartum subterfugium est, in quo omnes nervos contendunt, ut impossibilitatẽ Concordiæ talis; qualem ex S. Scriptura trado coram arbitris à me postulatis, demonstrent. Equidem non diffiteor, si Dei gratia abfuerit, & similes perversitate, quales hi sunt Scriptores (præter Legatum Saxonicum D. Thomæ integrè plerumque, docteque in hac disceptatione versantem) ad deliberandum adhibeantur, solidè nihil peragendum. At si nostro, prout par est hac in re labore defungamur, Deus obstantium corda ad amorem Concordiæ, tantâ in re, quantâ est præsens æternaque tot populorum salus (quorum oppositam orthodoxis partem & errare, & perire in errore necesse est) inflectere poterit; &, si hæc non satis digesta Concordiæ à me propositæ media fuerint, salubriora ad hanc incumbentibus suggerere. Viam exhibitam methodumq; lubens deseram, si utrisque atque inprimis Protestantibus acceptior, quàm conciliatio ex Scriptura S. queat reperiri. Mirũq; videri jure debet, hanc nunc illos viam a-

ſpernari, ad quam ſemper nos invitarunt. Cauſas ipſi impoſſibilitatis promant: ut videamus, quâ æquitate nitantur, &, manifeſta in luce, deſperatio malignè quorundam obtrectantium proponatur. Edant cauſam, cur ab illa, ad quam ſemper in tentata concordia provocarunt Scriptura, ab eadem nunc refugiant.

Fritz. ſupra §. 2. & 7. Verſin. n. 33. & ſeq.

XV Nulla apparet impoſſibilitas ex parte perſonarũ principalium ſi tantum Proteſtantiũ Theologi ſuum præſtent officiũ.

Prima difficultas ex parte perſonarum ad hanc Concordiam requiſitarum objicitur, Pontificis hinc cum Romanis, & inde Principum ex Proteſtantibus, quorum cùm in opus conſenſus & conſpiratio requiratur, quo pacto conſentient? Ille ſuo, hi oppoſito rem judicio geri volent? ℞. Prompta erit ratio, ſi Principes intuitu Concordiæ, libello aut decreto vulgato Cæſari, & per illum Pontifici, *ſuos Theologos paratos eſſe declarent, ad reddendam rationem fidei ſuæ ex verbo Dei ſcripto, vel diſertis definitæq́; ſententiæ verbis, vel infallibilibus ex eodem conſequentiis, idque nudè ſine aliis humanis & fallibilibus commentariis. In qua ratione promiſſa, ſi non ſubſiſtant, agnituros ſe Lutheri aut Calvini reformationem Eccleſiæ Rom. ex ſola Scriptura non procedere, ideoq́; rectè illam in tradita antiquitus ſide ſubſiſtere, ſeque ad eandem meritò revocari.* Tali profeſſione edita, Pontifex cum Rom. Cæſare ſuos ultro Theologos ad ejuſmodi rationes benevolè excipiendas offerent. Poterunt ipſi Principes arbitri hujus examinis

minis intereſſe. Atque utinam talis, qualem poſtulamus, Confeſſio Auguſtæ primùm Cæſari oblata fuiſſet. Catholici omnes, utrisque illam ulnis excepiſſent! Agant, experianturque ac talem hodiedum, verbis rationibusque humanis præteritis (niſi quæ per infallibilem ex verbo Dei ſequelam inferuntur) & promitto, à Catholicis omnibus ipſoque Pontifice, citra contradictionem, eſſe admittendam. Ego coram Deo, conſcientiæ meæ teſte, ubi tam claram definitamque ex verbo Dei ſcripto ſententiam deprehendero, me acceſſurum, etiam per medios ignes & enſes, voveo juroque, omnemque veritatis ſalutisque æternæ ex Romanis amantem, terrenæque felicitati præhabentem, idem facturum confido. Nec poteſtis tam æquam conditionem oblatam detrectare (quæ à ſolis etiam Theologis veſtris in hanc rem conſpirantibus expediri poterit) niſi fidei, à vobis & Luthero datæ, nos ex ſola Scriptnra S. reformandi, deſertores, adeoque deſperantes in cauſa malè cœpta habeamini. En honos, fides humana divinaque, ſalus denique æterna veſtra, veſtris in manibus poſita eſt. Si nolitis, veſtrum & deſperatæ cauſæ dedecus, & damnum neglectæ Concordiæ futurum eſt. Ignoſcite, ſi veſtram vobis, ut evitetis ignominiam aperiam, & ſanitatis procurandæ gratia, cum medicantibus Chirurgis, veſtra

nonnunquam cogar tangere & aperire ulcera. Videtur tamen se suosque ad talem denique probationem articulis fidei offerre Fritzius, cùm ait: *Sola S. Scriptura, aut juxta expressa verba, aut legitimam ex verbis ductam consequentiam, juxta intellectum sanioris purioris, & orthodoxæ antiquitatis explicata, additis regulis veræ, & ab omnibus admissæ Hermeneuticæ, seclusa omni autoritate, suggestione, explicatione Papæ erit medium probandi & refutandi.* Agitè hanc vobis, quam conditis legem probandi & refutandi indulgebimus: nobis, quam postea videbitis, æquam reservabimus. Nil obstabit, quin diversa via ad eandem metam properemus.

§.3.p.99.

XVI. Frivolū effugiū à contra dictione methodi meæ petitur.

Altera tamen hinc difficultas ex diversa, quam diversis locis occasionibusque induxi, probandi & concordandi methodo objicitur. Verùm Ursinus illam parum syncerè ex diversis scriptorum meorum laciniis, malè inter se coactis, quasi contradictionibus involutam explodit; Nunc, ait, ex sola Scriptura Confessionem desumendam docet; nunc omnes articulos in ea expresse & clarè negat contineri: Nunc ex veteris Ecclesiæ sanctorumque Patrum sensu interpretationem illius, non ex proprio ducendam cerebro, asserit: nunc ad Patres à Scriptura se convertentes vertiginosis similes facit, nunc admittit, nunc damnat syllogismos. Ita ille, cui in mutilatis quibusdam

n.36.

n.37.

pro-

propositionibus Fritzius accedit. Sed more suo imperiti, aut malevoli Judices, ocream capiti; pedibus galeam imponunt, & mox clamant impertinentia. Qui cum suis loca quælibet adjunctis expenderit, nihil contradictionis reperiet. Aggrediantur rem ordine ac fide bona, tum sua cujusque sententiæ vis aut imbecillitas constabit. Protestantibus illud incumbit, ut ex sola Scriptura Confessionem adornent: Catholici id gratuitò faciunt, & sensu in veteris Ecclesiæ traditionibus firmato: ultroque fatentur, omnes fidei articulos expressis clarisque in Scriptura verbis non contineri; sed ad Ecclesiæ traditionem Patresq; recurrendum, ut multiplex Scripturæ S. sensus ex illa definiatur; ad quos Protestantes à Scriptura, nisi manifestè vertiginosi, transire nequeunt. Syllogismos divini fide verbi nixos probo, ceteros, humano tantùm ratiocinio fretos, in hac causa respuo. Ut nil nisi ventos, in hoc captasse effugio planum sit.

XVII. Nec Catholici disputationem, ex Scriptura sola recusantes optant.

Tertia difficultas ex ipsa Catholicorum tali Concordiæ obnitentium dissensione trahitur, cùm alii, editis quoque palam libris, testentur, cum Protestantibus Catholicos in colloquium & disputationem, præsertim ex sola Scriptura descendere nequaquam debere, quibus apertè hæc conciliandi ratio adversatur. ℞. Non diffiteor ple-

plerorumque & recentiorum, & veterum hanc esse sententiam, cum eis qui à Catholica Ecclesia discesserunt, non esse ex S. Scripturis disceptandum: tum, quod ex his potissimum præsidia suorum duxerint errorum; tum, quod faventem vulgi cupiditatibus doctrinam proferant, cui, si qua specie, S. Literæ patrocinentur, prono omnes assensu famulantur, gaudentque probari, quæ hactenus, licet improbata, desiderabant. Cujusmodi lenociniis hodierna Protestantium abundat religio, quæ Proceribus bona Ecclesiastica, Ecclesiasticis in solatium hujus jacturæ uxores, omnibus peccatorum remissionem, citra Confessionem plenariâ solius fidei indulgentiâ, concedit. Denique Regnum Dei intuitu unius justitiæ Christi, sine operum nostrorum justitia, jejuniis, afflictionibusque satisfactoriis ad hoc requisitis, liberalitate hactenus inauditâ, offert. Cui tam blandæ religioni, quis utrasque ulnas, sinumque totum non pandat; si ipsa Scriptura, unius fidei fiduciæque in Christi meritis persuasione, faveat? Accedit, quòd Catholicis, non in sola Scriptura, sed tradito etiam Dei verbo semper consistendum adversus suos hostes fuerit. *Non debemus*, ait Origenes, *exire à prima & Ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei nobis tradiderunt.* Et Epiphanius: *Non omnia,*

Acatholici præferunt hodierni Scripturas cupiditati faventes humanæ sectantur ut facilè persuadeant.

In cap. 24 Matth.

Lib. 2. hæresi 71.

Reclamat S. Paulus. Adimpleo ea, quæ desunt passionibus Christi.

nia, ait, *à S. Scriptura accipi possunt. Quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in traditione S. Apostoli reliquerunt.* Ac Basilius: *Dogmatum*, ait, *quædam ex scripta habemus doctrina: alia ex Apostolorum traditione... quæ utraq; ad religionem Christianam eandem vim habent.* Ab his ergo ad solas transire Scripturas orthodoxus non potest.

cap.27. de Spiritu S.

Quocirca nec ego ab hac lege Ecclesiæ Catholicæ unquam deflectere, aut volui, aut potui; sed absistere Supplicationis ab utrisque exhibitæ verbis nolui. In hac petitur: ut, *tenere liceat, quæ claris explicatisq; Scriptura verbis proponit, & per tot secula in primæva Ecclesia communi sensu accepta, usuque longo firmata sunt. Summæ*, enim, *injuriæ sit, quod S. Scripturam in claro illo, quo à Deo tradita est sensu, à veteri Ecclesia primisque Patribus, ex ore Apostolorum accepta & intellecta, nos minimè usurpare patiantur.* Ita sanè sentimus etiamnum S. Scripturæ insistendum, & assensu suo Francofurtenses exigere nobiscũ in vulgata Confessione visi sunt, ipsaque, cùm divina, tum humana ratio, in ambiguis S. Literarum sensibus, faciendum ostendit. Neque quisquam Adversariorum huic me quicquam sententiæ contrarium statuisse, in Meditata Concordia evincet. In hoc sensu Confessionem Catholicorum ex S. Scriptura desumptam fundavi. Quiq; hanc evertere voluerit, illi ante omnia pro-

Medit. Con. p 1. & 2. edit. 2. an. 1662.

XVIII. Scriptura in veteris Ecclesiæ sensu usurpanda est Catholicis, à quo, tanquam possesso bono dejici non possunt, nisi Adversarii ex sol Scriptura errare illos evincant.

 ban-

bandum erit, vel talem in Ecclesia traditionem relictam non esse, vel huic non esse, in Scripturarum interpretatione insistendum. Nam Catholicis, hujus non incumbit rei probatio. Quam si qui præstent, gratuitò, & non ex necessitate hoc agunt. Et talis Catholicorum disceptandi ratio, quâ probandi, ex Scriptura præsertim, partes sustinent, jure Doctoribus nostris inutilis videtur. Quis enim non rideat, antiquarum possessionum Dominum, si ille, injuriâ hæc possidere bona accusatus, in se probandi onus, quod verus possessor sit, ab Accusatore, contrarium asserente, derivari patiatur? Tales verò antiquæ in religione sententiæ possessores, ante Lutherum fuisse Catholicos, quis, cum ratione, denegabit? Ita igitur ad pugnandum ex Scriptura Protestantibus me obtuli, quemadmodum defensor possessorque fortissimæ arcis miles, qui suis paratus armis propugnationem sustinet. Cui si aliquando excurrere ad terrendum obterendumque hostem visum fuerit, hoc in ipsius arbitrio erit collocatum, aliàs oppugnatio tota hosti erit relinquenda; qui nisi muros & propugnacula defensæ arcis penetraverit, nihil egisse, quin & victus fuisse judicabitur. Neque aliter comparui, quàm coram æquis Judicibus reus, qui nisi probetur invincibili argumento nocens, manebit innocens. Quod si tamen objectum cri-

crimen in adversarium derivet, nihil censebitur contra æquitatem peccasse. Quamvis ad justam defensionem id nemo requirat. Religionis, ante Protestantes natos, arcem in Catholica Ecclesia invasimus Romani. Oppugnant nos hactenus Acatholici, & quamvis aliqua propugnacula diruerint, nondum illam expugnarunt, nec expugnaturi unquam sunt, licet cum Arianis ipsam etiam imperii sedem occuparent. Romanæ per Constantinum Magnum, ex tenebris ereptæ, publicaque in luce collocatæ sedis dignitas, aut Romæ, aut in Gallia inter gravissimas persecutiones semper stetit. Urbem totam evertere adversarii sæpiùs visi sunt; unam exscindere in Ecclesia sedem non potuêre; promissum Christi fallere non potest: *Portæ inferi non prævalebunt.* Quæ admirabilis Dei protectio adversus omnes omnium hæreticorum insultus, adversariis oculos aperire ad videndum suum errorẽ, & Christi in terris successoris gloriam agnoscendam possent, nisi error atque invidia æterna hæreticos omnes cæcitate multaret.

XIX. Bonorũ Ecclesiasticorum restitutio non est invincibile impedimẽtum.

Desperat etiam Fritzius, ob bonorum Ecclesiasticorum, ut putat, impossibilem restitutionem, quantumque hinc difficultatis Ferdinando II objectum sit meminit. Non invenit etiam alimenta pro tot Clericorum seu Prædicantium millibus. Quid

 hic

hic dicam, nisi quod videam Fritzium, animæ vilis hominem, tales secum omnium Protestantium Principes, clericosque (si quos habent) facere, qui temporalia bona agnitæ veritati salutique præhabituri sint? Ego ab eisdem generosioris animi vires ausim exspectare, quibus profligatâ hac cupiditate æterna perituris præferant. Et quid si tantæ cōtra liberalitatis Catholicos Principes, Romanum Imperatorem, Pontificēque futurum spondeam; ut hæc omnia ad arbitrium possidentium remittant, & perinde atque in gentilibus ad Christianam religionem transeuntibus, alimenta Pastoribus animarum constituenda primùm sunt ita & hisce locis provideatur, tum ex ære Regum Principumque Catholicorum, tum ex spontanea liberalitate sese convertentium. Qui suam aliorumque æstimat salutem, qui charitate Dei proximique flagrat, qui æternitatis abyssum, momentumque hujus vitæ, & fluxorum ad hæc bonorum vanitatem intuetur, hic difficultatem illam quam Fritzius impenetrabilem credit, ceu telam aranearum objectam, dissipabit. Spontè redeuntibus nihil per vim auferetur; coactis omnia.

XX. Nec Pontificis persona, in moribus decretisque obstabit.

Denique Fritzius postquam futilia plura ad exaggeranda Concordiæ obstacula, præsertim ex Pontificis persona, & moribus, decretisque coacervasset, centumque etiam

etiam meminisset gravaminum, quæ sub Pontifice exantlanda Evangelicis, quondam exhibita in comitiis Imperialibus fuissent, sic, desperatione conciliationis plenissimus, concludit: *Citius Belial cum Christo, quàm Evangelici cum Papa conspirabunt.* Imò concludam opposité, dicamque: si Protestantes verè Evangelici fuerint, conspirabunt cum eo, cui, in persona Petri, dictum est: *Tu es Petrus, & super hanc petram fundabo Ecclesiam meam*; quem Romanum esse Pontificem haud multò post demonstrabo. Ad reliqua jam supra respondimus.

Consid. 8. §. 11.

CAPUT XXVIII.

Methodus certa disputandi cum Protestantibus, erroremque illorum, in religione, ex sola etiam Scriptura S. ostendendi.

DIfficultates præcipuas removimus, restat, ut videamus, quâ viâ brevissimè, juxta Meditatæ Concordiæ institutum, ad clarissimam erroris sui agnitionem Protestantes deduci queant. Ad quod faciet certa methodus ex jam dictis ordinata, juxta quam ad inquirendam veritatem sit incedendum, quæ Catholicis proderit ad eosdem in errore convincendos, Acatholicis

ad veræ religionis integritatem explorandam. Quocirca nec hi illam, nisi desperatæ mentis sint, subterfugere; nec illi, nisi veritatis contemptores, poterunt aspernari. Erit enim ex verbo Dei, & certa ratione petita.

I. Protestantes cum Catholicis verbum Dei ad fidem requirunt, illi scriptum, hi etiam traditū. *Vrsinus part.3. n. 170.*

Suppono I. Catholicos cum Protestantibus in eo convenire, quod fundamentum fidei divinæ Verbum Dei sit. Quod quidem primis bis mille quingentis annis (ut Ursinus loquitur) non nisi traditum ad Moysen usque in Ecclesia Dei fuit; accessit deinde scriptum. Et in hoc, eodem fatente, non diffidemus; sed in eo quod Catholici in nova Lege traditum quoque Verbum Dei cum scripto, post Apostolorum discessum, relictum esse asserant; Et non solum Evangelistarum & Apostolorum scripta, sed & doctrinam viva voce exceptam, (quæ & prolixior, & explicatior, clariorque fuit scriptis) in Ecclesia relictam, traditamque oretenus posteritati affirment. Hoc Protestantes nolunt agnoscere, scriptumque ad nostram fidem sufficere arbitrantur.

II. Vbi Scriptura clarè loquitur, utriq; in ea subsistunt; ubi controverti-

Suppono II. In eo consentire rursum utrosque, quod ubi claro definitoque sensu loquitur Scriptura, sufficiens illa sit ad articulos fidei fundandos; at, ubi plurium sensuum capax, in controversiam abstrahitur, aliterque ab aliis intelligitur, Catholici docent, ad Ecclesiam ejusque universa-

lem

lem sensum, transeundum esse, qui de Scripturæ intellectu per traditionem perpetuā habetur: vel si de illo minus constet, suspēdendum judicium esse: donec legitimo Ecclesia concilio, sub uno capite, congregata, quid traditum olim fuerit, quisque etiamnum Scripturæ sensus tenendus sit, diligenti investigatione exploraverit. In quo judicio cum sentiamus Ecclesiam infallibilem esse, hoc quod ipsa nobis, tanquam Dei verbum, suo sensu definitum proponit, securè amplectimur; in eoque (non verò solius Papæ, ut Adversarii falsò comminiscuntur) ultimò acquiescimus. Et hæc est regula universalis fidei nostræ, in qua orthodoxi securè acquiescunt. Et, *qui Ecclesiam non audierit; est illis sicut Ethnicus*. Contra Acatholici, licet Ecclesiæ judicium non detrectent; tamen illud fallibile esse statuunt, dicuntq; hoc ipsum ad scriptum Dei verbum, tanquam regulam fidei ultimam, solumque infallibilem examinandum esse, nec aliter nisi quatenus cum hac regula consentit, amplectendum. Est igitur Protestantibus verbum Dei scriptum, & regula credendi ultima, quatenus claritate suâ dirigit (ut ipsi volunt) & ratio, quatenus veritate sua movet. Quod & nos in claris definitæque sententiæ Scripturis libenter admittimus; sed in controversi sensus Scripturis, ubi, & claritas, & determinata illius sententia deest,

tur, Catholici traditum Dei ab Ecclesia verbum audiunt. Protestantes ad symbolicos libros se convertunt.

Matt. 18.

est, pro regula nobis est rerum credendarum Ecclesia per verbum Dei non scriptũ scripti ambiguum sensum clarè definiens exponensque: ratio verò assentiendi, est ipsum Dei verbum traditum scriptumque, quod alterum sine altero non sufficiat. Nam quod suâ naturâ plurium capax sensuum, definitæ sententiæ non est, se solo ad determinandum credentis intellectum non sufficit; sed, vel humano, vel divino oportebit verbo absolvi definirique in sensu necessario. Protestantes igitur, cum præter scriptum Dei verbum, traditum non agnoscant, absolutam utique humano judicio verboque sententiam conficient. Et hujus nos illos erroris universalis condemnamus manifestèque convincimus, quòd ad libros suos recurrant symbolicos, atque ex illis hinc Lutherani, inde Calvinistæ Scripturam eandem diverso sensu definiant. Ipsi contra illius nos erroris reos esse constituunt. Quod sanè non possent, si præter verbum Dei scriptum, traditum in Ecclesia orthodoxa, quantùm ad res credendas spectat, agnoscerent. His igitur ex principiis partis utriusque suppositis,

III. Controversiæ omnes religionis, ab una traditi verbi lite absoluta definitaque pendent.

Statuo I. Conciliari nos in religione posse, si vel unica hæc controversia de traditionibus æquo judicio esset absoluta. Nam si Protestantes evicissent, tales non dari in lege Nova, sed in Scriptura tantùm

S.o-

S. omnes rerum credendarum articulos definiri, neque ad alia, quàm quæ illic clarè definitèque expressa essent, nos in fide obligari, cedendum nobis esset, atque ad partes illorum transeundum. Sed hactenus Romanos ab illius sententiæ, traditique Dei verbi possessione deturbare invictis argumentis non potuerunt. Imo contrà Romani tam solidis ex scripto Dei verbo, Ecclesiæque usu, traditum Dei verbum (ad quod tamen præstandum non tenentur) rationibus propugnant, ut impossibile Adversariis sit, hanc illis religionis arcem eripere. Ostendi illud clarissimè *part. 3. Meditatæ Concordiæ*, ipsosque bono numero Protestantiũ Ecclesiæ antesignanos in consensum adduxi. Hic paucula, ad firmandum Lectorem, vel adjiciam, vel repetam.

Art. 5. Confess. Gal.

IV. In hac Catholici ex clarissimis Scripturis triũphant.

Et I quidem certum est, solo verbo Dei tradito; si nihil Evangelistæ & Apostoli scripsissent, fidem in Ecclesia Christi propagari potuisse. Nam si illud in primæva Ecclesia per 2500 annos factum, cur per mille & quingentos non potuisset? II Certa promissio, verbi Dei tradendi, & oretenus sine interitu, cum spiritu divinæ veritatis, propagandi; post Redemptoris adventum, in veteri lege expressa est, quæ, cùm Dei sit, fallere non potest; *Cùm venerit*, ait per Isaiã Deus, *Sion redemptor, hoc fedus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te* (popu-

Isa. 59. 21

le Jacob) *& verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui in sempiternum.* Ubi cum verbo Dei tradito, & Spiritus veritatis, & perpetua verbi talis prædicatio, transmissioque in omnem posteritatem à Deo Ecclesiæ Christi promittitur. Hæc ergo omnia in eodem reperiri necesse est, frustraque ejus reformationem ex verbo Dei scripto moliuntur: verùm ipsi ex traditione tam certa, & infallibili reformandi sunt. Idem D. Chrysostomus ex Apostolo irrefragabiliter evincit: *State*, ait ex illo, *& tenete traditiones, quas accepistis, sive per Epistolam, sive per sermones.* Et subjicit: *Hinc perspicuum est, quod non omnia per Epistolam tradiderunt; sed multa etiam sine scriptis, & ea quoq; sunt fide digna. Quapropter Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio: nihil quæras amplius.* Et alibi ex eodem Apostoli loco: *Plurima*, ait, *absque scripto tradidit, sive de fide, sive de charitate*, &c, ut intelligas, eum de traditionibus etiam ad fidem spectantibus locutum. Universè enim de traditionibus agitur.

In 2. Thess. 2. hom. 4.

In 2. Tim. 1. vers. 13 hom. 3.

Verum Protestantes Augustinum sibi favere putant, quod diversis locis asserere videatur Scripturas S. abundè ea continere quæ fidei sunt. Et ego facilè concedam, suo modo easdem continere omnia; quia ipsas traditiones, præter expressa scriptis, apertissimè suadent, quæ scriptis junctæ conti-

nent

nent omnia. Ceterùm ipse variis locis traditionem non scriptam Apostolorum commendat, ut de parvulis baptizandis, ac de hæreticis non rebaptizandis, additq; *multa non inveniuntur in literis eorum, neque in consiliis posterorum, & tamen, quia custodiuntur per universam Ecclesiam, non nisi ab ipsis* (Apostolis) *tradita, & commendata creduntur*. Deniq; Protestantium Primipilares, ut Magdeburgensis, Whitakerus aliique fatentur primam ab Apostolis Ecclesiam traditiones verbi non scripti necessariò observandas agnovisse. Ipsa denique Protestantium Ecclesia ad defendendam religionem suam, cogitur traditiones admittere, ut de SS. Trinitate, de Filii consubstantialitate, Spiritus S. processione, utriusque æqualitate, &c. Ipsa S. Scriptura, quam habent, traditione infallibili Romano Catholicæ Ecclesiæ nititur. Nam si hæc fallibilis est, tota in suspicionem falsitatis Scriptura trahitur. Neque enim de se ipsa testanti rationabilis fides habebitur. Et deinde siqua pars de se testetur, quod sit verbum Dei, siletur de ceteris. Neque inter Evangelium Bartholomæi, aut Matthæi noveris distinguere; utrum verum? utrum apocryphum? Rursum symbolum Apostolorum, & Nicænum, atque Athanasianum. tum quatuor prima generalia, quæ à Protestantibus admittuntur, concilia, non conflantur ex puro verbo

Aug. de Gen ad lit. lib. 10 c. 23. De bapt. l. 2. c. 7:

Vide parte 3 Med. Concord. art. 5. p. 56.

V.
Ipsi Protestantes traditiones quasdam agnoscunt, ac sequuntur.

Dei scripto, sed etiam tradito. Præterea abrogatio legis Apostolicæ de *non edendis suffocatis & sanguine*, per traditionem quoq; Apostolicam (neque enim solius Ecclesiæ autoritate humana tolli potuit) ab eisdem Protestantibus acceptatur, licet scripta nō sit. Denique liturgiæ Apostolorum, canonque Consecrationis, tam panis, quàm vini in altari, à multis Lutheranorum, ritu & institutione prisca (quamvis in lingua vernacula) retinetur: Et tamen ipsa consecrationis quædam verba, in Scriptura non continentur; tradita ergo hæc esse sentiendum est. Alia ejusmodi sunt, quæ credunt; ut, quod hodierna S. Biblia cum suo conveniant originali, tum contra Romanos tuentur, quod Liber Tobiæ, Ecclesiastici, Machabæorum, aliiq; Canonici non sint; quod duo in Ecclesia Sacramenta sint, quod legitimum Clerum, Prædicatoresque à Deo vocatos habeant, quod Presbyteri eandem cum Episcopis ordinum conferendorum sortiti potestatem sint, quod Papa Romanus Antichristus sit, quod libri eorum symbolici, quorum sententiam sequuntur ex S. Scriptura desumpti sint, &c. quæ tamen in claro Dei verbo scripto non continentur. Ergo vel tradito hæc Dei verbo, vel fallibili hominum judicio nituntur: utrumvis admiserint, seipsos erroris condemnabunt. Vident igitur Protestantes, quam procul in fun-

Act. 15. 20.

fundamentali hac controversia, ex qua una librantur omnes, à veritate deflectant. Agant, & ex scripto Dei verbo tot errores, in hac una thesi commissos, purgent. Dent claram definitamque magis, vel in hoc uno suæ religionis contra nos articulo, scripturam. At novi me, & postulasse, & nunc iterum ab eis exigere adynata, & nunquam sufficienter præstanda. Quare potius per salutem totius Germaniæ malè in religione diffidentis, perque amorem salutis propriæ obtestor, misereantur animæ suæ, & tot aliorum à veritate aberrantium, dent gloriam Deo, veritatique se æternæ submittant, & clariorem hic esse Scripturam S. (cui tantùm se deferre velle profitentur) & rationem certiorem agnoscant, quàm cui possint diutius obniti. Fateantur, unam esse Catholicam Ecclesiam, quæ licet sæpè in moribus aberrantes complectatur, nunquam tamen in fide orthodoxa à vero deflexerit. Non enim aliò hæc mea spectat provocatio, nisi ut latentes in tenebris ad lucem, ab errore ad veritatem, à certo exitio ad salutem æternam educam: neque aliud laboris mei præmium, vel in hac, vel in altera vita exspectabo: neque vinci vos aliter, nisi cum vestra victoria, Deique gloriâ desidero.

VI. Invitati ad hanc thesin refellendam desperare coguntur.

Statuo II Cum Protestantibus eruditioribus disputandum eâ solùm, quâ ex vi professæ

VII. Ratio & lex firma disputandi cum ce-

ruditiò ribus Protestantium à qua, ut æquitatis plena, non discedendum,

fessæ reformationis tenentur, lege esse, ut hoc ex scripto Dei verbo præstent, quod promiserunt, erroresque nostros claro definitique sensus verbo Dei scripto, convincant, hoc est solis S. Scripturæ verbis non detortis, nec malè consarcinatis, exhibeant articulum aliquem fidei, oppositum nostro, eique manifestè contradicentem. Hoc punctum urgendum est instantissimè, dum fateantur se non posse. Tum verò hac responsione, in plurium quantum licebit, præsentiâ (ut postea resilire solitâ inconstantiâ erubescant) pro confesso admissa, eisdem, ut per legitimum syllogismum, utraque præmissarum ex S. Scripturâ desumptâ, conclusiones inferant nostræ fidei contrarias, erit indulgendum, qua in re si deficere videantur (ut omnino futurum est) ceteris vitatis supervacuis discursibus, quod constanter & ubique tenendum, offeres illis; sed cum protestatione indulti gratuiti, ut liceat alteram propositionem antecedentium ex ratione adjicere. Et cùm videris denique (ut & hic eveniet) nihil nec hac quidem via, licet incerta, eum obtinuisse: testimonia in eam rem præsentium colliges, si videris obstinatè suæ etiamnum opinioni adhærescere; aut, si illud profuturum nil putes, suaviter ad resipiscendum hoc in puncto illum aliosque invitabis. In defensione verò observandum inprimis erit, ne inadæquatum ali-

VIII. Quæ in diluendis argumentis

aliquem Scripturæ sensum pro adæquato, vel alienum à proposito admittas, ideoque te ScripturæS.vim, & varietatem in significando, bonæque interpretationis regulas, & ejusdem argumenti loca, vel etiam similia in promptu habere oportebit, ut abutentem Scripturis, & indefinitam ejus sententiam pro definita usurpantem, possis redarguere. Sic e.g. si generalem hanc thesin (à qua semper ordiri disputationem eruditos convenit) de tradito Dei verbo oppugnandam Adversarius sumpserit: vel probaturus illud non dari, refutando thesinCatholicam; vel demonstraturus scriptumDei verbum sufficere ad fidem ac salutem, stabiliendo thesin suam. Hanc verò ut faciliorem eliget. Ubi igitur illi indulseris, tum usitatas hoc in argumento Scripturas producet.

Scripturæ observandæ.

Exemplū sumitur de traditionibus.

Ut primum, in veteri lege Moysi, nihil præter Scripturas admissum esse. *Non addetis*, ait Dominus, *ad verbum, quod loquor vobis, nec auferetis ex eo: custodite mandata Domini Dei vestri quæ ego præcipio vobis.* Deut.4.v.2. Et rursum: *quod præcipio hoc tantùm facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas.* Deut. 12.v.32. Verùm attende: *Verbum*, ait, *quod loquor, & quæ præcipio*: quæ tam tradita, quàm scripta esse constat. Sola enim scripta intelligi nequeunt, aliàs libri Josue, Regum, Sapientiæ, &c. addi Deuteronomio, vi hujus

Quàm frivolè has Protestante ex Scriptura oppugnent.

præcepti, non possent. Nihil igitur hoc loco vetatur aliud, quàm ne verbis & mandatis Dei, homines de suo quicquam addant, aut demant, quod his adversetur. Accedit, quod ex lege veteri, multis observationibus & ritibus onerata non liceat ad legem gratiæ ducere argumentum. Quare, ut ex lege nova evincant, hæc adducunt.

Ioan.5.39 Christus, ajunt, Judæos monet: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam habere æternam, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Et alibi Joannes ait: *Multa quidem & alia signa fecit Iesus, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Solæ igitur Scripturæ sufficient ad salutem, præsertim cùm Paulus dicat: *Sunt aliqui qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Christi, sed licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod Evangelizavimus vobis, anathema sit.* Verùm hic tantùm abest, ut de solo verbo Dei scripto loquatur Scriptura, ut nec de omni quidem illo. Christus enim de veteris testamenti Scriptura tantùm loquitur, quæ ad salutem nobis non sufficit. Et Joannes loquitur de suo tantùm Evangelio, dum ait *scripta esse in libro hoc*, quæ etiam sola non sufficiunt. Paulus de eis solùm, quæ Apostoli vel scripto, vel verbo tum temporis Galatis prædicârant, quibus postea

Io.20.30.

Gal.1 7.

mul-

multa, etiam scripta, accessêre, quæ certè anathemati non subjecit. Unde, quæcunque verbo Dei seu scripto, seu non scripto adversantur, scripta mandataque hominum, submota voluit, quod lubentes fatemur. Sed contra urgent ex Paulo: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum..... in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Frustra igitur aliud Dei traditum verbum idq; incertum requiremus. Nam si hæc Scriptura præstat, sufficit. Sed respondeo etiam *pietas ad omnia utilis est:* an ergo sufficit? Etiam fides, an tamen sola sine charitate? Et panis, ut homo vivat; & manus ut agat, ac perfectus in natura sit, & ad omne opus instructus; an igitur sufficiunt? nimium ista inter se diffident. Denique ut intelligant, quam inanes hæ frustraneæque illationes sint. Fingamus evincere illos, de solis Scripturis audiendis posse: tum nihilominus traditum Dei verbum iccirco admittendum erit, quia clarissimè expressissimeque Scripturæ fidelibus universis (neque enim pro solis Thessalonicensibus hæc scripta) traditiones commendant, non qualescunque rituum, (ut nonnulli somniant) sed quæ agunt de *fide veritatis*, *in quam vocavit nos Deus per Evangelium*. 2. Thess. 2. 14. Per Isaiam verò promittuntur, quæ ad fidem Messiæ, ejusque cognitionem spectant. Has verò postmodum scriptas esse, conjectura

2. *Tim.* 3. 15.

IX. Licet Scripturas sufficere ad fidem probarent, nihil tamẽ evincerent. Nisi traditum Dei verbum nõ dari ostendant, quod Scripturæ probant.

est,quam invincibili testimonio verbi scripti Adversarii docere tenentur, aut obmutescere ad tantam asserendi illa temeritatem. Nimium diserta Isaiæ verba sunt,quæ dicit: *Verba mea*,non scripta,*posui in ore tuo*, non in manibus, libris aut oculis tuis, *nec recedent de ore tuo*, *& de ore seminis tui in sempiternum*, quæ omnino ad doctrinam traditam,non scriptam spectant. Quocirca monebis Adversarium, te gratuitò etiam concessurum, quod sola Scriptura sufficere ad fidem salutemq; queat. Cùm verò illa traditum Dei verbum & promittat in veteri lege, & in nova tenendum esse præcipiat: hanc tam claram fundatamque Catholicorum thesin evertendam esse, audiendum Paulum ubi Timotheum monet: *Depositum* (hoc est,vivæ vocis Traditiones,ut *Tertul. de præsc.* ait,neque enim scriptam apud eum fidem deposuerat,cum nondum,nisi ex parte aliqua,esset)*custodi,devitans prophanas vocum novitates,& oppositiones falsi nominis scientiæ,quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* Et sanè, ad firmandam consensionem in fide,vitandasque hæreses, ut diversas expositiones Scriptura patitur; ita utilissimum fuit, sententiam Scripturæ ab Apostolis intentam, vivæ vocis traditione per Ecclesiam teneri;quod Scriptura, multorum corruptioni obnoxia,universali traditione, difficilè post sparsam toto orbe fidem

Isa. 59. *v.*21.

1.*Tim.* 6. 20.

dem

dem corruptibili, egregiè firmetur. Hinc deinde factum, ut Græci, Latinique, Orientis Occidentisque Patres, plerosque fidei articulos, uno ex Scriptura sensu, jam Patrum traditione instructi, eruerent. Porrò, ut concludam: temerarius sanè fuerit, qui cum Ecclesiæ Catholicæ in scripto Dei verbo acceptando, fidem præstet, in tradito nolit adhibere.

X. Colloquium Ratisbonense iniquâ Catholicis lege susceptũ. Cùm Protestantes officium suum nõ præstitetint.

Dixi, *cum eruditioribus* hanc disceptandi viam tenendam, quâ ipsi ex Scriptura, quæ definiti sensus sit, ad probandum obligentur. Accusatoribus enim erroris nostri incumbit probatio. Quo nomine valde erratum fuisse observo in Colloquio Ratisbonensi anno 1601, quod cum duobus Societatis nostræ Patribus Gretsero & Tannero, Hailbronner & Hunnius potissimùm, coram Maximiliano Bavariæ Duce, & Philippo Ludovico Comite Palatino suscepêre. Ubi promiscuè onus probandi susceptum est: neque servata lex illa syllogistica, ut præmissæ ex S. Scriptura, citra humani verbi admisti corruptelam desumerentur. Unde longa disputatione, & pænè inutili, nullius rei controversæ absolutione tempus consumptum est: licet præcipuam hanc de verbo Dei scripto traditoque materiem pertractassent. Verùm, iniqua, ut dixi, Catholicorum sorte, qui ad nullum probandi onus, tot annorum possessione freti, tene-

ban-

bantur. Memini historiæ Anglicanæ, ubi inter Reges tyrannicè quidam subditis imperabat; ut de jure possessorum à se bonorum testimonia digna promerent, cùmque frustra hæc sæpius exegisset: responsum deniq; est, præsidium juris aliud, præter justam defensionem contra invasores non suppetere, & hac se pro viribus usuros. Cui tam animosæ responsioni Tyrannus cessit, veritus ne dum aliena tam improbè quæreret, propriis justè dejiceretur.

XI. Minus eruditis Protestantium aliquid indulgẽdum est, e.g. in cultu SS. suadendo.

Cùm minus eruditis tamen via diversa incedendum est, suisque ex Scriptura sunt armis expugnandi. Et in materia magis apud vulgus controversa, ut, de cultu Sanctorum: si ostendas, quam procul Ecclesia Catholica absit à cultu divino illis præstando, quæ pugnantem cum hoc cultu Dei rationem ineat; dum petit, ut *pro nobis Deum orent*, & tanquam Dei amicos exemplo Scripturarum veneretur. Imò nec ad postulandam hanc quidem intercessionem, aut cultum homines obliget; sed liberum relinquat, credatque solis Christi meritis & intercessione fidentem salvari posse, modò Sanctos debito honore colentes, ut idololatras, non condemnet, nec cum illis Abraham, Loth, aut Ducem Josue arguat, qui *pronus in terram adoravit Principem exercitus Domini* Angelum: neque audire, vel intelligere illos nos abnuat; quorum *majus gaudium*

Gen. 18. & 19. *Jos.* 5. 14.

dium est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente quàm super 99 justis, & qui preces *nostras*, ut Raphael Tobiæ, *orationes offerunt Domino*. Hæc enim cum Dei verbo doceamur, nec à Protestantibus negari possunt. Ita & Purgatorium, & pro animabus defunctorum preces; cum Tertulliano, Chrysostomo, Epiphanio, Augustino aliisque facilè persuadebis ex veteris Ecclesiæ usu, & libris Machabæorum, si exemplum Judæ proferas 12 millia drachmarum Hierosolymam mittentis, ut sacrificia pro mortuorum delictis offerrentur, *quod sancta & salubris cogitatio esset, pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur*. Probante, & libros, & locum Augustino, qui *de cura pro mortuis* scribens: *In libris*, inquit, *Machabæorum legimus, pro mortuis sacrificium; sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, authoritas. Vbi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad altare funduntur* (respexit ad liturgias Missarum) *locum suum habet etiam commendatio defunctorum*. Quæres igitur: cùm *nihil coinquinatum intret in regnum cœlorum*, & *septies etiam in die cadat justus*, quid tali, in levi etiam peccato verbi otiosi defuncto, futurum sit? an propter illud æternum damnandus, si purgatorium desit? Et quomodo aliquis Protestantium salvari queat, cum originali concupiscentia in omni opere in-

qui-

Luc. 7. 13

Tob. 12. 12

Aut in Purgatorio.

2 Machab. 12

tom. 4. cap. 1.

Apoc. 21. 27.

quinatus, moriatur? Si dicant, his licet naturâ inquinatis propter fidem peccatū non imputari. Ergo sequetur Protestantes solos hoc gaudere privilegio; quod, licet naturâ suâ inquinati, cœlum subeant. Tum denique quæres, quid sibi post mortem fieri optent, & num obfuturas sibi preces vivorum apud Deum existiment? num Luthero malint, quam Augustino fidere, qui pro sua etiam matre Monica, licet sanctæ vitæ femina, preces & sacrificia Deo obtulit? Denique ex Paulo cum eodem Augustino orare Deum poteris, ignarisq; hac oratione præire. *In hac vita* [ô Domine) *purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus sit, propter illos, qui salvi erunt, sic tamen quasi per ignem. Quare? nisi quia ædificant super fundamentū, ligna, fœnum, stipulam.* (Quæ ignis consumet, fundamento purgato; quia *uniuscujusq; opus quale sit ignis probabit.*) *Si ædificarent autem aurum, argentum, lapides pretiosos, de utroq; igne securi essent, non solùm de illo æterno, qui in æternum cruciaturus est impios; sed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per ignem salvi fiunt.* Nihil clarius & ad Apostoli locum aptius dici potuit. Nec quisquam Protestantium hæc evertet.

Aug. to. 8. Ps. 37.

1 Cor. 3. 13.

XII. Etiam cum mediocrit. doctis Catholicus pro-

Cum mediocris eruditionis hominibus Catholicus quoque probandi onus, addita tamen monitione, quod ad hoc minimè obligetur, sustinere poterit, atque aliquan-

to graviora & universaliora in controversis prosequi, ut e.g. de Ecclesiæ autoritate, Ministrorum vocatione & Sacramentorum neglectu, &c. Ita, quæret; nunquid existiment, si in aliquo Scripturæ loco interpretando controversia nata sit, unusque ministrorum se illius Spiritum sensumque melius certiusque, quam totam Ecclesiam assequi jactet, contraque Ecclesia se veritatem ejus tenere tuerique affirmet; plus uni homini, quam toti Ecclesiæ aut Concilio sit credendum? Quid hic communis ratio, quid Scriptura dictet? Fritzius ad hoc respondet. *Religio nostra constat, non ex infinitis sed certis articulis fidei. Horum probationem desumimus, aut ex textu S. Codicis exserto, aut ex consequentia, quæ dictante recta ratione aliter deduci non potest. In sensu dubio consulimus orthodoxam, & piam antiquitatem, consensum Ecclesiæ priscæ & infucatæ ferè sequimur, & cum illa conspiramus: deniq; ad libros recurrimus symbolicos. Ita probamus nostræ fidei articulos. Siqui in nostris Ecclesiis sint, qui aut singularia, aut hisce contraria docuerint, vel statuerint, Præpositi quarumcunq; synodorum examinant talia argumenta, reducunt in viam veritatis errantes. Quod si hi efficere hoc non valent, convocatur autoritate Principis generale Concilium, ac ita certa decretoriaq; ab illo fertur sententia. Ita vides, Maseni, quod sit fundamentum nostræ fidei, primò S. Scripturam, 2. Consensum orthodoxæ & anti-*

bandi onus suscipere poterit, e.g de autoritate Ecclesiæ.

Consid. 10 §.3. *n.*1.

Ecce nova Lutheranæ fidei, in Gryps-

vvalden-
si Acade-
mia,fun-
daměta.

antiquæ Ecclesiæ. 3 Libros symbolicos, unanimi consensu in omnibus Ecclesiis Evangelicis receptos. Contra hanc veritatem nemo vel mutire audet; si privatæ mentis sensum attulerit, aut corrigere errata, aut solum vertere cogitur. Hæc apertè Fritzius, ubi postquam præter Scripturam, antiquam quoque Ecclesiam, & libros symbolicos pro fundamento fidei suæ admisit: denique suæ Ecclesiæ Principibusque hoc indulget contra privatos Scripturæ interpretes; quod si in Lutherum Romana cum suis Principibus designasset Ecclesiâ, novo illi Evangelistæ imperio totò exulandum fuisset. Verbo, diffiteri non potest, Ecclesiæ plus quàm privato tribuendū interpreti, illamque solam falli non posse. Unde infero, privatum quemlibet, aliter Scripturas, quàm Ecclesia facit, de fide interpretantem, teneri suum ultro judicium Ecclesiæ judicio submittere, nec ex Scriptura Ecclesiam, pariter Scripturam allegantem, erroris posse arguere; adeoque ab illa se separare, ut Lutherus fecit, Catholicæ Ecclesiæ ejusque Concilii; Scripturas Scripturæ opponentis, judicium aspernatus. Improba igitur ipsius causa, omniumq; sequacium est. Nec solùm adversus humanam rationem, omnemque politiam, & cō-troversia decidendi consuetudinem (prout ipsimet Sectatores nunc sentiunt) sed adversus Christi institutum peccavit: qui in qua-

quavis contentione, præcipuè de religione inter fratres nata, si componi coram paucis res nequeat, jussit *dicere Ecclesiæ* : subjicitq;, *si Ecclesiam non audierit, erit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Agere verò Christum hic de quavis etiam religionis controversia, patet, tam ex proximè antecedente, de ove perdita & inquisita, parabola; quàm ex sequente potestate ligandi solvendique Apostolis tributa; denique ex ipsis verbis, quod non *audiens Ecclesiam* pro *ethnico* seu *infideli* habendus sit, qui suâ pertinaciâ fidem deserat. Videant igitur Protestantes, quo titulo Lutherum Ecclesiæ reluctantem purgent, qui Christi & ipsomet Lutheranorum, ut Fritzius fatetur, judicio, ut infidelis condemnatur. Sed fortè hoc tempore aliquis quærat, quam ergo audiemus Ecclesiam? Quæro ego, quam existimes Luthero audiendam fuisse? à qua ille in contentione discessit, ad hanc te confer, ne cum illo infideli par habearis, vel transi ad illam, quæ *supra Petrum*, tanquam *petram* fundata ad nos usque continua successione est propagata. At D. Joannes Thomæ in sua Confessione ingerit : *Petra autem erat Christus. Nec fundamentum aliud quisquam ponere potest*; sed intellige universalissimæ Ecclesiæ, militantis simul & triumphantis : Nam & nos, visibilis Ecclesiæ in terris membra, *superædificati super fundamentum Apostolorum*

Matt. 18. v. 19.

In confess. sua ca. 2. n 2.

1. Cor. 10 4.

1. Cor. 3. 11.

Eph. 2.

ſumus, *ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.* Non minus ergo Petrus eſt petra, fundamẽtumque, quàm Chriſtus, ille tantum viſibilis Eccleſiæ, hic utriuſque, uti & Chriſtus, & Petrus *lux mundi* dicitur. Suo tamen utrumque epithetum utrique convenit diſcrimine: *Petrus,* ait Baſilius, *dixerat: tu es filius Dei excelſi, & viciſſim audierat ſe eſſe petrã, ita laudatus à Domino. Licet enim petra erat; non tamen petra, ut Chriſtus: ut Petrus petra erat. Nam Chriſtus verè eſt immobilis petra: Petrus verò propter petram. Axiomata namq; ſua largitur aliis. Lux eſt, & vos eſtis lux mundi,* inquit, *Sacerdos eſt, & facit Sacerdotes.*

In hom. ult. de pœnit.

Sed Jodocus Schlaſius intercedit, negatque hinc ſequi, quod licet Petrus eſſet petra Eccleſiæ, ſucceſſores Pontifices etiam petræ ſint Eccleſiæ. *Ex iſta,* inquit, *ſingulari propoſitione: Tu Petre, es petra Eccleſiæ, eliciat univerſalem iſtam: Ergo omnis Petri ſucceſſor eſt petra Eccleſiæ.* Experiamur, mi Schlaſi. Ex hypotheſi nobis conceſſa, ſic argumentor: Eccleſia eſt fundata ſupra petram perpetuam, quam portę inferorum non ſubruent: ſed talis Petra eſt Petrus, cum ſuis ſucceſſoribus, fundamentum Eccleſiæ cum eo perpetuantibus, (ipſe enim ſe ſolo perpetuus non erat.) Ergo fundata eſt Eccleſia ſupra Petrum cum ſuis ſucceſſoribus, &c. *Numerate,* ait Auguſtinus, *Sacerdotes ab ipſa Petri ſede, ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ infero-*

In paneg. n. 5.

In Pſal. contra partem Donati.

ferorum portæ. Nec Protestantium Theologi hanc unquam evertent. Solida est, omnisq; impugnantium turba ad hanc allisa petrã, caput infelix confringet.

XIII. Ecclesiã Protestantium & clero, & Sacramentis, & prædicatione legitimè vocatorum destitui rectè ostenditur.

Illa quoque ad expugnandos Adversarios compendiaria est via: ostendere eisdẽ; quod Protestantes, in sua Ecclesia, Episcopis, Presbyteris, ac Sacramentis (si Baptismum demas) careant. In Meditata Concordia his verbis usus fueram: *Cùm in rebus Ecclesiasticis, nec ordinis potestas; vi cujus Sacramenta ritè conficiuntur & administrantur: nec potestas jurisdictionis; vi cujus Ecclesia regitur haberi à Christo & Apostolis; nisi per mediatos, legitimèq; ordinatos & institutos Episcopos hoc tempore poßit, si hæc potestas in Catholicismo, cur ab eo se seduxêre? si verò non, unde Lutherus habuit?* Quibus sic occurrit Fritzius: Non, inquit, *mutata religio fuit, sed correcta, purgata, in meliorem statum redacta, & ad priscam orthodoxam, unde ortum sumpsit, reducta. Character ille ministerij mansit in B. D. Luthero ex vestra Ecclesia, in qua verè & ritè hactenus servata fuit cleri succeßio & institutio.* Deniquè, post eadem repetitis sententiis inculcata, subjicit. *Iam provoco ad universum Christianum orbem, deq; tua improbitate, & scelesta maledicentia, solennißimè protestor; & quia deficit fortè terrenus Iudex, provoco te, Maseni, ad tribunal Christi, ut de insignibus hisce mendaciis, & calumniis tandem exactam reddas rationem.* Qua-

Fritz. Iurisconsf. Grypswaldicus: Consid. 12 §. 11.

Provocat desperans de sua probatione ad judicium Dei, cui addicitur.

redico: in Ecclesia Evangelica sunt veri ministri (hæc enim ex data ratione negaveram) *legitima prædicatio, recta Sacramenta, bonus ordo, sarta tecta jurisdictio , omnia sancta & ritè benèq; ordinata*. Probationem hujus assertionis talem addit: *Qui aliter dicit, improbè & sceleste mentitur*. Quæ illi confutandi ratio, pro fundamento passim sufficit. Quia verò me tantâ suæ vanitatis confidentiâ , & hic, & alibi ad supremi Judicis tribunal citat, tanquam improbæ causæ defensorem, non detrecto, parebo & lubens obsequar, teque coram arguentem exspectabo, causæ hujus meæ integritate securus; melioremque interea tibi à Deo mentem precabor. Verùm ut brevi ad hoc judicium prepareris, suadeo; neque enim hæc mea est ætàs, ut multos polliceri mihi annos possim. Deus utrumque nostrûm non in ira sua, sed miseratione judicare dignetur; aberrantique lucem ad veritatem agnoscendam , ante hoc judicium suppeditare. Ceterùm tam procul Lutherani à veris Ecclesiæ Ministris, ordine, Sacerdotio, Sacramento cœnæ & prædicatione legitima absunt, quàm procul à Catholica Ecclesia, in substantialibus etiam fidei articulis, diffident. Solius hic Episcopi, & fuit, & hodiedum est conferre ordines. Omnis verò Episcopus etiam presbyter est; sed non è diverso. Unde sicubi presbyteri imposuisse manus ordinando ferun-

Cur nemo legitimè apud Protestantes ordinetur.

1. *Tim.* 4. 14.

feruntur, id vel ab illis, ut Episcopo ministrantibus, vel ut Episcopis ordinantibus factum est; adeoque frivolum est Adversariorum argumentum, quo, ut Luthero potestatem ordinandi vendicent, presbyteris hanc satagunt tribuere. Res quæ ante Lutherum nullis fuit, nisi quibus dixi, exemplis cognita. Neque Episcopus Catholico ritu Lutherus esse potuit, ut qui à tribus soleat Episcopis ordinari. Quâ igitur conscientiâ dicent, more eum Romano, ordines contulisse? Rursùm ordines à Romano-Catholicis non conferuntur presbyteris, cum potestate eosdem communicandi cum aliis; quemadmodum & in politicis officia reip. personis adstricta tribuuntur. Episcoporum illud ab omni retro antiquitate munus fuit. Denique ipsa sacrorum administratio, quam Protestantes usurpant, Catholicis adversatur, ab eisque semper damnata est; quis igitur ad hanc Luthero, per manuum impositionem, collatam ab eis potestatem esse sentiat? An Fritzius tam imperitus legista est, qui nesciat potestatem limitari ad decretum & intentionem conferentis: nec quenquam hanc conferre alteri, ut adversus collatorem utatur? Quocirca cùm *nemo sibi sumat honorem, nisi qui vocatur à Deo tanquam Aaron*, Lutherus neque à Catholica Ecclesia, neque à Deo ad hoc munus vocatus, omni potestate excidit, ideo-

Heb. 5. 4.

que Proteſtantium Eccleſia legitimis miniſtris, ſacramentisque Euchariſtiæ ac pœnitentiæ, vera divini verbi prædicatione, ac jurisdictione deſtituitur. Profana iſtic ſunt omnia, interque haram & aram nullum diſcrimen, quantovis fermento Fritzii ad hæc pectus intumeſcat, deſperatum eſt.

XIV. Cur Proteſtantes à peccatis non ſolvantur, oſtendi poteſt. *Ioan.* 20. 22.

Poterit etiam tangi nugatoria à peccatis abſolvendi ratio, quâ Proteſtantium Miniſtri pœnitentibus denuntiant: peccata eis remiſſa eſſe, cùm plenam Chriſtus legitimis Sacerdotibus poteſtatem remittendi indulſerit. *Accipite*, inquit, *Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittentur eis*, &c. Unde nihil agunt Miniſtri Proteſtantium: cùm nuntiare remiſſionem (quod officium tam Lictores, quàm Lectores obire poterunt) non ſit peccata remittere, juxta Chriſti inſtitutum. Iterum quanto ſuæ ſalutis periculo ab Apoſtolicæ Eccleſiæ uſu, ubi *veniebant confitetes & annuntiantes actus ſuos*, ſeu publicè, ſeu privatim, (neque enim illud definitum eſt) Proteſtantes diſcedant, ipſi æſtiment. An vulnera curari queunt, quæ non oſtenduntur? Sapientis ex Deo monitum eſt; *Qui abſcondit ſcelera ſua, nõ dirigetur; qui autem confeſſus fuerit, & dereliquerit ea, miſericordiam conſequetur*. Quæ ſi de Confeſſione Deo ſoli pręſtanda ſumas, malè ratiocinaris: cum Deo nullum ſcelus, quantumvis taceas, abſconditum eſſe poſſit. Paucis

Act. 19. v. 18.

Prov. 28. 13.

Jaco-

Jacobus: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Et cui, nisi curandi potestate prædito, hanc lepram ostendes? *Ite,* ait in figura ad leprosos tanquam peccatores Christus, *ostendite vos Sacerdotibus.* Pluribus absisto, & cujusque prudentis arbitrio delectum relinquo. Illud postremùm moneo, legem illam, quam *pro eruditioribus* ad veritatis agnitionem cogendis statui, constanter perurgendam, quod hanc ipsam sibi, Luthero Duce, præfixerint. Verùm conabuntur omni ingenio hæc septa perfringere. Alii dicent Scripturam S. cui ipsi adhæreant in possessione esse, alii Apostolicæ se Ecclesiæ semper fuisse, tantùm ob varios abusus, non à vera avulsos Ecclesia, sed Romana jam corrupta, ideoque se ad probandum non teneri; sed Romanos, qui se, veritatem sectantes, erroris damnarint. Sed his aliisque prætensionibus manifestè principium petitur, quodque controversum inter utramq; est partem, pro concesso malè usurpatur. Quæritur enim disputaturque; utra partium S. Scripturæ propius inhæreat? utra Apostolicæ Ecclesiæ vestigiis insistat? nec hoc ante Lutherum, nisi per hæreticos, Romanis quisquam negavit. Si accusat, ob discessionem à Scriptura & Apostolis, Ecclesiam Romanam Lutherus; hoc, nisi perfidus desertor calumniatorque haberi velit, illi erit argumentis testibusque irrefutabi-

Iac.5.16.

Luc.17, v.14.

XV. Effugia probandi sua ex S. literis studiosè eruditi desperãtes quærent, sed facilè occludẽda.

libus probandum. In existimatione & possessione integritatis priscæ, ante Lutherum Romana fuit Ecclesia. Manebit igitur, donec Lutherus cum asseclis evicerit, illam desciviffe. Alii deinde ubi hic occlusum reperient aditum, per diversas Scripturæ interpretationes, ex ipsa Scriptura & originalibus linguis depromptas effugia qualiacunque latebrasque sectabuntur. Sed hi, ubi aliquam peritiam attuleris, majus tuæ contra illos causæ præsidium adferent. Nã quò plures S. Scriptura patietur sensus interpretationesque, tantò difficilius adversariis, quibus definitâ ad probationem sententiâ opus est, onus demonstrandi incumbet. Unde supra memini, non posse Adversariorum ex Scriptura probandi rationem validius oppugnari, quàm si ex originalibus linguis, & ipsorummet Protestantium versionibus, aut etiam dictionariis, Patrum interpretatione, atque ipsa S. Scripturæ ex diversis locis collatione, multiplex earum, quas in nos torquent è verbo scripto, phrasium significatio prodatur. Ita enim multiplicitate interpretationum confusi, cum necessario definitoque sensu nihil possint evincere, imbelles isti oppugnatores reformatoresq; nostri suis impliciti casibus manifestè hærere deprehendentur. Doleo hæc mihi, maturiore ætatis & studiorum tempore, in mentem non venisse, seriusq; nunc co-

conãti per occupationem ætatemq; prærepta. Ut hoc saltem miseris excœcatisq; pacto oculos ad veritatem salutemq; certius aperirem. Nunc *aliis hanc lampada tradam.*

Fortè & illud, quod supra attigi, effugiũ non probandi quærent, quod ad propositiones negativas (ut non dari purgatorium, Sanctos non invocandos minimè teneantur, &c.) sufficere enim ad probationem, quod S. Scriptura non tradat. Sed his supra respondi: Catholicos hæc tam ex S. Literis, quàm tradito Dei possidere, ideoque per Scripturam erroris convincendos. Accedit quod Protestantes non solùm negativè nihil asserendo, aut credendo (ut in eis, quæ Deus non revelavit; etiamsi vera essent, sufficit non credere) se habeant; sed expressè dicant: *se credere, non esse purgatorium*; hoc igitur negari, ex S. erit literis ostendendũ. Aliàs suspendendum hac de re judicium esset: cùm potuisset Deus purgatorium instituere, etiamsi non revelasset. Quo casu credere, non dari purgatorium, erroneum esset. Ita, *si credant, Sanctos non rectè invocari,* Deusque hanc contra invocationem probet, licet non revelasset, errabunt.

XVI. Catholici Protestantibus ex sola Scriptura multis partibus superiores sunt. Et 1. (qui-

Statuo III. Quod licet Catholici Protestantibus indulgeant, ut ex sola Scriptura controversiæ, optimo quo possunt modo, definiantur, multis tamen partibus maneant potiores. Et 1 quidem ratione Scri-

dem, ob securam Scripturæ possessioné, quæ his deest.

turæ,quam à propria sua ChristiqueEcclesia,per traditionem accipiunt. Cùm Protestantes,qui ab Antichristi ut ferunt,per mille ferè annos dominantis, & Ecclesiam Christi pessundantis, manibus & potestate hanc cogantur accipere,adeoque,cui in reliquis nihil fidunt, hunc fundamentum ipsum arcemque totius religionis, quam eversum ibat, reliquisse intactum incorruptumque credunt.Quis verò,aut illius Antichristi bonam simplicitatem non miretur, qui intactum hoc Christo reliquerit,quo everso,concidebant omnia: aut projectam illorum credulitatem, qui à capitali inimico Christi,totius religionis fundamentum, ceu verum certumque, quòque ipse Antichristus expugnandus sit,accipiant. An stoliditas in mundo est, quæ hanc possit, ita cœcè credentium vincere? II. Cum in articulis fidei controversis aliam Protestantes Scripturæ S. interpretationem, quàm Catholici antiquitùs à sua Ecclesia acceperūt, passim inferant; qua fronte hic Ecclesiæ Romanæ autoritatem, in tradito Scripturæ sensu,aspernantur; cùm par illa in utroque verbo & sensu habeatur: imò in sensu tanto fidelior habenda sit;quòd hic toto orbe per credentium mentes, Doctorumque plurimorum scripta sparsus, longè minus corrumpi, quàm Scriptura potuerit, quæ per varios,erraticosque,& rudes sæpè scripto-

2. Ob certam ejusdem interpretationē, quæ rursum hos deficit.

ptores, ac typothetas, paucis exemplaribus divisa, multis exposita lapsibus mansit, postquam ipsa autographa, ad quæ componi, pro securitate, deberet, amissa sunt. III. S. Scripturæ libros, ut Machabæorum. Epistolas S. Jacobi, &c. cùm non omnes admittant tanquam Dei verbum, quos tamen Ecclesia, D. Augustini tempore, & in Concilio Carthaginensi recepit, semperque deinde est tuita; quâ conscientiâ (nisi suorum de Purgatorio, & bonis operibus errorum) rejiciunt, & eandem Ecclesiæ autoritatem nunc venerantur, nunc contemnunt? Nimirum cùm alius inconstantiæ non patet exitus, ad Dei Spiritum in S. Scripturis loquẽtem, sibi videlicet familiarem, hæreticorum omnium more, recurrunt. Ad hunc agnoscendum ipsi soli Lyncei sunt, alii omnes cæcutiunt. Hic & Scripturam ostendit ambiguam, ejusque interpretationem definit, fulcitque, atque in animis eorum obsignat, ut jam amplius, suo judicio, falli nequeant. Sic Lutherani, Calvinistæ, Anabaptistæ, Sociniani, ac Quacerorum innumeræ sectæ, quantumvis inter se pugnantes, loquuntur. Et homo ratione præditus sit, qui uni horũ magis, quàm alteri, adversus Catholicam Ecclesiam (cui Spiritum veritatis promissum esse constat) fidem censeat adhibendã? His aliisque rationibus, quarum XX, planè invictissimas in Meditata Concordia produxi,

Aug. de doct. Christ. l. 2. c. 8. & Concil. Carth. 3. can. 47.

3. Obtotius Scripturæ & omnium ejus librorum agnitionem, aliis incertã.

part. 2. tra. 2. c. 3.

De S. Scriptura & ejus vera interpretatione propugnanda desperāt Adversarii.

Vrsin. in veritate fidei p.3. n.156, n.158,159 &c.

duxi, quibus nec de verbo Dei, nec de ejus interpretatione securos esse Protestantes ostendi, nemo ex quatuor Adversariis, præter Ursinum manus admovere ausus est. Respondet autem triplici via se securos. 1. Universali acceptatione & traditione Ecclesiæ. 2. Ex conformitate doctrinæ suæ, cum hac Scriptura. 3. Ex obsignante hanc fidem suo testimonio in cordibus nostris, Dei Spiritu. Unde hunc format syllogismum: *Quæ doctrina ita fundatur in verbo Dei, ut non solùm à suis, sed adversariis etiam, tanquam Catholica, & verbo Dei rectè intellecto conformis habetur, rationabiliter est acceptanda. Talis est Protestantium, ut ex collata doctrina nostra in symbolicis libris contenta, & Catholicorum à Tridetino proposita manifestè apparet.* Ergo &c credat Judæus Apella. Nimirum syllogizans iste tam cœcus est, ut pro suo principio subsumat, de quo controvertitur. Et hac clava, tanquam armatus Hercules omnia se credit argumenta mea profligasse. Ac primo quidem, quo urgebam protestantes: in acceptanda Scriptura, non posse Romanæ Ecclesiæ, quam haberent hæreticam, nec traditioni ejus, quam censerent fallibilem, credere; respondet: *Ex ipsa se etiam Scriptura, fatente Bellarmino, ejus divinitatem posse agnoscere.* Alteri verò, quo arguebam: nullam illos posse suæ interpretationis rationem dare, quâ non & hæreticus uti, & tam

fal-

falſum, quàm verum inferri poſſit, reponit, *traditione Catechiſmi Lutherani ſe uti , juxta quam S. Scripturæ interpretatio ſit dirigenda.* Tertiò, quo monebam ; ſi ad originarios textus provocarent, unde vulgus ſuam certitudinem, & an non ex Prædicantium interpretatione, quæ fallax ſit, haurirent ? & quartò : unde de originarii textus ad ſe perlati integritate ſecuri ſint? ſic occurrit, ut dicat: *Eccleſiam Catholicam quoque originariis textibus niti, & illorum integritate, ac ſana traductione, ob Dei aßiſtentis providentiam, acquieſcere,* Ita quintò : *Interpretum,* à me tactam, *varietatem, nihil ſentit efficere rerum ad ſalutem neceſſariarum articulis, ſatis clarè ab omnibus explicatis.* Ad cetera argumenta: ut, quod hæreticorum more, ad Spiritum ſuũ S. recurrerent ; quod difformiter à veteris Eccleſiæ Doctoribus Spiritu Dei fretis & orthodoxis Scripturam exponerent ; quòd interpretandi reformandique pugnantem inter ſe novitatem Lutherus, Calvinusque, ac præ uno alter , nullo vocationis divinæ argumento probaret, & ceteras duodenas alias fundamentales incertitudinis manifeſtæ rationes, reliquit intactas, ne craſſius etiam, quàm ad primas, impingeret.

Etenim quis non obſtupeſcat, ad tantam iſtorum levitatem, qui , cùm omnem extra Scripturam S. traditionem averſentur ; fateantur tamen, ſe niti debere hæreticæ Ecclesiæ

NB. juxta Catechesis suæ traditionẽ interpretari se fatentur, quod nobis exprobrāt.

clesiæ in acceptanda S.Scriptura: rursum in ejusdem interpretatione ad sui Catechismi traditionem, uti & Calvinistæ faciunt transire, ut proinde integris nationibus, ex diversa regula interpretationis, licet eadem Scripturâ utentes, diffideant. En quâ vertigine circumagantur infelices ; postquam Catechesin Catholicam , ex Apostolicis collectam traductamque traditionibus, deseruerunt. Quid porrò stultius, quàm quod ita diffidentes suam doctrinam maximè conformem esse S. Scripturæ , seque Spiritum Dei , ita in cordibus testificantem de Scriptura ejusque sana interpretatione possidere affirment ? verùm Spiritus Dei tam varius inconstansque in variorum cordibus non est ; sed unus semper idemque; qualis universali orthodoxæ Ecclesiæ tantùm , ad quam solam in sensu controverso Catholici transeunt , promissus in veteri novaq; lege , ac relictus est. Per hunc firmi immotique in certa Scripturarum interpretatione subsistimus , contraque hæreticos omnes triumphamus. Probent adversarii suum hunc spiritum ex simili uniformitate, perpetuitate, ac consensione, traditioneque universalis Ecclesiæ (quam & ipsimet in S. Scriptura acceptanda probare coguntur) & cedemus. Deinde, ut in S. Scriptura, si in ejusdem interpretatione Ecclesiæ sese eidem (ab eodem in utraque Spiri-

tu directæ) submittant; & salutem sibi, pacem unitatemq; Germaniæ, conciliabunt.

IV. Cùm, ex claris expressisq; Scripturæ verbis, articulos fidei nobis oppositos exhibere Protestantes nequeant, ad syllogismos & ratiocinationem transire coguntur, quos juxta symbolicos libros suos, & Catechesin vel Lutheri, vel Calvini, vel Memnonis, vel Socini formant. Unde consequentiæ & conclusiones planè diversæ, sæpè etiam contradictoriæ, ex iisdem tamen Scripturis S. inferunt; ut appareat, quis hos fluctuantes homines spiritus regat. Contrà verò Catholici non alias, nisi universalis Ecclesiæ (quæ errare nequit ob Spiritum veritatis sibi promissum) conclusiones ex Scriptura ducunt; ideoque soli in his adversus omnes veritate incōcussa subsistunt. Ut mirum sit, tam protervum effrontemq; inveniri hominem, qui privato fretus spiritu, incoctas sui cerebri illationes his opponere audeat. Ringatur licet, frendeatq;: confundetur hic, & in æternum.

4. Quod conclusiones Catholicorum ex Scriptura ductæ juxta sensum Ecclesiæ infallibiles; horū verò fallant.

V. Immobile atque inexpugnabile præsidium S. Scriptura Catholicis, non per ratiocinium (quod ubique potest fallere, ut in illis vertiginosis manifestum est) sed per claram expressamque, ut supra vidimus, sententiam exhibet; nempe traditum Dei verbum, *ab ore ad os* in perpetuum Ecclesiæ Dei promissum. Quod in ejus Catechesi ab Apo-

5. Quod tradito Dei verbo scriptum Catholici firment. Hi id nequeant. *Isa.* 59. 2. *Thess* 2.

Apostolis ad Lutherum usq; traducta, constanter propositum retentumque, novam Lutheri & Calvini catechesin erroris arguit, ductasque ex S. Literis Catholicorum conclusiones invincibiliter stabilit. Adversus quod nulla hæreticorum ingenia sufficiunt, omnis illorum evanescit error, &, nisi extrema desperataque sit, contumacia frangitur. Quod SS. Patres luculentissimis suffragiis (ut ipsi Protestantium antesignani in Meditatâ Concordia fassi sunt) tuentur; Concilia, quà generalia, quà particularia, omnium ætatum exponunt, propugnantque; ut homo non sit ratione præditus, qui stabilitam adeò veritatem possit aversari.

parte 3. per totũ.

XVII. Concluditur S. Scripturam Protestantibus adversari.

Hinc Concludo I. Catholicos, quamvis ad hoc non obligentur, securè ad solam Scripturam, juxta hanc Methodum & accedere cum adversariis, & provocare eosdem posse. 1. Quod in multis expressam claramque, sine omni illatione & interpretatione Scripturam Dei contra adversarios loquentem habeant; Protestantes nec in uno quidem adversus Catholicos id præstantem articulo, cùm exhibere hactenus non potuerint, corã toto orbe provocati. 2. Quod Protestantes non possint de Scriptura verè possessa alicujus Ecclesiæ autoritatem proferre, quæ eisdem non contrarietur in exhibita Scripturæ sententia; & vel nullibi acceptanda sit, vel utrobique, cùm sit eadem.

dem. 3. Quod Catholici traditum Dei verbum immediatis clarisque Scripturæ promissis, mandatisque teneant, ac præter scriptum (& hoc locupletius, quàm ceteri) possideant, quo Protestantes destituuntur. 4. Quod alias, nisi ex universalis Ecclesiæ sensu, ideoque infallibiles consequentias ex Scriptura non ducant; cum Protestantes suo nixas ratiocinio, & iccirco fallibiles, inferant: adeoque Catholici ex sola Scriptura procedentes multis magnisque certitudinis argumentis Protestantes vincant, arcemque possessæ interpretationis obtineant, unde ab Adversariis nunquam depellentur.

XVIII. Iure Protestantes tenentur ex claris S. Scripturæ verbis sua tueri.

Concludo II. Si non ex indulgentia gratuita, sed æquitatis rigore Catholici cum Protestantibus in decisione Controversiarum fidei agant, teneri hos omnes in reformanda fide nostra, articulos suos formalibus, expressis, clarisque verbis exhibere; quia verbum Dei in reformatione promiserunt; & verò etiam dare obligantur, ut infallibile illud sit, non autem commentitium & fallibile verbum hominum. Nam hoc est, quod à nostra religione eliminatum volunt; ut proinde eidem ipsi nequeant insistere. At quidquid ratiocinio humano fallibili nititur, hoc ipsum fallibile est, manifestumque est, quod reipsa multos contradictoria inferentes, fallat; ut Ariani olim,

& Nestoriani, & Eutychiani; nunc Lutherani, Calvinistæ, Anabaptistæ pugnantia ex iisdem Scripturis inferunt. Adeoque si jus unius sectariorum partis excludédæ (quod Lutherani non negabunt) penes Catholicos sit, par ratio erit ceterorum, quos ex æquo cœcos esse, & in eandem errantium foveam devolvi sentimus. Sed excipient fortè; quod prohiberi nequeant, quin Christum, & Apostolos imitentur, qui ex S. Scripturis aliquando argumentati, conclusiones formarint, cùmque ipsi idem Catholici sibi vendicent, cur Protestantibus ad solidam probationem non liceat? Equidem non prohiberem, si Christi & Apostolorum Spiritu, qui in conclusionibus perinde, quàm verbis aliis infallibilis erat, fruerentur; aut si cum Catholicis ex universalis, & infallibilis Ecclesiæ sensu illationes ducerent; sed quamdiu, vel ex suo ingenio, vel ex Lutheri, aut Calvini novitia catechesi eas formabunt, non est quod nostram approbationem exspectent magis, quàm Arius, aut Nestorius olim à Catholicis obtinuit. Ibunt, nisi resipiscant, quo illi antecesserunt, & omnes tanquam fumus evanescent, Una Romano Catholica sua in petra immobilis consistet, nec *portæ inferorum adversus Ecclesiam hanc prævalebunt.*

CAPUT

CAPUT XXIX.

An, & quâ viâ, quibusque motivis potissimum Germaniæ Principes ad desideratam Religionis Concordiam pervenire queant, patriæque quietem ac felicitatem stabilire?

PRincipi, ad felicem quietamque suorum gubernationem aspiranti, religionis curam ante omnia spectandam esse, non divinâ solùm lege, sed humanâ etiam politicorum præceptione receptum est. Quæ religio quantò ad Deum sanctis institutionibus suis accedet propius, majorique consensione vulgi excoletur, tantò quietior beatiorque Principis administratio futura est. Ubi verò hæc eadem diversis scissa est studiis, alteraque pars alteram impietatis perfidiæque erga Deum suspectam habet ac traducit, nulla diu tranquillitas consistere poterit: quòd nulla acrior pertinaciorque animorũ inter mortales dissensio sit, quam religionis. Cùm hæc etiam piissimos quosque, & maximè cum Deo conjunctos, sacrorumq; promovendorum inflammatos studio exagitet, atque illo Dei amore, quo cetera ferè hominum remittunt odia, tanquam affuso

I. Gravissimæ regnorum discordiæ & turbationes ex religionis discrimine nascuntur.

ad flammas oleo, magis accendatur. Quod quisque divinæ Religionis, quam excolit, solamque Deo placere sentit, inimicos, velut Dei Ecclesiæque hostes æstimet, ac detestetur, tantò gravius, quantò illam ardentius amplexatur. Quocirca necesse est, ut si in eodem regno plures religionis diversæ cupidi sectatores sint, hi, si non apertis, saltem occultis studiis diffideant, occasione datâ, tanquam ignis ad suppeditata alimenta, in flammam erupturis. Quorum haud longè nobis petenda erit exemplornm copia, quando ex Germania hæc nostra abundè suppeditantur. Quo magis in remittente aliquantulum contentionum æstu, providendum imperii Proceribus esset; ut diversa hæc religionum oppositarum studia, unius veritate pro viribus inquisitâ propositâque, velut in communi quodam portu diversæ naves, acquiescerent, atque in uno Catholicæ, ut quondam fuit, religionis, & Ecclesiæ sensu gremioque colligerentur. Scio plures non deesse imperii nostri Principes, nec minus seculares, quàm Ecclesiasticos illud unicè cupientes. Quibus si duorum Electorum, quorum è terris hæc præcipuè dissensio originem duxit; animi conatusque egregii accederent (quod majori nullo, quam illorum emolumento fiet) jam concordiæ spes maxima in promptu esset.

II. Principes aularum.

Porrò hanc Deum curam ab ipsis, qui tam

tam Reip. ſpirituali, quàm temporali inter ſuos præſunt, inprimis requirere, minimè dubitamus. Nam quantùm æterna bona ſalusque perituris hiſce præſtant, & animarum potior omnibus ratione præditis, quã corporum æſtimatio eſſe debet, immortalisque demum felicitas, intermoriturę hujus mundi eſt præferenda; tantùm ſupremis rerump. Antiſtitibus advigilandum, pro munere ipſis à Deo hominibusque impoſito, eſt; ut, præ caducis, ſempiterna bona, tam in ſe, quàm ſubditis curentur. Graviſſimam omnium Judici, niſi pro viribus illud agant, rationem debituri. Nec ipſi ſolùm, verùm & peritiores Miniſtri conſiliis Principum moderandis aſſumpti, qui ut cognitione rerum excellunt; ita ignorare illas, quæ inter adverſas diſſidentium partes agitantur, rationes minus poſſunt, ſuoque etiam ex officio tenentur, tam Principis, quàm publicæ ſaluti conſulere. Cùm plerique Prædicantium, & Theologorum inter Proteſtantes, qui res ſacras tractant, tam Catholicarum ignari rerum vivant, quàm ſuarum cupidi, quibus ne excidant, major illis, quàm de veritate priſcæ religionis indaganda ſollicitudo eſt. Ita, quod de ſacrificulis gentilium olim accepimus, quibus nulli pertinacius Chriſti, ſeſe religioni objecêre, id hodiedum inter Proteſtantes uſuvenit, ut nulli præ his pervicacius veritati ob-

que proceres tenentur ante omnia religionis curam ſuſcipere.

III. Proteſtantium religio-

nis falsi-tas ma-gis indi-es aperi-tur.

obnitantur. Qui licet pro veritate se consi-stere arbitrentur : tamen post agitatam tamdiu nutantemque ubique causam, ut tot viri sapientes, primæque in Germania dignitatis, ad nos transeuntes, manifestè de-clarant (quibus nos excrementa quædam claustrorum reponimus) magna ceteris du-bitandi, imò necessaria etiam penitius in-vestigandi causa objicitur, quam sapienter, & cum securitate salutis suæ aspernari non possunt. Idque tantò magis, quod comper-tissima jam demum res fiat, Protestantium Theologos in suæ probationis, & promissæ ex S. Literis reformationis postulatione deficere, ubi expressè loquens Scriptura, aut demonstratio ex ea infallibilis, extra humanorum fallibiliumque verborum fu-cos tincturamque, exigitur.

IV. Via mo-dusque quo illud certò de-prehendi possint.

Vultis brevem facilemque vobis aperiã ad exploranda hujus veritatis fundamenta viam? Illi quam Legatus Saxonicus D. Joan-nes Thomæ cœpit rationi conficiendæ ex S. Scriptura Confessionis, vestros jubete Theologos insistere. Verùm eâ lege, ut a-liud nihil, quàm quod in illa expressum clarè sit, aut juxta mentem universalis Ec-clesiæ veterisque quinque seculorum infal-libili ex eadem consequentia probatum, acceptetur, & consensione totius Ecclesiæ vestræ roboretur, præcisis omnibus, non tantùm discursibus, sed & Scripturis S. ad

propositum minus necessariis , ne inutili
tautologia magis confundant , quam illu-
strent. Quod vitium Ratisbonensis Confes-
sionis autor non satis declinavit. Funda-
mentalibus tantùm Scripturis, ut in Con-
fessione Francofurtensi , insistendum est.
Veritas multò apparatu non indiget, nuda
placet.

Expendamus quædam dictæ Confessio-
nis, prout nostræ opponitur, capita; quæq;
tam Ursinus, quàm Thomæ senserit, paucis
tangamus: ut hinc appareat, quid Adversa-
riis ex S. Scriptura sit præstandum.

V. De Christo,

In capite I. *Articulum* 1 *&* 2 *de Christo*: il-
lum in carne passum, & pro omnibus mor-
tuum contra Anab. & Calvinistas rectè ad-
mittunt. *Art.* 3. Ex Apost. ad Eph. c.4.v.9.&
8. malè negatur Patres è limbo eductos,
cùm dicat: *Ascendens in altum, captivam duxit
captivitatem, dedit dona hominibus. Quod au-
tem ascendit, quid est, nisi quia & descendit pri-
mum in inferiores partes terræ ?* In quem lo-
cum *Hieron. Inferiora terræ, infernus accipitur,
ad quem Dominus noster Salvatorque descendit,
ut Sanctorum animas , quæ istic tenebantur in-
clusæ, secum ad cœlos victor abduceret.* In hunc
sensum Ambrosius quoque aliique Patrum
loquuntur ; ut expressa Scriptura requira-
tur, quæ hunc Patrum intellectum & rece-
ptum S. Scripturæ sensum evertat. Hæc ve-
rò utrumque, tam Ursinum, quàm Tho-

mam destituit. Quod passim repetitum volo. Et quis obsecro *Sinus Abrahæ*. Luc. 16? quibus *spoliavit Principatus*, aut *quos traduxit triumphans*? Col. 2. Nunquid in cœlum dæmones? credat Ursinus, non ego. *Art.* 4. Ex eod. loc. v. 10. *Ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia*. Si ita accipiant, ut succeslivè tanquam Sol ab ortu in occasum, & hinc rursum tendens in ortum, *impleret omnia*, assentimur; si ubiquisticè & simultaneè, negamus, restatque probandum: quia repugnant Angelo dicenti: *Surrexit, non est hic*. Luc. 24. v. 6. & v. 51. *Recessit ab eis, & ferebatur in cœlum*.

VI. De Ecclesiæ militantis, & visibilis capite.

In capite II. De Ecclesia (*Art.* 1.) quod & semper visibilis, & nunquam aberrarit illa quæ Catholica est, Ursinus assentitur; Thomæ verò opponit veteris Testamenti Ecclesiæ aberrationem in Israel, ex 2. Paral. 15. 3. Esa. 1. 3. Dan. 9. 11. Esa. 56. 10. Jer. 23. 2. Ezech. 9. 8. Sed hinc non inferes etiam regnum Juda totum aberrasse. Et verò si constaret, de Ecclesia veteris Legis, non tamen legis gratiæ constat: ut Deus apud Isaiam declarat: *Non quiescam*, ait, *donec egrediatur, ut splendor justus ejus, & salvator ejus, ut lampas accendatur... Non vocaberis ultra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius desolata... Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, totâ die & totâ nocte in perpetuum non tacebunt*. Hæc, præ Judaica, Ecclesiæ Christi

Isa. 62. 1.

v. 4. *&* 6.

pro-

promiſſa ſunt, *Civitati ſupra montem, quæ abſcondi non poteſt.* Ut cum D. Auguſt. *contra liter. Petil. l. 2. c. 32. & de Unit. Eccl. c. 2. Patres alij tradunt. Art. 2.* Quod Petrus ſit caput militantis & viſibilis Eccleſiæ (ut dari par erat) viſibile, hoc Chriſtus Matth. 16. his verbis: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,* &c. juxta Patrum plerorumque intellectum docuit, quod nec Thomæ Scripturis impertinentibus, nec Urſinus, *nec portæ inferi evertent.* Certè perperam Thomæ ſubſumit: *Petra autem erat Chriſtus* 1. Cor. 10. Neque enim ulla eſt connectio hujus dicti. Petrus & Chriſtus diverſiſſimæ erant petræ, quæ *ſuperiori capite n. 12. & in Med. Concord. p. 3. art. 3.* latius expoſui. Nec quicquam ad rem facit, quod ſucceſſores Levi *Mal.* 2. errarint, cum Scribis & Phariſæis in cathedra Moyſis *Mat.* 15. & 23. & *Marc.* 7. quia veteri Eccleſiæ ſimilis promiſſio facta non eſt. Neque quod privatim Petrus lapſus ſit, *Matth.* 16. & 26. aut Paulus erranti reſtiterit. *Gal.* 2. *v.* 11. Eccleſiæ enim hic totius cum ſuo capite error non fuit. Nec obſtat, quod partiti inter ſe Apoſtoli provincias fuerint. *Gal.* 2. *Act.* 9. 2. *Cor.* 11. Nam in Apoſtolatus munere, & Epiſcopatu à Chriſto accepto fuêre pares. Solo Petrus primatu ſuperior, quem Romæ non Antiochiæ, moriens, ſuis poſſeſſoribus reliquit, quique ſtatim, poſt exemptam à

Mat. 5. 15

tyrannide sedem, sub Constantino hucusq; eminuit. Ut luce meridiana manifestius his temporibus sit, quando aliæ Apostolorum Cathedræ pressæ jacent, unicæ illi sedi hanc promissionem convenire: *Pro Patribus* (ô Christe) *nati sunt tibi filij: constitues eos Principes super omnem terram.* Contra quam ejus potestatem, licet invidia crepent hostes, *nec portæ quidem inferorum prævalebunt.* Quod & oculis spectamus hactenus, & fide secura de cetero tenemus. Infelices planè, qui hæc non vident, nisi cùm invident, & cum scriptis armisque evertere nequeant, suo frustra furore consumuntur, quantò consultius tam apertæ potentique divinæ providentiæ sese submitterent! *Non est potentia, non est consilium contra Dominum.*

Psal. 44.

VII. De orthodoxis ejus Doctoribus, Pastorúque con-stanti & syncera prædicatione.

Art. 3. Rectè admittunt in Ecclesia Christi orthodoxos perpetuò, docentesque ad ædificationem Ecclesiæ populique, Pastores juxta Eph. 4. v. 11. Christus *dedit Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.. ne circumferamur omni vento doctrinæ. Quia fides ex auditu, & quomodo audient sine Prædicante?* Rom. 10. Unde similes Luthero, aut Calvino non audiendi: quia Doctorum nemo his similis de sola fide justificante, exclusis ab hoc officio bonis operibus & charitate, ante illos auditus est. Syncera prædicatio veritatis, juxta ipsos Protestantes, Ec-

Vide Cõcl. Med. Cõc.

Ecclesiæ orthodoxæ essentiale signum est. Erubescant hic, qui suo ex ore contradictionis arguuntur; cùm veram aliquando prædicationem cessasse asserunt, Seductor aliquando prædicans intervenire potuit; verus non ubique obmutescere, idque in lege gratiæ. *Art.*4. Admittunt *interrogandos majores nostros, ut dicant nobis.* Deut. 32. v. 7. *Videndum & interrogandum de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulandum in ea, ut inveniamus requiem animabus nostris.* Jer. 6. v. 16. *Labia verò Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus.* Mal. 2. v. 7. Monent tamen *in præceptis Patrum* aberrantium Ezech. 20. v. 18. & Jer. 44. v. 17. tum *Pseudo-Apostolorum, qui sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi,* 2. Cor. 11. v. 13. non incedendum. Et rectè: Hinc à Luthero & Calvino declinamus. Deseruerunt vias sanctorum Patrum: ideo jure deserendi. Si non credas, *vide 3. part. Med. Concord.* & Protestantes ipsi docebunt. Expende etiam confusionem Mornæi Plessii coram Henrico IV. Rege Galliar. Quando in libro contra abusum Eucharistiæ in collatione publica convictus est plerosque Patres corruptè allegasse, per Episcopum Perroniũ. Adeò ut morbo ex perturbatione contracto, fugâ se subduxerit. Rexque in fide confirmatus eam magnopere promoverit. Nemo potest cum Luthero, & priscis Patribus consentire.

VIII. Iuxta traditionem, & SS Patrũ doctrinã incedendum, in difficilibus Scripturæ S. locis.

Art. 5. Admittunt in Scripturis S. *quadam esse difficilia intellectu, qua indocti & instabiles depravant, ad suam ipsorum perditionem.* 2. Petri 3. v. 16. Ideoque *Pastores & Doctores datos esse in opus ministerij*, &c. Eph. 4. 12. Sed addunt, & rectè; *videndum, ne quis nos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam secundum traditionem hominum.* Col. 2. 8. Ideoque *scrutandum Scripturas, ut videant, si ita se habeant.* Act. 17. v. 11. Et *probandos Spiritus, si ex Deo sint: quoniam multi Pseudopropheta exierunt in mundum.* 1. Joan. 4. v. 1. Ita est. Hoc fecerunt Eckius, Cochleus, Cajetanus, omnes Patres Concilii Trid. & Lutherum, ex S. Literis, juxta traditionem, sensum Patrum, & Ecclesiam Catholicam errare ostenderunt. Rusticos tamen Germaniæ non judicavimus, isti ex Scriptura censuræ idoneos. Nec uni quidem alterive Doctori ex Scripturis redarguenti, standum censuimus. Hinc Concilio consensuq; tot Doctorum Episcoporumq; res acta est, quot Protestantes nullibi coegêre. Melanchthonis & Lutheri partus Augustana Confessio est. Hanc tamen, paucioribus innixam Scripturis, *ut* 2. *part. Med. Conc. docui*, amplexantur Protestantes, qui commenta hominum, sed ore magis, quàm re, detestantur. Et quæ Petrus de scriptis Pauli, *difficilia quadam esse intellectu*, in rebus ad salutem spectantibus, tradit, hæc suis etiam cerdonibus pervia

cre-

credunt;ut Doctores,imò Ecclesiam totam judicare ex his possint, errentne, an sana tradant? O mundus inversus! ratio,mens, consiliumque omnis humanæ divinæque disciplinæ,hic finem habent. Ut Apostatam Monachum,toti sese Ecclesiæ opponentem in judicio & interpretatione Scripturarum tueantur,ad tantam desperationem respondendi provoluti sunt.

IX. Ecclesia in mutuis contentionibus,etiã fidei,audienda ejusque standum judicio.

*Art.*6.Illam exhortationem,quam Christus Math. 18 instituit,dum,inquit: *Nisi conversi fueritis,& efficiamini sicut parvuli,non intrabitis in regnum cœlorum*: Et postea subjicit v. 14 *Si peccaverit in te frater tuus, &c. dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Amen dico vobis quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis, &c.* nolunt agere de peccatis in religione & fide. Cùm tamen in ipso textu agatur de conversione peccatoris, & correctione ipsius, quæ fieri, sine fide divina,& justificatione per fidem (ut ipsi loquentur) omnino nequit. Et quid magis ad Ecclesiam spectat,quàm correctio in fide? & quis *Ethnicus* seu infidelis vocatur, nisi errans in fide? An putamus Christum in politicis delinquentes, magis ad Ecclesiam, quam civilem remp. amandaturum fuisse? Nunquid peccarunt Novatores hodierni in fratres suos,quando mutata religione pastores, & Ecclesiasticos,suis Ecclesiis, Ecclesias spolia-

liabant bonis ? Nunquid adversus fratres peccans Lutherus, per privatos primò monitus, deinde ad Ecclesiæ Concilium vocatus, omnes audire detrectavit, Ario ad Ecclesiam citato & parente, contumacior? Dent igitur Scripturam S. adversarii, quæ doceat Christum hoc loco in solis morum, non fidei peccatis nos ad judicem remisisse Ecclesiam, aut tam absurda commenta inferre pudeat. An non ipsimet Protestantes in subortis de fide controversiis ad convocatas denique synodos, & Ecclesiæ judiciũ confugiunt, & quod verbo improbant, reipsâ sequuntur? Alios articulos hujus capitis, ut 7 de ordinandis, 8 de Traditionibus, 9 de miraculis, jam superioribus capitibus excussi. Deinde *in Medit. Conc. part. 3* solidissimè, & quæ uterque attulit, & quæ fortassis contra movere possunt tam Lutherani, quàm Calvinistæ, excussi: ubi & longè purius, quàm Doctor Thomæ S. Scripturas in Reformatione mea tractavi, ut hic iterato labore defungi otiosi Scriptoris esse putem. Unde miror his *Med. Concordiæ* impugnatoribus, non venisse in mentem, quod nihil agerent, præcipuis ejus munimentis, ne quidem tactis. Quales obsecro hi milites sunt, qui fortissima religionis præsidia (hoc est, primorum quinque seculorum fidem, ab ipsis Protestantibus nobis adjudicatam) ne attingunt quidem, & sibi jam possessionem ejus

ejus vendicant. Dicam quod res est; aut hæc expugnanda universa sunt, aut arcem veræ religionis (ut in æternum fiet) retinebimus.

X. Petitur Ecclesiæ Lutheranæ approbatio, pro Confessione ex S. literis collecta.

Si tamen Lutherani judicent, hanc ipsis D. Thomæ Confessionem, ex S. Literis diligentissimo studio collectam, ad suæ veritatis professionem sufficere: agant sanè, probent per Ecclesias & Academias suas. Spondeo me cum omnibus Scripturis S. in recepto veteris Ecclesiæ sensu, non prout hic, variis contradictionibus, ob imperfectam & malè coagmentatam sententiam implicitæ (quod expendere, longioris sit operæ) proponuntur, spondeo, inquam, juroque, me ad apicem extremum usque admissurum, mecumque, ut confido, Catholicos universos. Rursum si videri volunt divinâ non tantùm, sed humanâ fide digni: vel unicum articulum hujus ex S. Scriptura eductæ Confessionis exhibeant, ubi aliquis qualiscunque Confessionis Augustanæ articulus, vel formalibus, vel æquivalentibus verbis, aut infallibilibus deductus consequentiis repræsentetur. Si fecerint, addico iterum juroque in eandem fidem.

XI. Quàm periculosè fallant Novatores, qui contra veteris Ecclesiæ

Ignoscite Germaniæ nostræ Proceres, hæc pro ratione veritatis & salutis communis, à qua plures vestrûm aberrare, perque tam cœcos Duces avocari doleo, liberè confidenterque affirmanti, ac postulanti. O si Deus vestros de cœlo ad hæc vota mea ani-

nimos tangeret, oculosque aperiret; ut quibus nebulis nugisque hi falsitatis, per mollem doctrinam blandientis, magistri vobis illuderent, possetis intueri: si futurarum rerum eventa, æternitatisque secuturæ momenta sensus vestros penetrarent; quam longè diversæ cogitationes subirent fodicarentque periclitantem animam! quanto ad hoc meum propositum urgendum studio zeloque omnes exardescerent! Quàm facilè incantamenta illa carnalia quibus ligatos vos detinent; evanescerent! quàm clara in luce imposturæ, quibus Catholicam Religionem infamant, omnium expositæ oculis paterent! quàm futiles & nugatoriæ interpretationes illæ vobis S. Scripturæ, perversissimè & detorto ubique in sensu usurpatæ, occurrerent! expendite quanta nos contrà synceritate agamus. Proponitur vobis ante oculos Scriptura S. ejusque interpretatio, in antiquissima Ecclesiæ catechesi seu traditione Christianæ disciplinæ, ex ore Apostolorum exceptæ fundata, utque certi stetis, additur plerorumque Patrum, Conciliorumque, tum generalium, tum particularium, per omnem ferè religionis ætatem, consensus. Accedit deinde, universalis nunquam nos fallentis (ut privatorum interpretum facilis lapsus est) confirmatio. Et vos Lutherum Calvinumve adversus tam firmatam religionem, qua tandem ratione

receptā interpretationem Scripturam proponunt, juxta Lutheri aut Calvini catechesin.

Vide p. 3. Med. Cōc.

tione opponitis? datis catechesin ab his primùm cusam, quam nulla traditio Apostolica vivæ vocis, nulli Patres, nulla Concilia exhibent. Reformationem hanc S. Scripturæ voces sententiamque falsissimè venditatis, ex qua traditio, Patres, Concilia, Ecclesia ipsa judicanda sit; & nemo invincibiliter ostendit. Quot jam annis certatur, postulaturque prætensa Scripturæ probatio? & contra ex verbis hominum concinnatæ tantùm Confessiones & libri symbolici obtruduntur, juxta quos formandam esse Scripturæ S. interpretationem dictitant, & qui humanas se abolere velle Catholicorũ traditiones jactabant, pro Apostolico instituto Lutheri & Calvini, aut Mennonis commenta supponunt. Quæ cùm tamdiu in oculis Germaniæ sat manifesta fraude patrentur, jubeanturque millies sed frustra reformationis suæ articulos, ex pura tantùm Scriptura, aut infallibili consequentia exponere; plurimi tamen velut fascinati, has Dæmonis artes illusionesque nondum observant; sed alios secum aliosque molli hac liberæ religionis illecebrâ in præcipitium abripiunt.

XII. Quàm difficilis Protestantibus coram supremo Judice

Cogitet obsecro Protestantium quisq; se coram supremo Christi tribunali consistere, ubi mecum aliquando certissimè statuendus erit, interrogatumque de fide rationem deposci. Quærat Judex, quid te impulit

reddenda sit ratio, paucis expenditur.

pulit, cur à Romano-Catholica, cum Luthero, aut Calvino deflecteres? Respondebis fortaſsè magni illius Eccleſiæ abuſus, ut quæ plena ſuperſtitione, idololatria, humanis traditionibus, & Antichriſti ipſiusmet ſummo faſtu præſidentis, arrogantia, denique Eccleſiaſticorum peſſimâ vitâ infamis, Chriſti fidem & merita amplius æſtimare viſa non fuerit. Quid ſi deinde Judex ſciſcitetur; quo hæc indubiæ veritatis (ſine qua Majorum tuorum via abire non licuit) fundamento ſis aſſecutus? an ſufficienter noris ſuperſtitioſa à debito cultu rituque ſacrorum diſtinguere? an idololatriam probare? an ſine hac, amici Dei, eorumque aut Chriſti effigies religiosè non poſſint obſervari? an ab Antichriſto verum Evangelium Chriſti, per tot præſertim ſecula dominante, intactum potueris exſpectare? an Lutherus, Calvinusque & eorum aſſeclæ Prædicantes, caſtius ſanctiusque, quàm Eccleſiaſtici Catholicorum vixerint? an & quomodo traditiones antiquiſſimæ Eccleſiæ, cui Deus Spiritum veritatis promiſerit, quamque nequeant portæ inferorum evertere humanas eſſe evincat; & non potius illud de Auguſtana, Gallica, aut Anglica Confeſſione ſentiat? an has tales in Scriptura S. legerit exaratas? an neſcierit ex S. Scripturarum interpretatione malignâ, tot & olim, & hoc tempore hæreſes in Eccleſia

natas

natas esse? quâ fronte sibi, præ tot aliis, verbum Dei scriptum tantùm crepantibus, quos errare judicarit, verum intellectum, & Dei Spiritum vendicare ausus sit? quâ mente, contra rationem omnem, humanamque politiam, ipse ex Scriptura Doctores & Pastores suos, Patres ac Scriptores veteres, totas synodos, Ecclesiam tam suam quàm Catholicam judicare, & antiquissimam illam, tot fultam veritatis, ex traditione, Patribus, successione Pastorum, doctrinæque præsidiis, damnare, tanquam unus omnibus mortalibus, & antiquitati universæ, in dijudicando S. Literarum sensu præstantior, ausus fuerit? an suos per tot secula Majores in Ecclesia Romana periisse, tantisq; delusos erroribus existimet? an, & quales fuerint, qui septimo, octavo, nono, decimoque seculo per Germaniam, vicinasque nationes religionem Christianam primùm intulerunt? num hos prædicasse hæresin, & idololatriam regnumque Antichristi propagasse arbitretur, quos tamen modernis Catholicis simillimos in templis, aris, sacrificiis, monachismo, ceterisque vivendi ritibus, fuisse constet? Num miracula Christi non olim solùm, verùm & hodiedum, ubi ejus Evangelium in gentibus Romano more per utrasque Indias recipitur, compertissima, totque etiam mortuorum suscitatione probata, Dœmoniaca esse, ac

idololatriæ novæ persuadendæ adhibita sentiat? An quicquam simile ab ullo Protestantium sit præstitum, cùm tamen promissum verè credentibus fuerit, *hæc eos signa secutura esse* ? An non intellexerit *novissimis temporibus seductores venturos in mundum, qui introducant sectas erroris, & celerem multorum perditionem, eosque ex vera Ecclesia exituros*? Quinam isti, & quis autor? an Romanus Papa? ex qua orthodoxa is prodiit Ecclesia? & ubi illam reliquit? An potius Lutherus, Calvinus, Menno, quos pro libertate conscientiarum proclamanda, erupisse ex Romana Ecclesia vidimus ? Quo argumento suam vocationem probarint, nisi illo hæreticorũ communi, *sic dicit Scriptura, à nobis primùm rectè intellecta*? Ipsa vox Catholici nominis, Romanis nunquam erepta, vestroque ore ac calamis sæpius, quamvis invitè, tributa; ipsaque hæreticorum compellatio, quam in vos semper, etiam non sigillatim nominati, cadere, dictante conscientia, sensistis, te saltem pungere, sensumque aliquem aut suspicionem erroris ingerere debuisset, cùm in tanta sententiarum de religione pugna, vestrûm plerosque in errore versari, eosque inprimis quibus hæreticorum notæ convenirent, statuendum esset. Nunquid probare illam vitæ dissolutionem per Lutherum Calvinumque invectam potuisti, per quem tot Religiosorum Monasteria jura-

Marc. 16 v. 17. 2 Tim. 3. 1. Pet. 2. & 1. Ioan. 2.

juratæque caſtitatis homines, ad libertatem luxuriamque ipſis Ducibus provocati ſunt, & ſolâ fidei juſtificatione fiduciaque in Chriſti meritis, à conſiliis Dei, operumque bonorum cura revocati ſunt? ubi laxata jejunandi & peccata ſingula confitendi neceſſitas; cilicia, flagella, & carnis afflictiones ſublatæ, Sacramentorum plerorumque obſervatio, ipſius etiam Eccleſiæ ſpreta obedientia? An meæ hæc doctrinæ de arcta ad ſalutem via convenire tibi viſa ſunt? Non te inflectere poterant, tot ſanctorum hominum in Romana Eccleſia hodiedum propoſita exempla? Franciſcos, Dominicos, Bernardos, Brunones, Ignatios Xaverios, Borromæos, pluresque eorum in diverſis religioſorum ordinibus laudatiſſimæ vitæ aſſeclas, totque Martyrum centurias inter barbaras nationes & religionem Chriſti propagantes, & ſanguinem vitamque in Romana fide profundentes, quâ mente erroris argues æternæque vitæ poſſeſſione proſcribes? Hisne Lutherum, aut Calvinum tuum, & qua autoritate, præferes? Fide & actionibus longè diſcrepant, aut hi, aut illi ſunt cœlo excludendi. De his igitur qualem ſententiam dixeris, de teipſo talem es auditurus.

XVI. Quam facilem Catholicum

His aliisque, quid in ſevero illo judicio Proteſtantium quilibet reſponſurus ſit, hic, obteſtor, tam ſecum exigat ſeriò, quàm æter-

D. Augustino rationem suæ fidei reddituri sint.

ternæ felicitatis infelicitatisque extremæ momenta exigunt. Semel hoc judicium erit omnibus subeundum, & *quocunque* sors & *arbor ceciderit, sive ad austrum sive ad aquilonem ibi erit*, & erit æternum.

Ad vos nunc denique Germaniæ Proceres me converto, vosque cum Christo Judices meæ responsionis, cur in Romano-Catholica persistam, constituo: *Multa sunt*, cum D. Augustino loquar, *quæ me in Ecclesiæ Catholicæ gremio justissimè teneant. Tenet consensio populorum atque gentium: tenet autoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Christus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum Sacerdotum successio. Tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa, inter tam multas hæreses sic ista* (Romana) *Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes hæretici se Catholicos dici velint* (ut & Fritzius multis laborat) *quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur? nullus hæreticorum, vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Ista igitur tot & tanta Christiani nominis vincula tenent credentem in Catholica Ecclesia.* Istic, inquam, ubi *imperitum vulgus marium feminarumque, in tam multis diversisque gentibus, & credit, & prædicat; quod continentia usq; ad tenuissimum victum panis & aquæ, quod castitas usque ad conjugum prolisque contemptum;* quod

Contra Epist. Manich. tom. 6. c. 4.

In Confess. c. 22.

De utilit. credendi to. 6. c. 17.

quod patientia usque ad cruces flammasque neglectas; quod liberalitas usque ad patrimonia distributa pauperibus ; quod denique totius hujus mundi aspernatio, usque ad mortis desiderium intenditur. Quisquamne Protestantium hæc audet, aut potest de sua profiteri fide & Ecclesia, quæ ego cum Augustino, & ille mecum, tanquam ejusdem uterque non modo religionis , sed & temporis, pronuntiavi? Nec ille S. Scripturam unde omnis nascebatur dissensio & hæresis, aliâ in rebus controversis ratione , quam nos modo interpretatus est. *Scripturarum*, ait, *à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat autoritas , ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit obscuritate quæstionis , eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate S. Scriptura demonstrat.* Hoc fac scrutator Scripturarum, & vives, atque ut scias, quâ hoc in Ecclesiâ præstandum , conclude mecum ex eodem Augustino: *Cùm igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitamus nos in ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad Confeßionem generis humani ab Apostolica sede per succeßiones Episcoporum , frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius judicio, partim Conciliorum gravitate , partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen autoritatis obtinuit? cui nolle primas dare, vel summæ*

Tom 7. contra Crescon. l.1.c.23.

De util. cred supra.

profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ. Hæc sancti viri oratio, tam nostris, quam Augustini temporibus conveniens, tantò nunc plus habere ponderis debet, quantò admirabilius est, post tot seculorum lapsum, ad apicem eidem Romanæ sedi competere universa, & neque successionem Pontificum, in tanta concertatione & æmulatione nationum, prorsus fuisse subversam; neque tot hæresum, ex ipsius corpore, tanquam apostemata quædam erumpentium, malignitate ac pestilentia extinctam; magis etiam magisque toto orbe, recensque per Americam & utrasque Indias, Japoniamque hodiedum ac Chinam, diffundi; ut manifestum sit, hanc solam illius Evãgelii custodem esse, de quo Christi promissum tenemus, *prædicabitur hoc Evangelium in universo mundo, in testimonium omnibus gentibus.* Hanc solam in petra fundatam, contra quam *portæ inferi non prævalebunt.* Quæ frons aut vox Lutheranorum, aut Calvinistarum, aut Mennonistarum, aut Socinianorum, aut Quackerorum tam audax, aut proterva sit, quæ hæc sibi contra Romano-Catholicam Ecclesiam vendicare audeat? Et adhuc dubitamus illam esse unicam salutis nostræ arcam, extra quam omnibus pereundum sit; aut cunctamur, in illius nos Matris gremio condere, sine qua Deum non possumus habere Patrem?

Matt. 24.

Ad

Ad vos igitur redeo, Germaniæ, malè in Religione & Ecclesia divulsæ Proceres, vestrarum hic animarum, gentiumque vobis subditarum salus, reip. totius pax & tranquillitas, divini nominis honor ac gloria agitur. Siquod bonum, sive privatum, sive publicum vobis unquam cordi fuerit, hoc excludere, pro vestra pietate, non potestis. Necessarium est, pro communi omnium felicitate; honestum est pro tuenda vestra dignitate; facilè est pro imposito vobis à Deo publicæ salutis studio; universale est, Deum homines, amicos, hostes, subditos, præpositos, liberos, nepotesque vestros spectat: sine orthodoxa fide impossibile est quenquam placere Deo. Quoniam verò eâ estis prudentiâ, quâ secuturis etiam malis præstruẽdum scitis: expendite mecum obsecro, an non Germaniæ, & imperii in eadem Romani metuenda ruina sit, si in hac religionis discordia persistatis? Quid si enim (quod Deus avertat) deficiant illi qui hodiedum præcipuam imperii molem sustinent, cujus hoc onus humeris tutò credetis? suum Catholici, suum Protestantes fortassis caput quærent: religionis divisio vota separabit, quælibet partium cupiet eminere, suamq; in tutò locare fidem ac salutem. Protestantes illud obtinere non poterunt, nisi desinat esse Romanum, adeoque imperium in Ottonibus post Carolum Magnum constitutum

XIV. Motiva quibus Principes Germaniæ impelli ad reconciliationẽ cum una vera Ecclesia debeant.

Primum Motivũ est, necessitas ob iminentẽ totius imperii ruinam.

tutum à Germanis ad gentem transibit alteram, perpetuisque Germanorum decus & tranquillitas dissidiis opprimetur. Demus Protestantes sup inter se nexu federibusque consistere, aut aliquo etiam ex sua religione, regni capite in Germania, potiri. At quæ inter illos, pax consistere diu poterit, qui mutuò collisi religionis studio, tam variis inter se divisi sectis, magnâ semper præeminendi cupiditate certabunt, nec alterius facilè alter jugum sustinebit. Norunt Lutherani quantum à Calvinistis, sua in religione, integris non solùm urbibus, sed & regionibus abstractis, damnum acceperint; & quemadmodum ubi hi prævalent sub eorum sensim jugum religionemque adacti sint. Vident suæ gentis inconstantiã, & proclivem nimis ad deteriora transitum ubi semel Catholicæ veritatis limites excesserunt.

XV. Ob dissensionem Protestantium inter se & mirã inconstantiam. *Vide Coccium to 8 in fine.*

Ipsa, quâ institerunt, digressi à nobis, semita lubrica semper, & diversorum signata lapsibus, constanter sustinere diu nemínem, nec Lutherum quidem potuit, tam ille diverso spiritu cœpit, progressusque est, ut scripta ejus contradictionibus plena (quod innumeris variè testimoniis probatum est) vertumni cujuslibet mutabilitatem superent. Quo nuper potissimum argumento Andream Frommen Lutheranæ Diœcesis inspectorem ad Catholicos rediis-

diisse observo. Vident rursum Calvinistæ, quàm pauci eorum sint, qui Calvini doctrinam religionemq; universè probent, quàm abominanda illius, de reprobatione quorundam hominum, de fide scelera omnia obtegente, & non amissibili, aliisque ejus generis articulis doctrina sit, ut sæpe pudeat profiteri. Quot ab eis ad Quackeros, Indifferentesque passim transeant; ut qui nusquam sat firmam sedem extra Catholicam Ecclesiam reperiant, manifesta experientia per Angliam, Hollandiamque tenemus. Nec mirum, cùm semel ex alto in ruinam præcipiti difficile sit opem auxiliumque reperire.

Hæc videlicet illa, malè auspicata per Lutherum est conscientiarum libertas, quam principiò omnibus, in religionis cura, indulgendam proclamabant; quod Deo nihil coactum, sed voluntarius tantùm cultus placere possit. Verùm ubi jam res suas ut in Saxonia; Dania, Sueciaque firmarunt, jam nulli transitus ad Catholicam veritatem aspiranti amplius indulgetur, Imò quibusdam in locis, ipsis etiam Regibus, capitale est, fidem Catholicam profiteri. Ita postulata tot primum votis desideriisque libertas in necessitatem convertitur, & servire Protestantibus ad contradictoria ejusdem religionis cogitur institutum.

Jam quanta Theologorum vestrorum,

XVI. Experimentum instabilitatis certū Principibus ostenditur, consiliumq; etiam inter se cō veniendi suppeditatur.

Academiarum, Urbium, Ministrorum, tam in ipsis fidei articulis, quàm ritibus, cæremoniisque sacrorum dissensio. Alibi te in templis ad Catholicorum bene excultas Ecclesias; alibi ad tabernas, & literarios puerorum ludos divertere existimes, nullo argumento vestigioque loci Deo ac religionibus consecrati reperto. Si Theologos audias, Calixtini cum Wittenbergensibus, Rentelenses & Grypswaldiani cum utrisque, ipsi adeò unius scholæ professores, ne dicam Ecclesiæ Pastores ubi seorsim audientur, de iisdem articulis fidei rarò consentient. Si fidem hac in re mihi derogetis, inclyti Proceres, agite, sequimini instructionem meam, & repentè deprehendetis. Proponite hanc quæstionem seorsim pluribus decidendam; *Quosnam articulos fidei creditu ad salutem necessarios esse sentiant?* quod non solùm generatim decidi postulabitis, ut e. g. dicant: qui in symbolo Apostolico, & aliis quatuor Conciliis generalibus exhibétúr; sed speciatim etiam, ut hi articuli exprimantur omnes, solique, verbis certis, minimèque obscuris, exigetis: cùm symbolum Apostolicum alii aliter interpretentur. II. Requiretis à singulis, an hi omnes claris Scripturæ S. sententiis contineantur, & quibusnam illis? quinam certis tantùm (prout sibi temerè persuadent) consequentiis nitantur? Hæc si ita instituatis, ut nemo

cum

cum altero communicare in ſcriptis poſſit, & in his duabus quæſtionibus, vel duo inter ſe ita convenerint;ut & ſolos,& omnes ad ſalutem neceſſarios fidei articulos , ex iiſdem credendarum rerum fundamentis, ſine mutua communicatione conſpiratione que,vel prævia, vel intercedente, exhibeant , falſæmemet delationis reum arguent,nec habebor dignus , cui in re tanta fides amplius præſtetur.Si verò illorum minimè obſcura diſſenſio futura eſt, & vel in uno fidei articulo , ad ſalutem neceſſario aberrare,damnabile coram Deo ſit;vos deliberate, in quanto ſalutis veſtræ diſcrimine,ſub ejuſmodi Doctoribus,conſiſtatis.

Iterum quærite , ex Lutherano Doctore (non dicam ruſtico , cui tamen id ſcitu neceſſarium eſt) num Auguſtana Confeſſio, primum Carolo Auguſtæ oblata , omnes ſolosque exhibeat fidei articulos credenti ad ſalutem neceſſarios? de Gallica idem ex Calviniſta quærite:niſi aut diverſa à diverſis aut ambigua reſponſa acceperitis, meâ corrigar corripiarque ſententiâ. Quid eſt, quod Lutherum, Carolſtadium, Oecumlampadium,Zwinglium,Calvinum aliosq; primo ſtatimReformationis prætenſæ tempore, diſſipavit, niſi anceps ille diſſentientium, ex clarâ tamen, ut omnes teſtabantur,Scripturâ hauſtus ſpiritus? Videte,Domini Proteſtantes, quanta vobis,ſi patriæ

vestræque salutis amore tangamini incumbat necessitas, ut vel saltem in fide vobiscum, si Catholicis pertinaciter renuntiare decretum sit, consentiatis.

XVII. Alterum motivū ab honestate causæ desūptum, ne turpi hæreseos nota infamentur.

Deinde honestum illud planè vobis futurum est. Nostis à toto Romanorum orbe, quem vos Catholico nomine vel inviti, ut in publicis comitiorum decretis constat ornatis; vos pro hæreticis (ignoscite si veritatem loqui cogar) compellari, sic Galli, Romani, Hispani, Lusitani, Græci, Indi, ceterique loquuntur: neque cum à Catholica nostra per discessionem divisi sitis, hæc aliis quàm vobis aptari vox potest. Alterutram enim partem, in tam manifesta religionis divisione, hac notari appellatione necesse est; cùm Ecclesia Christi, sub uno sponso, non possit nisi unica sponsa censeri. Vos igitur statuite, utri partium hæreticorum nomen competat, utra ab alia exierit ac divulsa sit; &, quid vestrum interrogo judicium? quando nos ultro Catholicos esse profitemini, sed cum hæc, non tam vestra, quàm Majorum culpa divisio facta sit, illam vobis gloriam esse relictam videtis, quâ per unius sanctæ religionis concordiā instaurare proavorum labem, egregio honestissimæ concordiæ studio possitis, & hanc nomini vestro laudem vendicare immortalem, quod dissipatam tot annis per fœdissimas dissensiones Ecclesiam, profli-

ga-

gatam tot mortalium cum fide salutem, pristinæ tandem integritati reddideritis. Vos verò inprimis magnorum Principum consiliarios, quique, ut doctrina sic gratiâ potentiâque Dominorum vestrorum animos ad magna honestaque impellendi valetis, hac in re compello. Ut enim melius hujus causæ momenta penetratis, ita par erit, sepositis partium affectibus, velut medios rerum arbitros ad tam illustrem divinumque conatum vos accedere, & Principum vestrorum animos instruere, ut intelligant, & inflammare, ut velint. Neque vos aut illos, respectus atque existimatio, inter subditos vicinosque ejusdem religionis consortes, à tam nobili debet studio revocare; quando & inter vestros multi, & centeni Catholicorum adversus unum aliquem Protestantium futuri sunt, qui hanc industriam pietatemque vestram, æternis in cœlum laudibus efferent, vanisque aliorum criminationibus, veram commendationem reponent. Hoc non indubia vobis divinatione prædico; futurum aliquando tempus, quando hæc vestra, ut ceterorum à Catholica olim exeuntium, religio evertetur, stabitque etiamnum, ut semper stetit, Romanorum Ecclesia. Et, quam tunc de vobis posteritatis æstimationem exspectabitis? an non infelices omnes prædicaturi sunt, quotquot in ea cœcitate perstiterunt,

runt, ac mortui sunt? quales modò Arium, Nestorium, aut Eutychen secutos, divulsosque à Romana societate prædicamus, qui non minori errorem suum, quàm vos hoc tempore novitatem vestram securitate propugnarunt. Credite, si quæ sit animorum vestrorum tranquillitas, hanc in apprehensa non minus, quàm syncera veritate posse acquiescere. Mahumetismus hac ætate quot sectatores habet, minimè de sua religione fluctuantes, quibus nos gravissimè desipere videmur: cùm tamen hanc nos illis stultæ credulitatis notam impingamus. Securitas in errore errorem non expungit. Quanquam discessio vestræ partis manifesta, omnique conformis hæresi, rationabilem vobis non possit securitatem indulgere, & nec apparentis quidem coram supremo Judice veritatis excusationem.

XVIII. Vt à manifesta calumniarum suos purgent injuria, atque ex vero res fidei cō-troversas æstimēt.

Sed nec tueri vos possunt, aut nos terrere calumniosæ illa nostræ religionis insimulationes, quibus Papam esse Antichristum: tam crassa, rustica, ac scurrili levitate, tamque informibus, alienis, philosophiaque rationali indignis conclusionibus statuitis, ut Agaso has potius in molendino quàm Doctor in Gymnasio formasse videatur. Paria sunt, quæ de idololatria Catholicorum commentamini, ut ex Morotrophio hæc potius, quàm Academia prodire judicemus,

cemus, & nemo rusticorum apud Catholicos tam pinguis ingenii sit, qui cultum Deo, Sanctisque ut ejus creaturis & amicis delatum, non possit animo, objectoque, atque intentione invocandi; licet aliquando iisdem utatur verbis, discriminare. Quid formidare Novator ad nos rediens potest, si & nos jubeamus, & ipse cupiat omnem animo idololatriam detestari? Arbitrarius hic cultus est, qui formidat idololatriam, ad Deum solum se convertat. Alia non reperio, quæ Dei amatorem à nobis queant avertere. Si Ecclesiasticorum quorundam vitam culpat, (ut nihil in mortali hoc statu labis expers) si quis Monachorum solitudinem non probet; quid hęc ad fidei veritatem, quæ nullibi in moribus inculpatos præstat? vitet, quod in illis improbat. Nemo illum ad hanc aut istam vitam adstringit, de se tantum rationem susceptæ quivis vitæ poscetur. Superstitionē fugit? laudabile est, nos Catholici idem, si cavere non semper liceat, tamen conamur. Traditiones humanas loco divini verbi aspernatur? Id planè omnibus in fide divina necessariū esse censemus. Sed divinas Apostolicasque cùm verbum Dei scriptum clarissimè præscribat, vitare salvâ fide non possumus. Merita Christi magni facit? Nos etiam maximi habemusque ea Mydæ virgulæ instar, quæ, quidquid tangant fidei operumque nostro-

rum, in aurum convertant, non colore solo justitiæ extrinseco, ut volunt Protestantes, sed ipsa etiam naturâ, adeoque totum bonitatis pretium, quo Deo placent, Christo attribuimus, unius ipsius virtute, & præcepta Dei impleri, & consilia admitti posse sentimus, omnesque ad studia bonorum operum excitamus, quorum non levis apud Protestantes, ob persuasam ex concupiscentia inquinationem, & hujus vitandæ impossibilitatem, neglectus est. Nihil igitur honestius, quam ab illa tam malè in S. Literis fundata, & irrationabili prorsus opinione, ingenuisque mentibus indigna vindicare sese, atque à tam turpi Diaboli servitute ad veram libertatem filiorum Dei ad quam Christus nos vocavit, desertis Protestantibus, transire; ne iisdem volentes immunditiis operum Deo execrabilium delectari videamini.

XIX. Tertium motivũ facilitas ad mutuam unitatem transeũdi.

Postremò facillimum hunc cuilibet Principum tantum volenti transitum fore, nemo ignorat. Siquidem vi federis pacisque Monasteriensis, id cuique liberum, nullaq; hinc subditis imponitur necessitas. Errorem quoque suorum Theologorum, eâ, quâ dixi, praxi, tam probationis exigendæ, quàm explorandæ dissensionis, in necessariis fidei articulis constituendis, proclive erit cupienti deprehendere. Neque iccirco aliis, quàm fortè Provinciæ suæ synodis,

ne-

neque Catholicorum ad hanc rem conspirantium labore est opus: nisi, ut si talis Confessio ex S. Literis consequentiisque formata prodierit, typis vulgetur, eorumque amico deferatur examini. Ut expendant 1 An Scriptura S. in claro usitatoque, ac definito, seu necessario adhibeatur sensu? 2 An omnis Scriptura ponatur ad hanc tractandam, & intelligendam thesin necessaria, qualis illa inprimis est, quâ Adversarii in oppositam sententiam abstrahuntur? hanc enim pleræque Protestantium Confessiones, non dubia fraude, omittunt. 3 An convenienti adhibeatur loco? pronum enim est, ut translata ex una in aliam sedem Scriptura, ob diversa adjuncta, disiunctaque mutetur. Quare videtur hac in re veteris Ecclesiæ usurpatio spectanda, ne proprio judicio fallamur. 4 An, si adhibeatur Scripturæ locus ad interpretationem alterius, id ex natura rei, aut alia directione infallibili fiat? ut e. g. quænam interpres sit ex duabus propositionibus hisce, unâ Pauli: Rom. 2. *Arbitramur hominem justificari per fidem, sine operibus legis:* Et altera Jacobi 2. *Ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm?* Ubi hæc, tanquam scripta posterius, ad illam limitandam adhibenda quidem videtur; sed ratione non prorsus evincente; quod contrarium evenire possit, & per ante scripta, posteriora minus diserta exponen-

da sint. Quare observandum, quod Paulus tantùm *opera legis*, nempe Judaicæ, cæremonialia excludat. Jacobus de Christianorum operibus bonis universè loquatur, adeoque sic altera propositionum, alteram limitet; mutuoque, salvâ utriusque sententiâ, se interpretentur, ex natura, & modo loquendi, qui in veteris Ecclesiæ traditione firmatur: citra quam, nec illa quidem interpretatio secura esset. 5 Quod si adducta Scripturæ sententia plurium sensuum capax maneat, qui unum ex his deliget; vel ex alio S. Scripturæ loco ejus determinationis invincibilem exhibere causam tenebitur; vel, si id nequeat (rari enim exempli res est) ad Ecclesiæ judicium confugere, & Catholicis hac in re accedere cogetur. 6 Si interpretationem ex linguis, aut aliunde, locus patiatur, rectæ erunt interpretationis observandæ regulæ, quæ quantum difficultatis patiantur, *in Med. mea Concordia parte 1. tract. 2. n. 14. & seq.* ostendi. Hæc paucis indicare placuit; ne (ut plerique Theologorum Novantium hactenus) inutili sese labore in coacervandis frustra Scripturis, nihil adversus Catholicam veritatem probantibus, fatigent: cùm vel in sensu definito non opponantur; vel alieno usurpentur loco sensuque; tum deinde, ut ejusmodi Confessionum lector arbiterque, quid supervacuum, quid desit, æstimare facilius possit.

Quan-

Quantò igitur difficilius Protestantium Theologis futurum est, ejusmodi Confessionem ex Scripturis S. cui tutò atque infallibiliter niti possis, formare, tantò facilius Principibus Reformationis prætensæ ex S. Literis error patebit: & per defectus incorrigibiles demonstratos, cura malè cœptæ reformationis cessabit, seque in antiquæ Catholicæ Matris gremio filii extorres rursum collocabunt. Et quid diu inquirendum est? Jam rem factam Lutherani Principes habent, collectam nimirum diligentissimè à Doctore Thomæ, sive Scripturam, sive consequentias, in conclusione formatas, breviter spectent, ut his nihil addi, multa etiam otiosa detrahi posse videantur. Brevius illa synceriusque in Meditata mea Concordia part. 1. ex partis utriusque Scripturis, ad latus appositis, & Confessione utrorumque proponitur. Probent subscribantque, &, haud magno intervallo sententiæ, convenimus. Recusare in verbis non possunt, cum Scripturæ S. sint, nec in sententia & interpretatione, cum orthodoxæ sit Ecclesiæ, prout part. 3. in plerisque latius est declaratum. Ubi Scriptura etiam luculentior exhibetur, siquis eam desideret, quemadmodum & parte altera accessit. Ut frustra defectum Scripturæ ejus Confessionis nimium rigidus Censor Thomæ, nonnunquam causetur. Cùm, quod ipsa non

ſemper Confeſſionis verba, appoſitæ lateri, & exhibitæ in aliis partibus Scripturæ, veteris Eccleſiæ ſenſu, expleant. Quo, plerisque in locis, Francofurtenſis etiam Confeſſio acquieſcere eſt viſa.

Porrò, ſi nec iſti, nec ego, nec ipſe denique Legatus Saxonicus Thomæ, ex Scripturis S. definire atque abſolvere ſufficienter religionis & fidei controverſias potuimus; & nec hujus quidem, copioſiſſimis Scripturis inſtructæ, Confeſſioni Lutheranæ profeſſionis homines ſubſcribere auſi fuerint, tum manifeſtiſſimum Principibus argumentum, de Scriptura S. ad definiendas res fidei controverſas inſufficientia relinquitur, tempusque erit, ut poſt tam longam aberrationem, collectis ſarcinis, cum ſubditis ad Romano-Catholicam Eccleſiam & traditum ſimul Dei verbum revertantur.

Viam igitur adeò facilem, honeſtamque ac neceſſariam, non eſt cur amplius detrectent, ex qua patriæ tranquillitas, animæ ſalus, Dei gloria, publicum privatumque bonum, temporalis atque æterna tot populorum felicitas libratur. Accedant Meditatæ per me Concordiæ, ut hic & in futuro ſeculo pace ſociemur æternâ.

CAPUT

CAPUT XXX.

Appendix de origine Meditatæ Concordiæ.

CUm plerique Antagonistarum Confessionis Francofurtensis, in Comitiis Electoralibus vulgatæ editionem in dubium revocent, ejusque adhuc penes me exemplar possideam, autoritate illud nostri Magistratus, cùm sacri, tum politici visum signatumque, cum illo, quem præfert titulo symboloq; typographiæ subjiciam.

Quanquam, quod Doctor Thomæ se præsentem vidisse ejusmodi Confessionem neget, aliique suis conjecturis factum avertentur, non possit sufficiens esse detrectandi causa. Subvenire animo debuerat, quod Meditata Concordia istic tanto numero, & cum versione Germanica, tum iterata editione, potissimùm distracta, nullum ex Francofurtensibus (quorum sanè intererat publicâ imposturâ non traduci) contradictorem pateretur. Vereri contra externi Scriptores notam temeritatis poterant; si inficerentur, quod publico experimento cognitum, & Francofurtensium silentio testatum hactenus mansit. Horum erat, non Pomerani, aut Saxonis vindicias exarare,

An extiterit Confessio Francofurtensis ex S.Scriptura, qua Cōcordia Meditata nitatur?

& immerentem ſcriptorem impoſtoris nomine traducere. Exſpectare fortaſſis idem à Wittenbergenſibus poſſum, ut hi Doctorem Thomæ Ratisbonæ in Comitiis vulgaſſe negent Confeſſionem (uti ipſe appellat) ex Scriptura S. orthodoxam Lutheranorum, ſi hanc ad parem Concordiæ formam reducerem; quare nunc cum piſcatore icto cautior, autoritatem Eccleſiæ publicam ante requiro, quam hoc labore defungar, cetera non imparatus.

Deinde non video, cur Adverſarii tam ſollicitè, adeò etiam vanas detrectandæ ejuſmodi Confeſſionis cauſas inquirant. Cùm illi qui hactenus ad ſolam ſemper Scripturam provocarunt, ubi Catholici pacis amore, ad hujus ſententiam, reformationemque acceptandam ultrò ſe offerunt, hic repentè terga vertere, ac deſperatæ cauſæ vanitatem prodere, tam longè petitis ſubterfugiis, manifeſtè videantur. Quos, ſi divini ſcriptique verbi patrocinio fiderent, hanc, undecunque demum oblatam, velut de cœlo, cauſam occaſionemque amplecti, atque exoſculari talem Confeſſionem Concordiamque oportebat. Quod, ut minus honeſtè declinare viſi ſunt; ita etiam nunc ſuaſero, pro communi multorum ſalute, ut & Confeſſionem ex ſcripto Dei verbo propoſitam, & Reformationem utriusque Confeſſionis Auguſtanæ & Gallicæ ex S. Literis

ris adjunctam, peramanter acceptent, æterno, nisi id fecerint, neglectæ Scripturæ S. & religionis malè in illa fundatæ dedecore notandi. Quam tamen ignominiam longè facilius, quàm sempiternæ, quæ ex hac pendet salutis felicitatisque jacturam sustinebunt. Deus aberrantibus mentem, æstimationemque tanti discriminis suppeditet.

Accipite nunc testimonium ejus, quam malè negastis, Confessionis, ab antiquissima Trevirorum & Urbe & Ecclesia; quarum illa ante Christum natum, quin & Romam conditam, diu stetit: hæc à Christo resurgente per submissos à D. Petro, Eucharium, Valerium, & Maternum discipulos ad fidem instructa, hanc perpetua suorum Episcoporum successione, atque institutione ad nos usque inviolatam traduxit, nullius (quæ non vilis est gloria) hæresi interpellatam: ut illius lubens testimonio in fide utar humana, quæ nunquam recessit à divina, optemque ad hujus vos societatem complexumque transire, quàm suo Apostolus Petrus favore amplexus, baculo etiam pastorali, quo Maternus, ad vitam revocatus est, ornavit. Sic igitur linguâ, quâ loquuntur, vernaculâ testantur:

Vide Antiq & Annales Trevir

WIr *Franciscus Iacobus Schram*, Juris utriusque Doctor, deß Churfürstl. Trierischen geistlichen Gerichts Offi-

cialatus Verwalter / Canonicus vnd Scholaster der Collegiat Stiffts-Kirchen deß H. Paulini vor Trier / ꝛc. vnd Wir Bürgemeister / Scheffen vnd Rath besagter Statt Trier / bezeugen hiemit offentlich vor jedermenniglichen / daß wir gesehen / in Händen gehabt / vnd gelesen einen Truck welcher intitulirt:

„Newe eingerichtete demütigst- vnd vnderthänigste Supplication deß H. Römischen Reichs Vnderthanen / an die großmächtigste / durchleuchstigste / Königen / Churfürsten / Fürsten / vnd Herren Stände selbigen Reichs / mit eingefaster vnd auß Gottes Wort allein verglichener / so wohl protestirender als Römischer Kirchen Glaubens-Bekantnuß / damit selbige im Römischē Reich möge erkant / angenommen / vnd bewilliget werden / vnd also die teutsche Nation gegen alle Feynd in hochgewünschter Eynigkeit versamblet / vbereinstimmen.

Hierauff folgte ein Kupfferstücklein / worin der Sampson den Löwen bey dem Kopff vnd Mund ergreifft / mit dieser Vmbschrifft : Ecce cibo comedens dulcedine fortis abundat. Hierunder folget.

Ein-

, Eingeben zu Franckfurth in Römischer
, Käyserlicher Wahl Anno 1658. im
, Monat Junio.
, Verbum Domini manet in æternũ. 1. *Pet*. 2

Auff der ander Seythen.

, *Psal*. 11. *v*. 10. Et nunc Reges prudenter a-
, gite, erudimini Judices terræ. *v*. 11. Ser-
, vite Jehovæ, & exultate in tremore.
, Auß dem 2. Psalm v. 10. So lasset euch
, nun weisen ihr König / vnd lasset euch
, züchtigen ihr Richter auff Erden.
, v. 11. Dienet dem Herrn mit Forcht / vnd
, frewet euch mit zittern.

Die Contenta dieser Supplication waren ein offentliche Glaubens Bekät-nuß / deß Römischen Reichs algemeiner Vnderthanen / vorgestelt in acht capita.

, 1. Von Christo. 2. Von der Kirchen /
, ihrer Obrigkeit / Lehr / vnd Hirten. 3.
, Von dem Glauben vnd Wercken. 4.
, Von den Räthen. 5. Von den Sacra-
, menten / vnd Opffer. 6. Von Anruffung
, der Heiligen vnd Engelen Gottes. 7.
, Von Straff deß Fegfewrs vnd himli-
, scher Belohnung. 8. Schlußrede.

In welchen die absönderliche Lehr der Lutherischen mit groben / vnderschiedliche teutschen Buchstaben vorgestelt; Vnd befunden / daß auff selbige Glaubens-be-

kant-

kantnuß/ von H. Patre Iacobo Masenio der Societät Iesu, hernacher die Meditata Concordia gegründet seye: auch vorgehende Supplication in Lateinischer Sprachen vbergesetzt/ vnd gemeeß den vorgemelten 6. capitibus abgehandlet seye.

Dessen zu wahrem Vrkundt/ haben wir diese offene Zeugnuß/ mit dem Officialat vnd der Statt Insiegel bekräfftiget vnd verhandzeichnet. So geschehen zu Trier den 3. Sept. 1670.

Franciscus Jacobus Schram, Officialatus Trevir. Commissarius Judex ordinarius. mp.

(Locus Sig. Officialat.)

Ex mandato Senatus Augustæ Trevirorum.

Ioannes Osburg Secretarius m. pp.

(*L. S. Augustæ Trev. urbis.*)

INDEX

INDEX RERUM MEMORABILIUM, VTILIS CURIOSITATIS.

A.

ACatholicorum hujus temporis Communior doctrina perversa est, 474. blasphema & Atheismo deterior, 476. impia erga homines tam Ecclesiasticos, quam profanos, 479. Malignitas eorum erga Catholicos, 483. Disconvenientia eorum inter se 501. & seqq. non habent ministros legitimè vocatos. 611. Eorum Religionis falsitas quotidie magis aperitur, 630. præcipui eorum articuli examinantur, 631. De quibus coram supremo judice comparentes interrogandi sint, & quid responsuri, 641, & seqq. Adhortatio seria ad eosdem, ut ad antiquam Religionem revertantur, 649. & seqq. V. etiam Ecclesia, Fides, Religio.

Advocatorum in litibus producendis abusus & corruptela, 173. fraudes & captiosi agendi modi. 175.

Ædificandi studium an beatum faciat. 47.

Ægri quomodo à Medicis curandi, 226. Ægritudo Dei donum, 237. quantum utilitatis

adferat, & multis attulerit, 238. qui sanitati prætulerint, 240. V. etiam morbus.

Æquitatis amor & custodia apud antiquos quanta. 180.

Ætas tenella institutione facile firmatur. 150

Alexander cum Diogene comparatur, uter felicior. 42.

Amor subito in odium ejusdem mutatus. 30.

Amor nimius quorundam erga bestias. 38. aliorum in res inanimatas, 41.

Amor duplex à S. Aug. assignatus à duabus civitatibus excitatus 52.

Amor mirabilis Alphonsi Reg. erga Virginem Neapolit. 266. Caroli VII. erga Francicam, ibid. Amor Dei commendatur, 264. & seqq. Remedium est contra metum mortis. 269.

Anabaptistarum impura factio. 471.

Angliæ Proceres ab Henrico occisi. 13. Fortunæ in isto regno instabilitas. ibid.

Animus corpore solutus plurima repente cognoscit ante incognita. 148.

Antipathia quarundam rerum. 77.

Approbatio librorum ab Acatholicis scriptorum data à suis academiis vel Ecclesiis merito requiritur. 563.

Architectonice per literas exculta. 104.

Argenti vivi cum auro sympathia. 81.

Artes suspectæ non addiscendæ. 85. Artes multæ interciderunt. 100.

Avari miseri. 44. Avaritia extorquet in prolibus, quod pietas non potuit; exemplo ostenditur. 45.

Aves

Aves loquaces. 150.
Aulicorum pericula, & infelicitas. 12. *& seqq.*
Aurum potabile pro reparanda juventute. 261.

B.

Baptismatis solennitas, qua Carolus V. honoratus 297.
Beatitudo hujus vitæ non consistit in longa vita. 4. *nec in honoribus aut dignitatibus Principalibus ac Regiis.* 6. *Non in Divitiis.* 22. *nec in aliis bonis creatis. seqq. sed in amore Dei & bonorum æternorum* 51 *An beatitudo hujus vitæ in nostra sit potestate* 30. *An per phantasiam quis possit fieri beatus* 31. *an sanitas ad felicitatem conferat.* 229. *& seqq. an vitæ propagandæ studium.* 241 *an nobilitas* 286. *V. etiam Felicitas.*
Bellum unde dictum. 377. *Valde ab homine & felicitate humana alienum.* 378. *Variis de causis illud Israëlitis Deus indulsit.* 382. *quas male sæpe Christiani prætendunt.* 384.
Quæ præstanda prudenter bellum gesturo. 391 *Militum delectus habendus.* 392. *Disciplina servanda, & de necessariis militi providendum.* 393. *Dei & Religionis cura habenda.* 395. *hujus defectu expeditiones contra Turcam sæpe infelices* 397. *Qui belli socii admittendi, non facile potentiores.* 399. *Belligerantium dura conditio.* 400. *Bellandi studium non facit felices* 47. *V. etiam Militia.*
Bestiæ ad varias artes à teneris formari possunt. 151.

Bona opera à Catholicis ad iustificationem requisita nihil derogant meritis Christi. 486.
Operibus bonis merces promissa vitæ æternæ 492.
Fran. Borgia mundi contemptor. 11. 13. 246.

C.

CAnes artibus variis instructi. 152.
Canum exercitus eductus contra hostem. 153.
Canonicatus non temerè filiis procurandi. 293. 350 *V. etiam Ecclesiastici.*
Carolus V. mundi contemptor. 11.
Carnis humanæ appetentia in Iudæo delusa. 439.
Castitas Sacerdotum quanti æstimata ab Abyssinis. 353.
Catholicum nomen semper retinuit Ecclesia Romano-Catholica. 462.
Catholici coram supremo Iudice facile reddent fidei suæ rationem. 537. 646.
Cerevisia immoderatè sumpta noxia. 231.
Cereus perpetuus & thaumaturgus. 520. *item alius.* 522.
Charitas Dei auro omni potabili præstantius. 264.
Christinæ Mirabilis opera mirabilia, 169.
De Christo errores Acatholicorum. 631.
Clementiæ exempla. 305.
Clerici V Ecclesiastici.
Cœlibum an Conjugatorum status felicior. 324. *& seqq.*
Cœlibes olim apud Ethnicos comtemptibiles. 526.

526. à Christo & Apostolis commendati. 342
V. etiam Religiosi
Complexiones variæ & singularum affectus 162.
Concordiæ meditatæ summa. 494. Multi provocati nulli aliquid contra præstiterunt. 494. & seqq. præter paucos, qui aliquid inde vellicarunt, inter quos præcipuus Ioan. Thomæ I. V. D. 499. quibus ex professo respondetur 557. & toto cap. 27. à pag. 559. ubi habes Apologiam meditatæ concordiæ.
Concordiâ in Religione quod non fruatur Germania, quorundam Protestantium malevolentiæ tribuendum 539. & seqq. quâ via & quibus motivis ad eam perveniendum. cap. 29. à pag. 627.
Conjux V. Vxor.
Conjugium apud Christianos & gentiles honorabile. 327. Conjugia felicia. 314. Conjugii onera. 341. V. etiam Matrimonium & Vxor.
Consiliarios audire prudentis Principis est. 137. quales illi esse debeant. 194. 196. & seqq. quantum pendeat à bonis consiliariis. 196. Varietas eorum pro varietate rerum. 199.
Consiliariorum malorum infelix interitus. 205. bonorum exemplum Tho. Morus. V. Morus.
Consuetudinis sive bonæ sive malæ quanta vis. 54. & seqq. rarum exemplum ægri Monachi. 63. Vitiosa consuetudo quomodo in adolescente correcta per S. Bernard. 65. Media usitata pravæ consuetudinis dediscendæ. 68.

Contentiosorum mali exitus. 310.
Controversiæ fidei. V. Fides, scriptura, Pontifex.
Corruptela advocatorum. 174. *Corruptelæ munerum judicia subvertit.* 179.
Coryli ligni ad thesauros explorandos vis an naturalis. 82.
Crucis Christi lignum divisione nihil diminutum. 526.
Curationes absentium superstitiosæ. 76.

D.

DÆmon variis modis illudere solitus Ethnicis ac malis Christianis. 71. & seqq. Dæmon cuidam servit abrepturus illum, si vel semel Salve Regina, non orasset aliquo die. 72.
Dæmon advocatum agens, hospitem militi pecuniam depositam negantem abripit. 85. *Omne à Dæmone profectum beneficium suspectum esse debet. ibid. Dæmoni nec sancta quidem & pia suadenti obtemperandum.* 90. *Varia exempla à Dæmone deceptorum, ibid.*
Dæmon hæresum auctor 414.
Dæmonem infeliciter exorcizat Lutherus. 510.
Defensio justa non prohibetur. 381.
Dei cultus ad felicitatem in hac vita inprimis necessarius 405. *V. Religio.*
Dilectio inimicorum. V injuriarum remissio.
Diogenes cum Alexandro comparatur, uter felicior. 42.
Discendi facilitatem à Dæmone accipientes misere pereunt. 85.
Disputandi cum Acatholicis methodus certa, tam

pro doctioribus, quam plebeiis traditur cap. 28. à pag. 589. praecipuè. 597. 604. 6‘6.
Divites an beati in hac vita. 22. Divites probi rari. 25. Divitiæ non reddunt beatum. 44.
Doctrina anceps gladius bene & male usurpari potest. 117.
Doctrina per Dæmonem acquisita. 86. Ordinariè sine labore non acquiritur. 145. & seq.
Doctorum virorum utilitas in rep. 98: V. etiam Eruditio.
Dormientium effectus vi imaginationis. 35.
Duello mortuorum numerus in Gallia. 310. Duellatio severè prohibita 311. Davidis cum Goliatho quare licita. 312. Varia duellantium exempla. 3‘3. Principis de Chimaÿ delusio pulcra duellari cupientium Ephebororum. 318 Duellum Hæretici & Monachi secundum Evangelium 319.
Duellum duorum Morionum pro veritate fidei. 421.

E.

EBrietas aliquando disertos facit. 146. Fugienda ut noxia valetudini. 230.
Educatio plurimum facit ad virtutem & vitia. 64. 150.
Ecclesia orthodoxa ab hetorodoxa facile discernitur. 459. orthodoxæ signum infallibile miracula. 109. & seqq. alia ejus signa. 536. De Ecclesia & ejus capite errores Acatholicorum. 632. V. etiam Acatholici, Catholici, Fides, Religio.
Ecclesiasticus status non præcipitanter adeundus.

 350.

350. *conjugatis non convenit. ibid. & seqq. A quibus abstinere tenentur, & aliæ leges iis observandæ.* 355. *& seqq. Prærogativæ, quibus ob Dei servitium ornantur.* 357. *Eorum persecutores graviter puniuntur.* 359. *Vocatio ad hunc statum diligenter exploranda.* 360. *Quot viri Sancti ex hoc statu prodierint.* 370. *Quod aliqui mali, statui non officit.* 372.

Elephanti ad varias artes instructi. 154.

Eruditis magnus semper à viris summis honor impensus. 118. *An ipsos principes & reip. moderatores conveniat esse eruditos.* 122. *Eruditi Principes.* 114. 139. *quod discrimen inter eruditos & indoctos.* 156.

Exequiæ Carolo V. exhibitæ. 298.

Exorcismus infelix Lutheri. 510.

Experientia Magistra optima. 214. *plurimum valet in medico.* 212. *& seqq.*

Extremum diem imminere varii prædicantes Acatholicis vanè persuaserunt. 472.

F.

Felicitas. *Vide Beatitudo. Quis in hac vita felicissimus.* 1. *& seqq. sine Dei & Religionis cultu felicitas in hac vita non obtinetur.* 405.

Feminæ Eruditæ variis artibus. 156.

An quivis in sua Fide Salvari possit. 419. *& seq. Fundamenta sententiæ affirmantis à pag.* 420. *Utra vera fides, Matthias Corvinus & Georgius*

gius Podiebrochius duello morionum suorum determinare volunt. 421.
Vocationis ad fidem ingens beneficium. 427.
Sine Fidei professione ex iis, quibus illa sufficienter proposita, nemo salvari potest. 432.
Fidei propagatio per orbem declaratur. 460.
Fides sine charitate inutilis ad justificandum. 491.
Quâ ratione in Fidei controversiis definiendis se habeat Pontifex Rom. apud Catholicos. 543. apud Protestantes in hac re plus sibi arrogant sæculares Principes. 544. Imo privatus quisque. 546. V. etiam Acatholici, Catholici, Religio.
Filiorum in parentem amorem spes pecuniæ accendit. 45.
Fons juventam reparans. 252.
Fortitudo dextera Principis, absque scientia non possidetur. 135.
Fortunæ mutabilitatem ostendit Anglia. 13. Gallia. 15.
Funus Lud. Cortesii festivè eductum. 300.
Furto assueti difficulter abstinent. 61.
Furis exemplum insignis tempore Thomæ Mori. 62. Lex Polonorum, ut qui furem accusat & convincit, eum suspendat, aut ab eo suspendatur. 177. apud Tartaros, fur, si ostendat se eguisse, absolvitur. 178.

G.

Galliæ regni instabilitas. 15.
S. Genovefa fida conjux. 330.

Gentiles quomodo salvari poßint. 422. quare autem tam pauci salventur. 425.

Germaniæ in hæresi perseverantia quinam causa sunt. 539. & seqq.

Gula sanitati inimica, Angli & Scoti ei dediti. 232. nec Germani ab illa innoxij. 233.

H.

HÆreses an ab eruditione, an ignorantia provenerint. 116. Hæreses & novitates omnes in fide & Religione à Principibus initio non admittendæ, alioqui male cedit. 410. Hæresum auctor diabolus, exemplo Lutheri confirmatur. 414.

Hæretici seu heterodoxi quibus signis ab orthodoxis discernantur. 456. & seqq. hæretici facillimè cognoscuntur. 465. & seqq. 1. ex nomine. 466. 2. ex doctrina & vita. 468. Hæreticorum præcipui describuntur breviter. 470. Vide etiam Acatholici, & Religio.

Hamelenses pueri educti per Alfarbum tibicinem. 74.

Herbarum vis in reparanda juventute. 252.

Historiæ studium commendatur. 50. Maximè prodest Reip. Moderatoribus. 130.

Hominis imbecillitas & miseria. 2. 3.

Horæ Canonicæ Ecclesiasticis sub gravi obligatione recitandæ. 354.

Horologium artificiale. 106.

S. Huberti Stola thaumaturga. 521.

Hypocondriacis curandis medium. 161.

I.

S. Ignatii ope mortuus vitæ restitutus. 533.

Ignis perpetui alendi ars hodie incognita, olim celebrata. 100.

Ignoscere inimicis magni animi est. 105. *Exempla eorum, qui ignoverunt. ibid. & seq. V. etiam injuriarum remissio, & vindicta.*

Imaginationis vis & potentia multis exemplis declaratur. 30. *& seqq. Hæc multos beatos facit.* 42. 46. 165. *Errores varii ridiculi phantasticorum, & quomodo curati.* 164.

Imperatores docti. 114. 139. *An conveniat esse doctos.* 122. *& seq.*

Impostura Prædicantis pecuniam Molitoris multiplicare volentis patefacta, 512.

Infantes à nativitate statim ambulantes, loquenteque. 148.

Inferni imaginatio firma quam profuerit. S. Franc, Borgiæ. 168.

Infirmitas non minus quam sanitas Dei donum. 237. *V. ægritudo & morbus.*

Inimicorum dilectionis exempla. 305.

Injuriam quamvis statim ulcisci imbecillis animi est. 303. *patienter ferre aut ignoscere magnanimi seqq. item* 321.

Institutionis à teneris vis in animalibus patet. 150. *V. Educatio.*

Iræ moderatio commendatur. 309. *V. Injuria,*

Iudæi difficilius quam gentiles convertuntur. 433 *& seqq. Eorum odium in Christianos & sanguinis Christiani sitis exemplis declaratur.* 434. *causa istius sitis.* 437. *Iudæus carnem Christiano abscissurus quomodo à Iudice*

dice delusus, 439. Eorum fraudes exemplis probantur. 441. & seqq. Quomodo ex antiquo testamento Convincendi Meßiam venisse & eum esse Christum 445. & seqq.

Iudices quales esse in repub. debeant. 191.

Iudicia quomodo bene ordinanda Principibus. 186. & seqq.

Iurans falso Caupo à Dæmone abripitur. 85.

Iurisperiti quales esse in repub. debeant. 170. & seqq. potißimum timentes Dei & fugientes avaritiæ, 185. Fautores quarumcunque litium eliminandi. 186.

Iustitia Principibus administranda. 9. 182. eam jurisperiti maximè sectari tenentur. 171. Ejus commendatio ibid.

Iustificationis extrinsecæ homini salutiferæ abominanda doctrina 483.

Iuventus an innovari poßit vi medica. 252. exempla sic renovatorum. ibid. & seqq. spiritualis renovatio juventutis. 256. 264. Medicum pro ætatis reparatione medium ex Pedemontano. 260.

L.

Lapis molaris prælatus gemmis à Rudolpho Camerino principe. 41.

Lascivus Adolescens dedoctus consuetudinem. 65.

Latinè quidam, qui non didicerant, repente loquuntur 145.

Legum multitudo parum reip. prodest, sed observatio. 172.

Leges quædam iniquæ à nonnullis latæ. 176.
Leges Ecclesiasticis observandæ, 355. *& seqq.*
Liberorum multitudo laudi erat olim. 326.
Libris scriptis quantum eruditi prosint Reip. 120
Lingua an aliqua homini naturalis, quam à seipso discat. 148.
Literarum studia an reip. officiant, & an expediat plures eis esse deditos. 95. *& seqq. ubi literarum studium valde commendatur.*
Lites quomodo agendæ & decidendæ. 187.
Litigantium temeritas coërcenda. 189.
Longævorum exempla. V. senes.
Luminis perpetui in lampadibus alendi ars olim celebris, nunc incognita. 100.
Lutherus nondum apostata visus à Maximiliano cum diabolo humeris ejus incumbente. 415.
Lutherus & ejus sectatores qui & quales. 470. 484.

M.

M*Achinæ artificiales.* 106.
Magnetis virtus, 78.
Magi per curiositatem facti, denique reducti exemplum. 86.
Mahumetanorum in Christianos odium, 439. *Tali uni pecuniam credens Alphonsus Rex à Morione stultissimus judicatus.* 440.
Manci brachiis operâ pedum mira facientis historia. 56.
Mansuetudinem natura hominem docet, quia non armavit eum ut alia animantia armis. 378. *V. injuria.*

B.V. Mariæ patrocinium miraculis comprobatur. 514. & seqq. Turcarum Bassa per eam sanatur ibid. Tibia abscissa restituitur, 516. pueris mortuis vita restituitur, 517. Calumniatores B.V. puniuntur. 519. pestis dissipatur ope Cerei, qui perpetuus, 520.

B. Mariæ Virg. vel minimum obsequium quam fructuosum. 72.

Matrimonium honorabile. 327. V. conjugium.

Matrimonio jungendi tam formosas quam deformes apud antiquos ratio. 325.

Mechanicæ artes per literarum studia non negliguntur, sed excoluntur, 98.

Medicinæ Commendatio, 222.

Medicorum infinitus est numerus. 209. Variæ eorum sectæ. 211. à Romanis olim urbe exclusi, 212. etiam doctissimi multos occidunt. 213. Medicus perfectus vix datur, 216. aliæ contra Medicos criminationes, ibid. & seq. quæ refutantur 219. Medici dotes & virtutes requisitæ 224.

Meditata concordia. V. Concordia.

Melancholici quidam subito nonnunquam eruditi visi. 145. Melancholici an ceteris ad studia literarum aptiores. 158. Varij Melancholicorum affectus & errores ridiculi. 160. & seqq. V. Imaginatio & Phantasia.

Mendicus sua sorte contentus vere beatus. 19.

Mercimonia per literarum studia non impediuntur, sed potius promoventur. 108.

Militiæ quantum prosint literarum studia, 114

Mili-

Militaris vitæ infelix & dura conditio. 402.
Militaris disciplina servanda, & similia V. Bellum.
Miracula infallibile signum orthodoxæ Ecclesiæ. 509.
Affectata Miracula Lutheri, Calvini & aliorum. 510. *unum lepidius, quo prædicans Christum simulans Molitoris pecuniam multiplicare volebat, sed captus* 512. *In Ecclesia Catholica vera miracula facta omni ævo, & hodiedum fiunt.* 514. *plura seqq. enumerantur, præcipuè miracula perpetua.* 520. *Dubiæ fidei miracula quomodo discernenda.* 528. *& seq. S. Fr. Xaverij miracula aliquot.* 530.
Monstrosi partus vi imaginationis producti. 32. *Item* 77.
Morbi contracti vi solâ imaginativâ. 36. *alij eadem vi curati.* 166.
Morborum curationes absentes superstitiosæ. 76. *V. etiam ægritudo.*
Thomæ *Mori in judicando æquitas.* 62. 181. 207.
Mors quidam dictus operam suam elocat alteri vita dicto, unde proverb. Mors & vita simul. 60. *Mors omnes æquales facit.* 288.
Mortis metus ingens in Ludovico XI. Gall. Rege. 244. *Mortis memoria profuit Domicellæ cuidam.* 146. *& aliis ibid. Mortis dies festivè celebratus.* 300.
Munerum corruptela judicia subvertit. 179.

Mundi

Mundi contemptores. 11. *Mundi vanitatem in morte agnovit Carolus Sicil. Rex.* 288.
Mulieres quot malorum causæ. 333. 335.
Mures superstitionibus proscripti. 73. & 75.

N.

Natalis dies quis optimus, sc. quo per baptismum: & mortem in cælis renascimur, 296. 298. & seqq.
Nativitas hominis, seu quibus parentibus, & quo loco quis natus non parum facit ad ejus felicitatem. 286.
Naturæ vires quam admirandæ & occultæ. 252.
Nobilitas vera à virtute sumenda. 287. *Posteri sæpe à nobilitate parentum degenerant.* 291.
Nobilitas recens an antiqua præferenda. 292.
Nobiles, filiis non temerè de Canonicatibus provideant. 293. *Multi in bello occumbunt.* 295.
Nobilitas optima, quâ per Baptismum filij Dei constituimur. 296. *item, quâ denati terris Cælo nascimur.* 298.
Noctambulonum exempla. 35.

O.

Offensiones omnes negligendæ ac remittendæ. 320. *Ratio id faciendi & exempla, ibid. & seqq. V. Ininimici & injuria.*
Oleum inextinguibile an queat reperiri. 103.

P.

Patientia optimum contra Podagram remedium. 284.
Pacem Christus & Apostoli singulariter nos docuerunt. 379.
Pax bello præferenda. 402.
Pauperes divitibus feliciores, 22. *& seqq.*
Pecunia à Dæmone oblata quem effectum habeat, historiâ de Carthusiano docetur. 83.
Pedibus mira opera faciens. 56.
Peregrinandi studium non facit beatos. 49.
Pestiferis assueti non facilè corripiuntur. 58. *& seqq.*
Pestis ope B. V. profligata. 520. *item S. Eligij.* 522.
Phantasia V. Imaginatio. Phantasticorum ridiculi errores, per imaginationem etiam correcti. 164. *Phantasia multis ad animæ salutem prodest.* 168.
Pharmacopolia à Medicis visitanda. 228,
Philemon mimus fit Christianus. 38.
Pictoriæ artis apud antiquos major peritiâ, quam nunc. 106.
Piscium mira vis & natura. 79.
Podagrici an infelices, 270 *& seqq.*
Podagra ad divites plerumque. ibid. subinde etiam ad pauperiores divertit. 272. *An curari poßit, ubi multorum remedia.* 273. *& seqq. Potio salutifera pro ea curanda maturè adhibita.* 283. *spirituale medium op-*

timum Patientia. 284.

Potandi consuetudinem quomodo mulier dedocuerit virum. 66.

Pontificis Romani auctoritas defenditur contra Acatholicorum criminationes. 540. 575. Quomodo se habeat in definiendis controversiis. 543.

Prægnantium mulierum appetitus non satiati quomodo aliquid proli imprimant. 77.

Principum felicitas & miseria. 6. & seqq. eorum officium & obligatio, 8. Iustitia administranda. 9. 182. & seqq. quales Advocatos, 183. Iudices. 191. consiliarios. 194. 196 & seqq. Medicos 210 instituere debeant. Religionis cura præcipue habenda, nec novitates in fide admittere debent. 407. & seqq. 628. Vide Religio.

Principum contemptorum mundi exempla. 11.

Principum ministri quibus periculis expositi. 12.

An principes conveniat esse eruditos, in utramque partem disputatur. 122.

Principes eruditi 139. V. etiam Imperatores.

Professoribus literarum quanto olim constituta salaria. 115.

Protestantes. V. Acatholici.

Prudentia sine studiis non possidetur. 132.

Pugnantis Hæretici cum Monacho lepida narratio. 319.

Pulveris Pyrij inventio. 167.

Recturo

R.

Recturo feliciter rempub. quæ observanda. 143. *Regum & Principum miseria.* 6.

Reges, seu Regentes & Reipub. Moderatores an conveniat esse doctos. 122. *& seqq.*

Regentium duo oculi prudentia & justitia. 129.

Regicidæ Regum Francorum qui. 568.

Regulæ Religiosorum à Deo ipso datæ. 367. *etiã minimas spernere periculosum, exemplo probatur.* 368.

Religio cor politici corporis. 133. *Religionis diversitas quot malorum causa.* 627.

Religionis ac Dei cultus cumprimis ad felicitatem necessarius. 405.

Religionis & sacrorum potestas à profanis non est occupanda. 407.

Notivitates in Religione non admittendæ. 410 *Novantium tristia exempla.* 412. *An & qua ratione quivis in sua Religione salvari possit.* 419. *& seqq. Religionis in Germania discordiæ qui sint causa.* 539. *Quomodo ad concordiam perveniendum,* 627. *& seqq.*

Religiosi Reip. non sunt inutiles. 110. *Eorum multitudo in prima Ecclesia.* 113. *Status Religiosi sublimitas.* 361. *Varietas.* 363. *initium ab Apostolis.* 365. *Deus ipse multis regulas præscripsit.* 367. *Non tamen convenit omnibus.* 372. *præferendus statui Ecclesiastico.* 375. *Magnates Religiosi facti.* 376.

Renovatio spiritualis quomodo fiat, 256.

Resurgentium de sepulcro exempla. 58.

Resuscitare fictè mortuum volens Calvinus, verè mortuum facit. 511. *simile alterius Prædicantis miraculum.* 512. *Vere resuscitati à mortuis ope B. V.* 518. *patrocinio S. Fr. Xaverij.* 530. *S. Ignatij.* 533.
Risu an lacrimis digna Vanitas hominum, 1.

S.

SÆcularibus Principibus Sacrorum potestas non est usurpanda. 407. *sed Ecclesiasticis in rebus sacris subdi debent.* 409. *alias puniuntur.* 410.
Salaria olim Professoribus constituta. 115. 184. *Iusta Iurisperitis & Reip. administris à Principibus danda, ut corruptelis via intercludatur.* 184. *Eorum tenuitas præcipuè in medicis periculosa.* 221. *Ingens salarium medico datum à Ludovico.* 243.
Salvari quomodo & gentes possint. 423. 429. *quare autem tam pauci salventur.* 425. *V. Gentiles.* *Sanguis variorum sanctorum, subinde liquescens & bulliens.* 527.
Sanitas corporis quantum bonum. 229. *quomodo conservanda. ibid. quæ ei maximè noxia.* 231. *& seqq.*
Sapientiæ commendatio. 16. *Veri sapientis exemplum quidam Mendicus.* 19.
Sapientia sine literarum studiis non possidetur. 132.
Schediasmata contra morbos & vulnera superstitiosa. 75.
Scripturæ Sacræ recta interpretatio sitne apud

Heterodoxos an Catholicos. 456. *ex Sacræ Scriptura sola alias hæreticorum sectas refutare Lutherus nequit* 473. *Illi soli non nituntur in suis articulis, sed simul consequentiis fallibilibus.* 493. & *seqq. ex illa sola nullum confeßionis suæ articulum probare possunt.* 495. & *seqq. ne quidem ex infallibili inde deducta consequentia.* 500. & *seqq.*

Scriptura ipsa in locis & sensibus controversis non potest esse judex 549. & *seqq. V. etiam Verbum Dei.*

Senectutis miseriæ. 4. *Senum diu viventium & sæpius juvenescentium exempla.* 253. & *seq.*

Societas Iesu calumniosè traducitur à Fritzio. 566. *defenditur.* 568.

Somnus moderatus sanitati prodest. 235.

Sorte suâ contentum esse magna pars felicitatis. 18. *Talis exemplum habes in quodam Mendico.* 19.

Spiritum familiarem quidam emit joco-serio. 89.

Spina arida Coronæ Christi quotannis florens. 526.

Statuariæ artis excellentia apud antiquos. 106.

Status omnis hominum suas habet miserias. 3.

Stipendia. V. Salaria.

Studere an plures expediat. 95. & *seqq.*

Studio immoderato ad insaniam redacti. 163.

Stultorum varia exempla. 166.

Superstitiones cavendæ. 73.

Sympathia quarundam rerum. 77.

T.

Talentorum parabola vocatis ad fidem applicatur.

Temperamentum varietatis ingeniorum causa. 158.

Thesauri an naturaliter per Virgam Corylam inveniantur. 82.

Traditiones præter verbum scriptum necessario admittendæ. 507. decisâ controversiâ de traditionibus facilis est in fide conciliatio. 592. V. Verbum Dei.

Tribunalia quomodo bene ordinanda à Principibus. 186. & seqq.

SS. Trinitatis mysterium in lege Veteri reconditum aperitur. 454.

Typographia per Ioan. Faust inventa. in China jam ante usitata. 107.

V.

Venandi studium non facit beatum. 47.

Venus sanitatem enervat. 234.

Verbum Dei ad fidem requiritur. 590. præter scriptum Catholici traditum admittunt. ibid. ex solo scripto Controversiæ decidi non possunt. 592. Hoc etiam apud Catholicos potius est ob securam possessionem, certam interpretationem, & omnium librorum agnitionem. 617. & infallibilium ex ea conclusionum deductionem. 623. V. Scriptura & Traditio.

Vini haustus moderatus prodest, maximè Germanis. 230. Turcæ raro bibunt. 232.

Vindicandi libido desperatæ mentis vitium est. 304.

Vita

Vita mortalis ærumnosa. 3. *Vita Dei donum præstantißimum est.* 248.
Vita longa an felix 4.
Vitæ propagandæ studium an laudabile. 241. & *seqq. quam immensum illud fuerit in Ludovico* XI. Gall. Rege. 242.
Vitæ longioris amor unde proveniat. 245. *An humanâ arte vita aut diu propagari aut innovari poßit, fusius disputatur.* 249. *Remedium pro ea re ex* Pedemontano. 261.
Vocationis ad fidem ingens beneficium. V. Fides.
Vocatio ad Religiosum statum, V. *Religiosus status.*
Vocatio ad statum Ecclesiasticum . V *Ecclesiasticus & Canonicatus.*
Vxor ducenda an non, variæ variorum sententiæ. 324. *Vxor bona magnum viri solatium & auxilium.* 328. *Vxorum bonarum rara exempla. ibid. dotes ejus sc. fida sit in adversis,* 329. *in fide integra.* 330. *Vxor dives cur non ducenda.* 337. *cur nec pauper* 138. *Litigiosa uxor quantum malum, quomodo compescenda.* 339. *Vxor querula Xantippe.* 344. *quâ cautela & delectu uxor quærenda.* 345.

W.

S. werneri historia. 437.

X.

S. Fr. Xaverij miracula. 530. & *seqq.*

FINIS.

Vetus
Curiositas
Massenij